INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS INÆDIFICATARVM;

HOC EST,

Theologiæ, ſuper fundamentis in Peripateticâ Digbæanâ iactis, extructæ,

PARS THEORICA.

Authore THOMA Anglo, è generoſâ ALBIORVM in Oriente Trinobantum Proſapiâ oriundo.

TOMVS PRIMVS.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non vt lex tua Domine. Pſ. 118.



M. DC. LII.



ADMODVM

REVERENDO PATRI
P.F. FRANC. DAVENPORTO,
vulgo à Stâ. Clarâ, Prouinciæ Angliæ FF. Minorum Exministro Prouinciali, Olim apud Duacenses Lectore Theologiæ Primario, Nunc vero, Serenissimæ Reginæ Magnæ Britanniæ à Sacris &c.

HABE (Doctissime pariter & candidissime Amice) quem biennium te scribis expectare Libellum. Sic nostri ingenij paruitas fert; exiguum

ingenti tempore fœtum excludimus, vel penitus nullum, si ad tuum cõponatur Systema *Doctum (Iupiter) & laboriosum. Quod ego, in exili meo mineruio, in penum consecraui Theologicum, vnde vetera depromam, vnde noua. Neque dissimulo me suppar aliquid tuo operi cogitauisse. Sed tu per modernorum buccinas, per antiquorum scholasticorum tubas, per sanctorum tonitrua famæ palatia ipsa inter nubila condis. Ego apis matinæ more modoque, proximus terræ, parum se tollentibus animis cerea cubilia, non sine tenui rationis susurro, floribus insternere molior. Quod-*

cumque tamen est, tuam de eo expecto sententiam; sed candidam, sed quæ de veritate magis sapiat quàm gratiâ; hoc est, reipsâ amicam. Neque enim mihi arrogo vt supremis inferatur tribunalibus tantillum opus: Neque Lectorum quorumcumque sublimis despicio sensa. Sed scio quòd chartis vulgatis à censurâ perfugium non dij, non homines, non concessere columnæ. Addo his, eos qui libros suos sistunt ipsi Ecclesiæ, duo, à quibus ipse alienus sum, professos mihi videri. Videlicet & sua esse quæ producunt, & sese contra quoscumque eadem defensuros, præter ipsa Ecclesiæ

capita. Ego contra quæ profero, non assero, sed offero. Si quid ratione subsistit, illud cupio, non quia meum, sed quia veritatis est, eiusdem cultoribus commendatum. Vbi ratio vacillat, illic ego primus degenerem non agnosco pullum. Quicquid in hoc libello non est probatum, examini offertur; non à me vindicatur. Satis est esse dubium, vt ego ei renunciem. Nihil defendo, ad nullum contendo, nisi quatenus pro veritate certamen est: famæ securus, quam optimam existimo, cùm charitate veritatis fulcitur. Suscipe itaque opusculum, vt ab amico ad te profectum, & ad

*lydiam ſacræ vetuſtatis erudi-
tionem fortiter applicatum, cum
contracto remitte colore, vt ſyn-
ceritatem tuam ipſo rubore teſ-
tetur. Sic te dignum egeris: Sic
tibi conſecraueris*

THOMAM EX ALBIIS



AD LECTOREM CHRISTIANVM.

RATIO OPERIS.

THeologia, Dotum Ecclesiæ longè maxima, quantò in ſeſe præſtantior eſt, tantò & maiori ſcelere violatur, & grauiori ſanctitatis incommodo, poſt quàm inquinata eſt, toleratur. Hæc eſt myſteriorum interpres, ſacro-ſanctæ à patribuſque traditæ nobis fidei, (cui ſupercertare mandatum accepimus) vindex & protectrix. Per hanc, ipſum fidei donum in populis per charitatem operatur. Hæc nos erudit, in quam ſe ſeduxit ſemitam, ambigua primo vultu ſacrarum literarum ſententia.

Hæc nos in lectione Sāctorum & pugnantibus eorum sensibus securos sistit; quos eorum secretior perculit veritas; quos fidelibus necessaria delectauit allegoria, & humanis vsibus accommodatior locutio. Ejusmodi cùm sit hæc sacra facultas, quid vlceris sæuius, quæ plaga desperatior sanctæ Ecclesiæ accidere potest, quàm vt hæc suprema potestas, quæ ei quodāmodo est suæ vires, sua magna potentia sola, sub obscuritate langueat, erroribus saucietur, incertitudine dissoluta eneruetur? Neque tamen sustinet hæc ætas, vt de demonstratione vel infallibili decisione inijciatur mentio; vt disciplina, & consequentiarum nexu & propagine plexa vel intexta cogitetur Theologia; vt alijs nixa credatur fundamentis;

quàm vel fortuitâ vocularum cerearum connexione, vel præstigiatrice quâdam (sub Philosophiæ cognomento) in vtramque partem bombos sine mente & nugas effutiendi temeritate. Quid vltrà mali expectare possumus? aut quousque ferrum & ignem prohibemus? Et idolum desolationis in templo adoramus? Si quid Christianæ venæ adhuc in pectore tibi salit, erubesce turpitudinem matris tuæ, & pio rugitu ad remedium conclama. Mihi quodcumque est hoc operis expressit seuera indignatio, & libuit tantæ spei primordijs & nascituris magnorum jngeniorum fœtibus, per infamiam & bonam famam, meo periculo, tuo emolumento præludere. Sulcus quem duco, deriuandis in materiâ Theologicâ veritatis

& certitudinis riuulis ſeruitu-
rus ſperatur. Vbi deſijt Philo-
ſophia, illinc naſcitur. A ne-
ceſſitate creandi hominis futu-
ri vniuerſitatis finis, emicat
prima ſaliens; & per lapſum, &
reparationem currens, in mare
æuiternitatis & diuinæ pro-
uidentiæ abyſſum, ſuo auctu
perditur, & quaſi in principia
ſui reuerſa reſoluitur. Habes,
cur & qualis natus ſit Adamus:
in quam ſeruiturem lapſus:
quantâ ipſius αὐτουσίας con-
cuſſione, ad redemptionem
agendum fuit: vnde in ſummâ
ſimplicitate oppoſitio: Impe-
rium & obſequium: patiens &
qui in eum agat: Quo fœdere
ſumma ſunt imis illigata: arti-
fex artefacto, creaturæ crea-
trix vita: Quid Deus homo:
Quo ſublato ſigno, Eccleſiam
ad ſalutem vocauit: Quibus

myſterijs vocatos initiauit : Cui tutelæ adoleſcentem Eccleſiæ pubem commendauerit : Quo ſucceſſu matureſcat, & effracto naturæ & mortalitatis ergaſtulo, in æternitatem ſit transferenda : Conuerſuſque ad Deum à quo exiuit Deus, quomodo acceptam poteſtatem ei à quo accepit reſtituat ; cuncta bonitate ſaturata in indefectibilitate continens & ſtabiliens Ens. Vide quo nauigaturus ſis alueo ; ad quàm excelſa prouoceris ; quanto malo in ſimilibus erretur ; quàm pernicioſa ſit temeritas ; quàm non tam futile, quàm execrabile ſit in huiuſmodi poſt factam veritatis ſpem & propoſitionem, vanis & mendacibus nugis famelicas mentes paſcere. Memento itaque te hominem natum veritatis capacem ; diuino munere in

familiari tibi idiomate propo-
ſita hæc omnia vt ea intellige-
res, & ijs fruereris. Qui abſque
demonſtratione hoc ſperat, ſe-
ſe, & te deludere molitur. Ad
ipſam itaque eſſe conandum.
Hoc vbique ſpectandum, vt
certa ſecernas à dubijs. His
laborem, illis fidem te debere
intelligas. Hanc, operis quod
vides intentum credas, & am-
plexeris. Herculeum eſſe la-
borem hunc & partum, ar-
guunt immiſſi ipſis cunis à
ſcientiarum nouercâ ſui an-
gues, prætexta elidendi apo-
logia. Aiunt itaque Theolo-
giam non pati demonſtratio-
nem. Reponimus ἰδοὺ πήδημα. Vr-
gēt fidei obſcuritatem, & inac-
ceſſas rationi latebras diuinita-
tis. Referimus, nobis non ſatis
liquere ad quid colliment. Si
enim non potuiſſe rationem ad

myſteria citra reuelationem conſcendere, vltrò accedimus: Sin neque poſt reuelationem illius ope non poſſe ipſi rationi ſatisfieri , difficulter hoc à nobis impetrent , niſi probauerint. Verùm etiam hîc ſuſpectus eſt ambiguitatis conflictus. Neque enim ipſa deitatis lux per vllam reuelationem (ſepoſitâ quam claram viſionem appellamus) diſpici valet , neque vllum myſterium quod eam inuoluit penitus indagari poteſt rationis & obſcuræ reuelationis connixu. Sed hæc non impediunt, quin qualis de Deo, talis etiam de ipſis myſterijs demonſtratio produci valeat.

A libertatis cauo ſibilat poſterior anguis , ea quæ libero Dei arbitrio referenda ſunt, demonſtrationis non eſſe obno-

xia conatibus ſuggerens. Sed à tenebricoſo ignorantiæ antro naſcitur hæc obiectio : verè enim de libertate humanâ diffi-cilis eſt cognitio : Sed non quà libertatis nobilitatem, ſed quà defectibilitatis & vitij incommoda veſtitur. Quatenus enim libertas eſt, certis & claris veſtigijs incedit, inerrantique paſſu à ſapiente veſtigari nata eſt Quatenus autem phantaſmatum & appetitus & ſpirituum vanitati & mobilitati, & incertiſſimis ictibus casûs obuiam exponitur, eatenus non niſi ab eo qui fortuitam cauſarum collectionem intelligat, etiam ipſa comprehendi poteſt. Cùm itaque tanta vilitas non ſine blaſphemiâ cogitari in Deo poſſit, ipſius decreta libera manifeſtiſſimè demonſtrationis accreſcunt obiecto. De

quocumque itaque per demonſtrationem cõſtare poteſt, melius eſſe operi diuino, vt ipſum, quàm ipſius oppoſitum in rebus exiſtat, de eo demonſtratiuè conſtat factum eſſe. Et quidem à propriâ cauſâ, ſi immediatè à Deo pendeat; poſtquàm hoc demonſtratum eſt, quod Deus fecit illud omnimodis eſſe facturæ ipſi optimum.

Eugè modò, aude expectare etiam in Theologiâ intellectus tui ſaturitatem; quære in eâ certitudinem; & diſciplinæ & demonſtrationis euidentiam; & quod his omnibus maius eſt, mentis pacem, & tramitem ad vitam apertum & placidum, quæ eſt beatitudo vera, quam in hâc vitâ ſperare contingit. Ne te deuient laruæ & μορμολύκεια offundentium caliginem om-

nibus rebus. Scito Deum naturæ eſſe authorem, hanc per ſupernaturalia perficere & eleuare, non diſparatam quandam rerum ſeriem nobis impluere. Ratio, nobis natura eſt; rationis perfectio, eſt demonſtratio: Hanc itaque à Deo non deſperes. Eâdem labyrintho conſeneſcebat Philoſophia. Facem tibi oſtendit DIGBAEVS. Si ex eâ ceſſit deſperatio, aude amplius. Ipſius te veſtigia etiam ad Theologiæ arcem deducent. Plantata eſt in naturâ Theologiâ; Fides in humano nobis idiomate tradita eſt. Quid celſius in Theologiâ diſputatur quàm Pater, Filius, Generatio, Spiratio, Natura, Perſona, Conuerſio, Peccatum, Bonitas, Fœlicitas, & Miſeria? Sed hæc omnia ante Chriſtum à naturâ & ratione edocti eramus. Atta-

men si hæc lucida nobis maneāt, obscuri nihil relinquetur. Quid itaque trepidas, & Digbæanos ausus tremebundus auersaris? si falsa sunt quæ discis, ipsa te ratio dedocebit: si vera, ipse te successus lætum prouocabit: si incerta, num quicquam quærendo perdis? Dextro proinde pede, calcatam alienis operis viam, gratus insiste.



INDEX LIBRORVM ET LECTIONVM

quæ in hoc primo tomo continentur.

LIBER PRIMVS.

De necessitate aduentus Christi.

LIBER SECVNDVS.

De Mysterio sanctissimæ Trinitatis.

LIBER TERTIVS.

De Mysterio Sacrosanctæ Incarnationis.

LIBER QVARTVS.

De Admirando Legis Gratiæ Sacrificio.



INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS inædificatarum

LIBER PRIMVS.

De necessitate aduentus Christi.

LECTIO I.

Quod primus Homo creatus sit in Charitate.



Vm ex Philosophiâ notum sit, mundum non propter sese esse factum, sed propter aliquid æternum (animas puta rationales, quæ ex hominibus emergunt) consequens est, in creatione mundi, humanam etiam naturam esse creatam.

Porrò neque hominem, prout in hâc vitâ degit, propter ſemetipſum, ſeu propter ipſam hanc vitam, creatum eſſe, eâdem conſequentiâ notum eſt; cùm hæc vita neque perpetua ſit, & in motu conſiſtat ſicut ipſe mundus.

Quare cùm homo non propter aliud, ſed propter ſeſe creatus ſit; neque ordinabilis ſit ad aliud, quàm ad ſuam perfectionem: fit, ſummam ipſius perfectionem, non in hac vitâ quærendam eſſe: ſed in Animâ ſeparatâ: & hanc vitam non ad aliud primariò eſſe ordinatam, quàm vt animæ iam abſtractæ optimè ſit.

Rurſus, cùm animæ eſſentia in eo quòd ſit cognoſcitiua conſiſtat, perfectio ipſius eſt cognitio. Quoniam itaque omnis anima ſeparata, cuncta exiſtentia citra Deum clarè cognoſcat (etiamſi nunquam ex vtero matris effundatur) non poteſt vita homini propter hanc cognitionem eſſe data.

Prætereà, cùm quò plus de rebus creatis cognoſcit anima, eò magis clarè cognoſcit Deum eſſe ſummè

dignum intelligi ; & iam ſeparata, ex omnibus creaturis, & quantùm ipſi poſſibile eſt, fertur ad cognoſcendum Deum ; ſit, omni animæ ſeparatæ, ex ipſo ductu naturæ, eſſe ingens deſiderium videndi Deum.

Vlteriùs, cùm aliquæ animæ poſt ſeparationem ſint miſeræ, ex eo quòd deſiderent aliquid quod non habent; patet, cætera objecta, præter Deum, non cogere animam ad ſui amorem. Dei autem intelligibilitas cùm ſit æqualis ſuæ eſſentiæ & virtuti intellectiuæ, ex neceſſitate excedit totam capacitatem intellectiuam animæ; & per conſequens, etiam ſatiat, & trahit animam quanta quanta eſt.

Ex his conficitur, vel nullum eſſe bonum adæquatum animæ ; vel Deum clarè viſum, eſſe illud bonum. Cùm itaque natura & Dei eſſentia (in quâ primò conſiſtunt ideæ, & rationes creaturarum) non poſſint eſſe ſuſpectæ de defectu in naturâ humanâ, quæ eſt præcipua portio naturæ ; palam eſt hominem ad Deum clarè videndum eſſe conditum.

Dices, niſi viſio Dei ſit poſſibilis,

totum hunc diſcurſum labaſcere: hoc autem neque eſſe probatum, neque fortè probari poſſe; cùm nulla accidentia habeamus, per quæ poſſit conuinci. Reſpondetur, quod quoniam eſſe aliquid ordinatum ad aliquam perfectionem, & non eſſe vim quæ poſſit ei talem perfectionem tribuere, inferret defectum in prouidentiâ diuinâ: eo ipſo quod patet naturam humanam ordinatam eſſe ad viſionem Dei, probatum eſt illam eſſe poſſibilem.

Dices, ſufficere homini eſſe beatum vt hominem, hoc eſt imperfectè; & non eſſe neceſſe illum perfectam beatitudinem conſequi. Reſpondetur, eſſe beatum vt hominem, ſignificare habere illam beatitudinem, cujus capax eſt, & ad quam inſtitutus eſt ex ordine naturæ: hanc autem eſſe viſionem claram Dei, deductum eſt; & minor non ſufficit, vt naturæ ſit rectè conſultum.

Cùm verò clarum ſit, eſſentiam Dei adeò creatorum & creabilium rationes excedere, vt infinita ſit diſtantia; pariter clarum eſt, ex eorum

majori vel minori cognitione, non acquiri aptitudinem majorem vel minorem ad cognitionem Dei, quantum eſt ex parte objectorum : quare cùm in animâ ſeparatâ non ſint niſi cognitio & affectio ; fit diſpoſitionem, ad quam acquirendam nobis vita data eſt, conſiſtere in câ affectione quæ neceſſaria eſt, ad viſionem claram Dei obtinendam.

Rurſus, cùm major & vehementior affectus potentiùs animam trahat quàm minor ; palam eſt animam non conuerti ad Deum tanquam ad vltimum finem, ſicut oportet, id eſt, tanquam illum ad quem cætera omnia referat ; ſi quicquam amet vel independenter à Deo, vel taliter vt appetitus illius ſit vehementior, quàm amor in Deum.

Sed & natura ſic comparata eſt nobis, vt non valeat vnum propter aliud amare, niſi ipſum aliud quoquo modo priùs amet. Sed neque plurium per ſe amatorum vnum iuxta aliud moderari, niſi ipſum aliud plus amet ; vnde fit, vt, ſi homo quicquam ſolum vel primum amat,

necesse sit illud per se & tanquam vltimatum finem, secundùm quod tunc dispositus est, diligat.

Patet itaque hominem primò creatum, si quicquam amabile per se ante Deum conspexisset & adamauisset, illud pro vltimo fine tantisper habiturum fuisse, donec Deum esse summum bonum didicisset; &, quod sequitur, erraturum fuisse à rectâ vitæ semitâ, & directione in vltimum finem; & hoc ex vi creationis suæ.

Quare, cùm in operibus diuinis (prout ab ipso specialiter procedunt) nullus error, nedum adeò immanis, cogitari possit: sic creatus est homo, vt primum quod sensu perciperet, & in quod affectum dirigeret, esset Deus; & cætera omnia quasi ab ipso donata, & per consequens vt quæ affectum in Deum augerent, agnosceret & acceptaret.

Cùm itaque ille amor qui Deum propter sese tanquam primum & summum amabile amplexatur, vocetur charitas; palam est, primum hominem, qui Adamus indigitatur,

charitate, in ipsâ primâ suâ creatione, imbutum fuisse: siquidem ipsam creationem non intelligimus perfectam, nisi quatenus hominem in actuali sui gubernatione (quod per finis amorem fit) constituat, quasi in puncto initiatiuo sui motûs & vitæ.

LECTIO II.

Quòd primus homo creatus sit in iustitiâ Originali.

EX dictis vlteriùs habetur, quòd quia Adamus secundùm animam, quasi ex vi creationis, habiturus erat hunc affectum, vt Deum summè amaret, cætera verò subordinatè ad ipsum; & vita ei danda erat, vt hic affectus in eo cresceret; corpus autem propter animam fiat; tale ei corpus, & fabricari debuisse, & fabricatum esse, quale ad hunc ordinem affectus conseruandum & augendum, aptum natum foret.

Cùm itaque passio (hoc est motus appetitûs sensitiui, seu cordis, vio-

lentus & impediens operationem cerebri) ſit cauſa actionis præter rationem; neceſſum eſt eam diſpoſitionem cordis quæ non impediat, ſed magis adiuuet naturalem cerebri motum, eſſe illam quæ Adamo tribuenda erat, & per conſequens tributa fuit; quæ ſcilicet à ſingulis objectis ſecundùm naturam bonis vel malis moueri faceret cor proportionatè ad neceſſitatem Adami.

Cùmque rurſus peccatum ex errore ſit; & error ex præcipitantiâ; & præcipitatio ex paſſione; palam eſt (durante hâc diſpoſitione cordis in Adamo) non potuiſſe in eo peccatum contingere ex vi carnis; neque potuiſſe ipſum ex vi ſuæ carnis tentari.

Palam igitur eſt, Adamum temperantem & fortem fuiſſe; cùm neque bona, neque mala ſecundùm naturam, eum diuerterent ab actione ſecundùm rationem. Sed & iuſtum; cùm bona fortunæ, niſi ex opinione falsâ, non quærantur niſi propter bona, vel mala ſecundùm naturam. Tandem etiam prudentem; cùm ni-

hil concupiſcibile poſſet electionem rectam in eo præuenire.

Rurſus, cùm exercitatio & vita (ſecundùm rationem acta) confirmet & augeat ſubjectionem corporis ad rationem, & animam; ipſamque animam ad perfectionem perducat; poterat Adamus ad quemlibet gradum virtutis, & eminentiæ animæ ſupra corpus, adjuuante ipsâ carne, cum delectatione peruenire, modò ne tempus & valetudo ei deeſſet.

Adami autem corpus, quoniam ex elementis communibus ipſi & cæteris circunſtantibus corporibus formatum erat, & in medio eorum conſtitutum; neque vitiari poterat, niſi per mixtionem alicuius extremi; conſequens eſt cuicumque vitio ipſius, per aliud extremum remedium adhiberi potuiſſe, niſi vel ſcientia deforet, vel non congruo tempore adhiberetur.

Cùmque Adam non propter aliud, ſed propter ſeſe, & reliqua propter ipſum creata ſint: quæ autem propter ſeſe fiunt, ex intentione facientis ſunt perpetua; ſequitur,

Deum media ad finem sufficiētia nō fecisse, nisi illam scientiam in Adamo fecisset, quæ necessaria erat ad hoc, vt remedia sibi conuenientia ad perpetuitatem adhibere posset; & per consequens datam fuisse illi immortalitatem, quâ posset non mori.

Quoniam itaque finis vitæ humanæ est pertingere ad beatitudinem, hoc est, ad visionem claram Dei: data est Adamo possibilitas viuendi iucundè, donec per exercitationem virtutum humanarum, ad eum statum animam suam perduxisset, vt mereretur eam recipere; & ex vi ipsius, ipsum corpus in aliam qualitatem transmutaretur: quæ quoniam adeò diuersa ab hâc elementari esset, etiam ipsam loco separari conueniens foret; & sic in aliam partem mundi transplantaretur.

Porrò cum finis iste promissus non datus foret, sperabilis erat, & speratus Adamo; nondum possessus. Spem itaque habebat Adamus, sicut & charitatem: quæ, cùm cognitionē rerum non visarum (quas fidem nuncupamus) præsupponant, etiam fidem, &

quod ſequitur, virtutes Theologicas vniuerſas æquè ac Morales habuit.

Cúmque ex his, & diſpoſitione cordis ijſdem promptiſſimè ancillante, neceſſum ſit, eum aptum natum fuiſſe ad operationes ſiue intellectûs ſpeculatiui, ſiue practici, & etiam voluntatis quæ ſubſeruiunt his virtutibus, & ad quas à Spiritu ſancto per harum virtutum impulſum mouetur homo; fit, ipſum facilè fuiſſe mobilem à Spiritu ſancto; hoc eſt, dona Spiritus ſancti vniuerſa poſſediſſe.

Prætereà, cùm ſicut intellectus per vnum actum demonſtrationis de veritate aliquâ adeò conuincitur, vt nullum dubium de ipsâ habeat; ſed conſtãter in illa permaneat: ſic etiam voluntas circa aliquid in quo nullam difficultatem ſentit, vnico actu nata ſit conſtantiam acquirere; in Adamo verò nulla fuit difficultas circa materiam virtutum, & donorum prædictorum: Euidens eſt illum eas conſtanter operari natum eſſe; & omnium non ſolùm actus, ſed etiam habitus poſſediſſe.

Cùm itaque ſanctum dicimus il-

lum, qui ſancitus, id eſt, ſtabiliter Deo conſecratus, ſeu conſtans eſt in ſeruitute Dei; ſeruitus autem Dei principaliter conſiſtit in charitate, & conſequenter in virtutibus & donis ab illâ dependentibus; conſtantia verò, ſeu habere habitum illarum, eſt eſſe ſancitum & confirmatum in ijs; palam eſt Adamum ſanctitatem habuiſſe.

Similiter cùm amicitia, ſit beneuolentia quædam inter redamantes; pateat autem & Deum amauiſſe Adamum, cui tanta bona, non propter aliud, ſed propter ſemetipſum dedit; & Adamum redamauiſſe Deum per charitatem; ſit, Adamum fuiſſe amicum Deo. Et quoniam, contra quem Deus nihil querelæ habet, dicitur iuſtus ſeu innocens; contra verò amicum amicus non habet querelam; patet Adamum habuiſſe ſtatum innocentiæ & iuſtitiæ.

Tandem, cùm actus humani, ſiue intellectûs, ſiue voluntatis, & ortum habeant ex diſpoſitione corporeâ membrorum, phantaſmatum, & ſpirituum; & per ipſam exercitationem

relinquant in corpore aliquam nouam, & ſibi propriam diſpoſitionem; ſed & in Adamo peculiarem radicem corpoream habuerint ex ipsâ creatione ipſi inditam; in generatione verò diſpoſitio peculiaris parentum nata ſit transfundi in prolem; fit, poſteros Adæ ex ipsâ vi generationis, & æqualitatem paſſionum, ſeu cordis, & cerebri, & inclinationes ad virtutes fuiſſe accepturos.

Quapropter palam eſt infantes naturaliter & ſine vllâ repugnantiâ acturos & paſſuros fuiſſe, quæ pro ratione ætatis agenda vel patienda forent ſecundùm naturam; & accedente ætate & inſtructione, curâque parentum, in primo rationis ictu, ad Deum futuros fuiſſe conuerti, eumque ſuper & ante omnia fuiſſe adamaturos, connaturaliter ex vi diſpoſitionis per generationem acceptæ; & per conſequens, parentum iuſtitiam in eos fuiſſe propagandam; hoc eſt, fuiſſe originalem.

LECTIO III.

Quod primus homo incurrerit peccatum originale.

CVm itaque poſteri Adæ in virtute & beatitudine proſequendâ difficultatem magnam experiamur; euidens eſt, non eſſe propagatam in nos eam iuſtitiam: Et cùm in nobis cauſa huius defectus eſſe non poſſit, in ipſo Adamo & parentibus fuit: Et quod ſequitur, immutata in ijs ante generationem fuit hæc diſpoſitio. Quod cùm per errorem non potuerit contingere (cùm Deus ſcientiam ſufficientem dederit) neceſſum eſt per peccatum, hoc eſt, quòd à ratione agnitâ defecerint, contigiſſe.

Quare, cùm corpus ijs tale formatum fuerit, vt ex vi objectorum materialium, neque motus appetitûs debito violentior, neque opinio falſa creari potuerit; clarum eſt objectum aliquod ſpirituale immixtum

esse, vt homo ad peccatum pertraheretur. Et hoc, non ex vi alicuius hominis, puta vxoris; cùm enim ipsius corpus, ex corpore Adami, formatum fuerit, ex necessitate eamdem dispositionem habuit: quare necesse est hanc immutationem, à mente alterius naturæ, principium traxisse.

Hæc verò mens, si naturaliter corpori conjuncta foret; vel corpus ex nostris Elementis compositum haberet, vel ex aliis. Si posterius, loco separata & à nostrâ conuersatione aliena fuisset, vt ratio & experientia docent; sin prius, æquè cum Adamo finis orbis terrarum fuisset; atque adeò duo fines & Domini rerum fuissent. Fuit itaque mens abstracta; quæ quia non possit præter naturam hominis membra & spiritus mouere, ex necessitate per alloquium, primos parentes corrupit. Talem autem mentem diabolum appellamus. A diabolo itaque peccati primi, & malorum sequentium, origo incepit.

Corruptio verò per alloquium, deceptio est. Sapientes autem & per-

fecti in ſcientiâ non ſunt obnoxij deceptioni. Quare Euam ſeduxit diabolus, non Adamum. Ea verò, quoniam quaſi in diſciplinam tradita erat Adamo; & diſcentes, & ſentientes ſeſe indigere ſcientiâ, ipſius tanquam connaturaliſſimæ perfectionis magnum deſiderium habent; ex neceſſitate ad illam ſuper omnia bona temporalia afficiebatur.

Quoniam verò iuſtitia Adami conſtantiam habebat ex æquabilitate corporis; & hæc, in eo quòd ſitum eſſet cor ipſius in medio extremorum; medio autem, & defectus & exceſſus ſunt oppoſiti, ſed magis defectus: diabolo perueniendum erat ad euertendam iuſtitiam, corrumpendo æquabilitatem corporis; & hoc per exceſſum, quia faciliùs erat; vtpotè qui minùs repugnaret naturæ.

Igitur Diabolus affinxit fructui (cuius vis erat nimium alere corpus humanum, & per conſequens accendere illud in venerem) opinionem creandæ ſcientiæ; vt cupiditas ſcientiæ addita dulcori fructus (cu-

ius

ius auiditas maxima est in pubertate *iuuenibus*, magis verò puellis) daret vim corrumpendi in eâ timoris Dei; quod & successit.

Neque mirum si fœmina accensa in venerem, cucurrit ad maritum, voluptatem, seu quod illa tum adhuc sentiebat, bonitatem fructus, testatura, & eidem communicatura: aut si ille nouâ specie fæminæ, oculis, ore, & totius corporis floridiori habitu ab esu fructûs concepto, blanditiisque quæ in simili ardore abundant, victus, & quasi sensu emotus, ipse quoque de fructu comederit, & in similem ardorem inciderit, permotus ab amabilissimo objecto corporeo à mente eleuato.

Neque dubium esse potest, quin si parentes in eâ corruptione corporis prolem generauerint, similem corporeæ dispositionis inæqualitatem in eam fuerint traducturi. Et quoniam ipsa anima rationalis, est forma corporis; & per consequens ex necessitate apta, & proportionata corpori; necesse erit eam infundi talem, qualis nata est simili corpore vti;

quare etiam ipſa ex generatione habebit diſtorſionem aliquam, & ineptitudinem ad opera rationis, proportionatè ad corpus.

Hæc diſtorſio quia naſcitur ex actu conuerſionis ad creaturam, neceſſe eſt ipſammet eſſe inclinationem ſimilem; & per conſequens eſſe diſpoſitionem quamdam habitualem ad actum peccati; & habere oppoſitionem cum charitate; ac demùm eſſe quaſi habitum peccati. Habent itaque omnes homines ab Adamo per generationem propagati, ipsâ naſciturâ ſeu naturâ peccatum habituale & priuationem charitatis.

Obiicies, quod ſi anima infunditur omnino proportionata corpori; futuros amentes, & furioſos, etiam quoad animam aliquos.

Reſpondetur, amentiam, & furorem, vel ſignificare omnimodam priuationem rationis per defectum in ipſa ſubſtantia cerebri; & ſic, qui ex ipsa conceptione talis foret, non eſſet homo: vel tantummodo defectum in membris circunſtantibus; & talis debilitas ablatis circunſtan-

tiis (vt in animâ ſeparatâ) jam non eſt, ſed præterit cum corpore.

Obijcies rurſùs, ſi foret talis diſtorſio in naturâ, pertineret ad indiuiduationem animæ; cùm omnia accidentia, quæ concurrunt ad primam productionem, ſignent ipſam indiuiduationem. Quare, manente animâ, non poſſet auferri.

Reſpondetur; imperfectiones naturales non omnes pertinere ad indiuiduationem, ſed eas tantummodo quæ pertinent ad primam actionem, id eſt, ad modum cognoſcendi; cæteras poſſe per mutationes aduenientes tolli, & eſſe qualitates animæ, non ſubſtantiam: & huiuſmodi eſſe quæ circa particularia volita afficiunt hominem, etſi in prima generatione procreentur.

Ex dictis liquet, nihil opus eſſe ponere voluntates omnium poſterorum, in voluntate Adami, ad aſſignandam rationem peccati originalis; maximè cùm nullum appareat veſtigium, neque in ſacrâ ſcripturâ, neque in traditione Hebræorum, alicujus talis conuentionis vel pacti in-

ter Adamum & Deum facti ; & ſit contra expreſſam declarationem Dei, quòd vnus non punietur pro alio.

Et prætereà, ſecundùm naturam voluntas prolis non eſt in parente; cùm cauſa cauſæ non ſit cauſa cauſati ; niſi quatenus & quando facit cauſam cauſare. Pater autem facit filium poſſe velle, non autem actu velle quatenus pater eſt. Quòd autem parens interdum obliget poſteros, eſt ex eo quod ponit ſeu facit eis conditiones in quibus melius eſt ijs taliter operari, & hoc eſt eſſe cauſam volendi ijs. Neque facit hoc tanquam pater, ſed tanquam negotium eorum gerens. Ad hæc neque ex more humano ſatis tractum eſt. Filij enim parentum culpâ non perdunt niſi illa, ad quæ non aliter ius habent, quàm per parentes. Vt ergo filij Adæ culpam, & culpæ pænam contrahant ex voluntate particulari Adæ, non eſt ſecundùm iura humana. Neque intereſt occidi filios aliquando propter culpam parentum ; hoc enim eſt malum quidem illis fieri,

ſed non eos puniri: ſicut ſi pater ſuâ culpâ necatur, fit malum filiis, ſed non pœna.

Adde quod reuerà, Deus eſſet cauſa peccati originalis. Cùm enim voluntas poſterorum non ſit ex naturâ rei in Adamo, non poteſt aliter eſſe in Adamo, niſi quia Deus, in cuius poteſtate ſunt omnium voluntates, vult & conſtituit eas in voluntate Adami; & ex hac conſtitutione, peccatum Adæ eſt peccatum ipſorum: palam eſt itaque ex ſolâ Dei voluntate peccatum Adæ eſſe peccatum filiorum. Item claret non habiturum veram rationem peccati, ſed tantummodò eſſe peccatum per imputationem; quia Deus imputat τὸ naſci à peccatore, illis in peccatum: cùm cætera peccata, & virtutes iis oppoſitæ, & ſpecialiter iuſtitia originalis, conſtitura fuiſſet in poſitiuis perfectionibus, vel imperfectionibus animæ: quare tantundem de peccato originali credendum eſt.

Sed & peccatum originale condiſtinguitur, quaſi aliud peccati genus, à peccato actuali; in hac autem

explicatione, foret peccatū actuale; (quale est vel omissio, vel cùm negligentia imputatur pro actu) idcirco enim ponit hæc sententia, omnium voluntates in voluntate Adami, vt volitio Adami, sit volitio eorum; sed volitio est actus; &, si est peruersa, actuale peccatum.

Tandem peccatum originale censetur causa omnium aliorum peccatorum, & damnationis totius generis humani. Dicere verò peccata cætera ab hoc peccato oriri, absque vllâ causâ secundâ, quæ ad peccatum pertrahat, purè ex eo quòd Deus subtrahat gratiam ex causâ imputatiua; neque naturæ leges, neque benignitatem diuinam, satis propugnat.

LECTIO IV.

De natura & effectis peccati originalis.

VLterius ex dictis accipitur, in quo consistat ratio orignalis peccati; puta in conuersione finali ad

creaturam, prout dicit auersionem seu priuationem conuersionis ad Deum ex corporis inæqualitate ortam; sicut & iustitia originalis dicebat conuersionem ad Deum constantem, ex æquabilitate carnis ortam.

Vnde, prout est peccatum, est principaliter in voluntate; quia sicut peccatum in sua prima significatione, significat actuale; sic habitus peccati significat dispositionem potentiæ ad talem actum: sed quia eadem accidentia, quæ constituunt naturam, faciant eam aptam operationi; hæc dispositio, quatenus pertinet ad constitutionem naturæ, potest dici esse primariò in natura; etsi ratio cur dicatur naturalis, est quia, vel naturâ, id est, generatione, accipitur; vel quia, communis est omnibus, & non ex proprietate singularium ab vno habeatur & non ab alio. Est autem habitus, sicut habitus solùm nominat constantem dispositionem sese habendi secundùm vel secus naturam; vel ad operationem meliorem vel sequiorem.

Quare concupiſcentia non eſt peccatum originale propriè; ſed cauſa diſpoſitiua, & alio modo effectus ipſius; cùm potentiæ materiales, neque poſſint conuerti, neque auerti à Deo formaliter. Dicitur tamen peccatum magis eſſe in carne, quia quomodò eſt in eâ, non eſt protſus auferibilis; cùm ex anima tollatur: vnde dicitur bonum non habitare in carne.

Patet etiam, cur cùm plura peccata parentum videantur ſuas impreſſiones in ſobolem transferre, ſolum tamen peccatum Adæ dicatur in poſteros traduci: quia ſcilicet priuatio originalis iuſtitiæ, ex vi peccati Adæ, facta eſt: vnde aliæ cauſæ acceſſoriæ non poſſunt illam facere: quare tota peccati ratio ab Adamo eſt; etſi quantitas conuerſionis ad creaturam augeatur, etiam ex alijs peccatis. Prætereà ſicut proles non ſemper, neque neceſſariò, eſt ſimilis patri; ſed interdum auo vel patruo; ſic neque peccata eorum ex neceſſitate participat ſicut Adami. Conſequens eſt peccatum originale

in

in ſingulis, & vnum, & æquale eſſe; inæquabilitas enim rationis, communis eſt per differentias; ſicut vnus color, magis color eſt alio, per majorem, vel minorem abundantiam luminis, quæ facit alium rubeum, alium flauum &c. Quare cùm peccatum originale conſiſtat in præcisâ priuatione Iuſtitiæ, quæ erat in Adamo, & nondum erat determinata ad quemquam poſterorum; neque plura in vno, neque inæqualia in diuerſis Adæ poſteris, erunt.

Et hoc quoque ſequitur; peccatum originale transferri in omnes homines, qui naturali modo ex Adamo propagantur, hoc eſt, mediante infecto ſemine: Imò, ſi ex Euâ ſolâ peccatrice ſic naſcerentur, cùm agens naturale, ſecundùm ſubjectam materiam operetur, ſemen Adami mixtum ſeminibus corruptis Euæ, non poterat facere prolem omnino liberam peccato.

Aliter tamen eueniret, ſi miraculosè quis ex carne, vel Adæ, vel Euæ, poſt peccatum ipſorum formaretur. Cùm enim formans, diſpoſitiones,

non ex lege naturæ, ſed ex propoſito ſuæ voluntatis, introduceret; poſſet (abſtrahendo à legibus prudentiæ, & bonitatis) facere prolem, cui anima, ex exigentiâ materiei, foret, vel recta, vel propenſa in amorem creaturæ. Non tamen in eo caſu, propriè eſſet peccatum originale; quia priuatio diceretur dumtaxat reſpectu communis naturæ, non ratione communis originis ex Adamo.

Euidens quoque eſt, quòd cùm peccatum originale ſit conuerſio ad creatum objectum, tanquam ad vltimum finem; eo ipſo faciat tale objectum ſine modo, hoc eſt, intemperanter, amari; & per conſequens, per fruitionem & proſecutionem talis boni, homo diſcedit à medio temperamento quod eſt naturale homini, versùs illud extremum, in quo ſitum eſt objectum, id eſt, versùs non hominem. Quare peccatum originale eſt primus gradus & inclinatio ad mortem. Et quia morbus non eſt niſi inchoatio quædam mortis, etiam ad morbos priùs deducit.

Et quia bona temporalia eiusmodi sint (maximè corporalia) vt eadem non possint haberi à pluribus, necesse est, cùm intemperanter appetuntur à pluribus, (præsertim tanquam vltimus finis, cuius nullus est modus) & omnes satiari non possint, sequi dolores & dissidia; & ex dissidijs, vulnera & cædes, & mortes violentas: palam est itaque etiam hæc mala, ex peccato originali, in humanum genus deriuari.

Ex quibus necessum quoque fit, irrationabiles affectus circa plura, oriri ex irrationabili affectu, circa vnum quodlibet, quod amatur tanquam vltimus finis: vnde ex originali peccato necessum est omnia alia peccata, & passiones, quibus laborat genus humanum, secundùm diuersas hominum constitutiones, esse introductas.

Tandem, quia quò affectus est vehementior circa alios fines, qui non sunt per se fines humanæ naturæ, tantò remissiorem esse necesse est, circa proprium finem, & perfectionem quâ adaptatur suo fini; perfe-

ctio autem per se hominis est scientia; palam est incuriam scientiæ, & per consequens ignorantiam, etiam ex peccato originali, in vitam humanam esse introductam. Atque adeò jgnorantiam,in intellectu; malitiam, in voluntate; infirmitatem, in irascibili; & concupiscentiam, in concupiscibili; à peccato originali esse causata.

LECTIO V.

Quid sit peccatum propriè dictum, seu Actuale.

VLteriùs, quia vita est primum principium quo animal sese mouet ad conseruationem sui; anima autem per amorem vltimi finis mouet sese ad omnes actiones suas; fit animá, quæ non habet amorem illius finis, qui secundùm naturam illi est vltimus, non posse mouere sese ad aliquam actionem, conformiter ad naturam suam; & per consequens non habere vitam. Quare peccatum origina-

le eſt peccatum mortale, ſeu potiùs ipſa mors animæ; & contra naturam homini; & noxium ipſi tum quoad corpus, tum quoad animam.

Iterum, quoniam actio hominis multiplex eſt, quâ peruenit ad vltimum finem; & vna actio magis propinqua vel efficax ad obtinendam illam diſpoſitionem animi, quæ requiritur ad aſſecutionem vltimi finis, (ea eſt charitas) fit, vnam actionem eſſe meliorem alterâ, & vnam virtutem, majorem aliâ; eam ſcilicet, quæ actionis melioris eſt: & diſpoſitionem quæ corrumpit potiorem actionem, eſſe deteriorem; &, quod ſequitur, vnum peccatum aut vitium eſſe deterius alio.

Quia verò virtutes ſunt diſpoſitiones animæ ad eundem finem, proptereà neceſſe eſt, eas eſſe omnes concordes, & compoſſibiles in eâdem animâ; imò & connexionem habere, & trahere ſeſe inuicem, & cauſare ſe in ſubjecto; tum ex propriis naturis, tum ex communi imperio charitatis, & vltimi finis. Sic prudentia, & cauſat reliquas, & ab ipſis

causatur; Iustitia temperantiam, & fortitudinem excitat, & ab illis defenditur; & reliquæ similiter sese mutuò augent, & defendunt.

Quia verò vitia ab omnibus delectabilibus, hominem circumstantibus, temerè causantur ex singulorum ingenio, & non cum ordine ad aliquem communem finem; & comparantur vt extrema ad hominis naturam; extrema autem sunt magis opposita inter sese, quàm cum medio: fit, vitia aliqua esse incompossibilia inter sese, & pleraque non habere connexionem ad inuicem.

Ex his deducitur, rationem peccati, quatenus peccatum est, consistere in priuatione illius dispositionis, quæ deberet esse in animâ affectâ, vel operante circa particulare objectum, quâ conformaretur, mediante comparatione, ad hoc objectum, ad vltimum finem; & hæc priuatio, si sit in actu primo, dicitur vitium; si in actu secundo, peccatum.

Palam est itaque, malitiam peccati esse tantam formaliter, quanta est bonitas oppositæ virtutis; causaliter

verò, quanta eſt bonitas finis vltimi, quo nos priuat. Eſt itaque cauſaliter infinita; vel ſimpliciter, ſi Deus in ſeſe conſideretur; vel certè in genere, ſi conſideretur Dei bonitas, vt nobis per viſionem eſt communicabilis: Cùm enim peccatum tollat viſionem penitùs, tollit illam quanta quanta poteſt eſſe, hoc eſt, majorem & majorem ſine fine.

Dices, malitiam peccati conſiſtere in eo, quòd ſit contra præceptum diuinum; & propter eà eſſe ſimpliciter infinitam. Quia quò celſior eſt perſona quæ contemnitur, eò grauior eſt offenſa: non obedire verò imperio cum ratione mandantis, eſt contemnere ipſum. Cùm itaque dignitas Perſonæ diuinæ, ſit infinita, etiam peccatum omne erit infinitæ malitiæ.

Reſpondetur, quòd cùm omnis regula à ſuperiore præſcripta, cum additione pænæ, & præmij, ſit manifeſtè obligatiua ſub tali pænâ: Omnis autem actio moralis habeat conjunctum præmium, ſi rectè fiat; pænam verò, ſi ſecus: Clarùm eſt om-

nem regulam à Deo de morali actione traditam, esse præceptum; & per consequens, omne peccatum, esse contra præceptum Dei.

Finis autem præcepti, maximè diuini, est, vt benè sit ijs quibus præcipitur. Cùm autem vnum ex bonis humanis, sit obedientia; interdum, præceptum datur ad virtutem obedientiæ in subdito excolendam; & tunc violare tale præceptum, est peccatum speciale inobedientiæ; & est contra dignitatem, & auctoritatem imperantis; & sumit grauitatem suam ex dignitate imperantis, & eminentiâ ipsius supra subditum.

Sed plerumque præceptum est de bono aliquo alio; & auctoritas imperantis non vlteriùs implicatur, quàm vt constet subdito, hoc esse melius; & subditus tùm non contemnit auctoritatem imperantis, sed bonitatem actionis quam reijcit, etsi credat eam meliorem; & talis inobedientia, est solùm materialis; & non habet aliquam grauitatem ex auctoritate imperantis. Quare ratio peccati in communi non trahit

grauitatem ſuam ex dignitate præcipientis.

Alioqui omnia peccata forent paria. Cùm enim auctoritas Dei præcipientis, infinitè excedat omnem comparationem damnorum creatorum, quæ ſunt in diuerſis peccatis; palam eſt, differentiam horum abſorberi in communi ratione; & per conſequens, nullam eſſe imparitatem; finitum enim additum infinito, cùm nullam proportionem habeat, non poteſt facere maius.

Sed neque peſſimi homines, quales ſunt infideles, quia Deum, & Dei mandata ignorant, omnino peccarent; impoſſibile enim eſt, vt contemnant mandatum, quod neſciunt exiſtere, etſi hæc ignorantia ſit culpabilis. Neque obſtat quòd ſciant eſſe contra rationem: cùm enim ratio ſit bonum creatum, præuaricari contra illam, eſt infinitè minùs, & prorſus alterius rationis: vnde peccatum diceretur æquiuocè de peccatis Chriſtianorum, & Paganorum.

Quin, & minimum peccatum plus mali in ſe haberet, quàm maxi-

ma beatitudo hominis afferret boni; quare malè instituta foret natura humana, in quâ simpliciter malum præualeret bono. Quod etiam est impossibile; cùm malum non sit nisi priuatio boni. Vnde vt sit infinitum, debet esse priuatio boni infiniti: cuiusmodi boni natura creata non est capax.

Neque inobedientia esset speciale peccatum; neque obedientia per consequens specialis virtus, si omne peccatum grauitatem inobedientiæ haberet, ex proprio motiuo obedientiæ violato, secundùm communem rationem peccati. Neque blasphemia, & alia peccata specialiter opposita Deo, haberent malitiam maiorem cæteris peccatis, ex eo quòd sint contra Deum.

Sed & in exemplis humanis res non sic geritur; iudex enim in communibus criminibus furti, homicidij, adulterij &c; non premit reum quòd contempserit Regem: neque Rex præiudicium personale sibi factum interpretatur: neque interest reipublicæ vt magistratus doleat, sed

vt curam habeat, & vindictam minimâ cum passione, inferat, & commodissimam.

Adijce, quòd cùm naturæ humanæ conueniat gubernare semetipsam, hoc est, ex causis notis procedere ad suas actiones; contra naturam hominis foret vniuersaliter cogi ad suas actiones, ex auctoritate præcisè imperante, non æstimatis objectorum, & actionum meritis, & dignitate; sicut accidit, quando ex vi auctoritatis actio suscipitur.

Ex Dei quoque parte, cùm ipse nihil faciat, vel præcipiat sui causâ, sed tantùm propter bonum creaturæ; sed neque lædi possit quouis modo per inobedientiam creaturæ; palam est; nullam esse rationem, quare grauius foret peccatum ex eo, quòd præceptum contra illud latum sit ab ipso; cùm ex parte ipsius tantùm habeat vim instructionis, quid bono, vel malo ipsius creaturæ ab eâ agatur.

Adde, quòd inter homines ratio cur obliget præceptum, est, quia homo, cùm non possit per potentiam facere fieri ab alio, quod tamen ab

illo fieri gubernationi ſuæ conuenit; habet voluntatem abſolutam, vt fiat ab alio: Deus autem cùm ſit omnipotens, nullam voluntatem abſolutam poteſt habere inefficacem, ſiue cui reſiſti poſſit; & per conſequens, quæ ſic hominem obliget, vt poſſit violari.

Ex quibus intelligitur, quid ſignificet, quod ſolet dici, grauitatem peccati conſiſtere in eo, quòd ſit offenſa Dei: cùm enim non ſit in Deo formalis voluntas imperandi, longè minùs eſt in eo triſtitia, vel ira propter violationem præcepti (quæ in homine perfecto, & ſapiente, non poſſunt poni) ſed dicitur offenſus, quatenus eſt in diſpoſitione faciendi nobis magna, & vera mala, quales ſunt pænæ inferni; & eſt in hâc diſpoſitione, quatenus nos ſumus in ſtatu, ex quo ſequitur, ex ordine iuſtitiæ ipſius, nos illa incurſuros; hoc eſt, in ſtatu peccati; & ſic peccando, facimus illum offenſum.

LECTIO VI.

De diuisione Peccati actualis in peccatum mortale & veniale.

COnstituto peccati rationem regulæ, non præcepto, esse oppositam; consequio tenetur, quòd cùm artis, vel regulæ plura sunt membra, sic inter sese ordinata, vt non ex defectu contra quodcúmque membrum, sequatur nullitas in toto artificio, sed tantummodò minùs perfectum sit opus: fiat etiam in vitâ humanâ non ex quocumque peccato perdi beatitudinem ex vi talis peccati; & per consequens, tale peccatum non esse mortale; ac proinde, dari aliquod peccatum veniale.

Et quoniam beatitudo in hâc vitâ ex vi charitatis habetur; sequitur, si dentur aliqua peccata quæ non auferant charitatem, seu aliqua peccata quæ non habeant oppositionem cum ipsâ; talia esse venialia: quæ

verò auferunt ex naturâ suâ charitatem, esse mortifera; & secundùm quod peccata aliqua habent, vel non habent hunc effectum, ex ijs quæ per se seu plerumque illa comitantur, sic dici mortalia, seu venialia, ex genere suo.

Cùmque euidens sit, ratiocinationem humanam, breuem & debilem esse; neque posse sese extendere cum curâ ad actiones quaslibet, sed tantùm ad præcipuas quasdam; patet, reliquas inter homines quodammodo leues & non considerabiles esse: & per consequens, defectum in similibus leuem esse: peccata itaque in similibus actionibus, comparatis ad beatitudinis prosecutionem, erunt ex genere suo venialia; vt quæ progressum ad beatitudinem inconsiderabiliter tantùm lædant.

Et quoniam aliquæ actiones, quæ versantur circa materiam ex naturâ suâ considerabilem, propter paruitatem materiæ fiunt inconsiderabiles, quia tam exigua materia non est considerabilis; sequitur, peccatum in similibus actionibus es-

ſe inconſiderabile, & non mortiferum.

Rurſus, cùm malitia peccati ſita ſit in inordinatione quam infert animæ; anima autem (cùm ſit potentia ad intellectionem) maximè deordinetur per reſolutionem falſam vi rationis factam; ſequitur, peccatum quò magis deliberatum, eò grauius eſſe. Quare cùm deliberatio circa rem grauem poſſit eſſe interdum minima, & quaſi amentiæ proxima; continget, actum ex genere ſuo mortiferum, non facere grauem inordinationem in animâ, neque eſſe mortiferum.

E diuerſo, cùm contingat aliquos homines magni æſtimare ea, quæ plerumque negliguntur; poteſt contingere vt peccatum in actione, quæ ex genere ſuo eſt leuis, in tali homine faciat magnam inordinationem animæ, reſpectu vltimi finis; & ſic ſit per accidens peccatum mortale.

Euidens proinde eſt, diſtinctionem peccati mortalis à veniali, non accipi ſecundùm eam connexionem objectorum cum objecto charitatis,

quæ est ex ipsâ rerum naturâ; sed ex eâ, quæ est in intellectu seu cognitione humanâ. Sic enim faciunt deordinationem in ipsâ animâ.

Alioqui enim, cùm omnes res creatæ comparentur ad beatitudinem, tantummodo vt pura media; nullum esset peccatum, ex genere suo, vel ex objecto, mortale. Quidlibet enim externum, ex naturâ rei vel haberi vel perdi potest, absque eo quod beatitas propterea perdatur.

Et è diuerso, nullum peccatum foret nisi mortale. Cùm enim sicut omnis opinio falsa, reuera repugnet primo principio, *quod idem non possit simul esse & non esse*; sic etiam omnis volitio mala, repugnat volitioni beatitudinis; cùm includat aliquam affectionem, quæ non sit integrè causata ex amore beatitudinis. Omne itaque peccatum ex vi objecti foret mortale.

Vnde patet quòd in creaturâ quæ nihil faceret nisi ex perfectâ cognitione, & comparatione immediatâ ad vltimum finem, non potest esse peccatum veniale; quia cùm nullus

defectus

defectus ſit conſiderationis, nihil illi eſt inconſiderabile: & quia perfectè, & vltimum finem, & bonitatem medij, iuxta vires ſuæ naturæ æſtimat; ex neceſſitate, in omni peccato præponit bonum creatum vltimo fini.

Dices, quòd ſi eligatur medium, per quod obtineri poteſt vltimus finis; etſi meliùs obtineri poſſit per aliud; eligens non auertitur ab vltimo fine: quare, etſi hoc faciat eligens ex plenâ cognitione, non propterea peccabit mortaliter; alioquin, etiam faciens peccatum veniale ex plenâ deliberatione, eo ipſo peccaret mortaliter.

Reſpondetur, quòd non externus actus ex ſeſe, ſed quatenus facit internam impreſſionem malam, vel procedit ex eâ; facit peccatum, ſeu habet rationem peccati: neceſſe autem eſt, internam impreſſionem, in eo qui habet perfectam cognitionem, eſſe talem, vt per peccatum elector medij deterioris, afficiatur ad aliquid vltimò, præter id, quod ſecundùm naturam eſt vltimus finis;

cùm vitiosa electio procedat ex amore alicuius, cuius possessio non solùm non petitur propter vltimum finem, sed etiam ex parte diminuit illum: non itaque Deus, sed compositum ex Deo & illo alio amato, est respectu talis agentis vltimus finis.

Neque sequitur in statu in quo sumus, peccantem venialiter ex plenâ scientiâ, propterea peccare mortaliter: cùm enim ipsum esse peccatum veniale, sit inconsiderabile in vitâ nostrâ; fit, quòd etiam si actio sit considerata, esse peccatum veniale; non est considerata, esse aliquid considerabile; & per consequens, neque facta considerabilis, vel peccatum mortale.

Hìs tamen non obstantibus, non potest fieri peccatum veniale, vt quantumlibet bonum sequatur. Vel enim in compositione cum tali bono acquirendo, adhuc manet contra rationem illud agere, vel non: si hoc; ergo jam non est peccatum illud agere, sed magnum bonum: sin prius; palam est, quòd quoniam ra-

tio dictat non esse agendum, non possit agi. Prætereà, si verè est peccatum veniale, læditur per illud consecutio vltimi finis. Cùm itaque, secundùm rectam rationem, omnis actio nostra ex amore, & solo amore, vltimi finis debeat procedere; clarum est, non debere fieri.

Similiter, inducens alium ad peccatum, siue veniale, siue mortale; non peccat grauiùs, quoad speciem malitiæ, quàm si peccatum tale committeret. Quia, cùm grauitas peccati consistat in deordinatione quam infert affectui; clarúmque sit, inducentem ad peccatum, non intendere majus malum proximo, quàm in sese susciperet, tale peccatum perpetrando; clarum quoque est, speciem deordinationis, esse eandem in peccante, & inducente ad peccatum.

Neque officit, quòd majus damnum inferat proximo, quàm si illum occidisset. Inordinatio enim animæ, non sequitur naturam damni, prout in sese est; sed prout in apprehensione nostrâ est: palam autem est,

inducentem, non adeò horrere (ex vsitata generis humani, & quasi connaturali apprehensione) malum peccati, quàm malum mortis; & per consequens, majorem futuram inordinationem, si occidere eum vellet, vel induceret ad homicidium, quàm cum inducit ad leuius peccatum.

LECTIO VII.

De pluribus alijs diuisionibus Peccati.

VLteriùs, ex dictis accipitur, diuisionem peccati in mortale & veniale; non esse generis, in species; sed vocis, in plura significata subordinata; siue analogi, in analogata, vt loquuntur; cùm peccatum veniale verè non sit contra regulam, sed sub regulâ: peccatum vero dicitur actio contra regulam facta; & talis est peccatum mortale.

Vnde neque peccatum veniale est verè offensa Dei. Cùm enim maxi

mum donum Dei, ſit beatitudo & charitas, ſeu ordo ad eam; quæque non dantur homini propter alios, ſed propter ſe; clarum eſt, Deum eſſe amicum, & non offenſum, his quibus ea dona communicat. Cùm itaque, peccatum veniale non auferat charitatem; non verè facit offenſum Deum.

Euidens quoque eſt, diuiſionem peccati in actuale & originale, eſſe analogi in analogata. Cùm enim peccatum (cùm ſit defectus à regulâ) nominet actionem; in actuali autem peccato, ſit vera actio ipſius in quo eſt peccatum; in originali verò, ſolũ habitus, id eſt, vel cauſa actionis peccaminoſæ, vel effectus; (vtroque enim modo, ratio peccati in eo reperitur) palam eſt, peccatum originale non in eâdem ſignificatione appellari peccatum, quo peccatum actuale; ſed in poſteriori.

Diuiſio quoque in peccatum interius & exterius, ſimiliter analoga eſt. Cùm enim homo capax ſit beatitudinis, ſolummodo ſecundùm animam; etiam duntaxat in illâ, eſt

vera, & per ſe, ſiue diſpoſitio & ordo ad illam, ſiue inordinatio. In actibus verò externis, ſiue membrorum, ſiue appetitus, eſt impreſſio quædam & ordo, qualis corpus eſt capax habendæ; quam, euidens eſt non poſſe eſſe ſpiritualem & propriam; quapropter, neque ratio deordinationis in eâ, vniuoca eſt.

Habetur quoque ex dictis, peccatum eſſe maximum malorum quæ homini poſſunt accidere; non ſolùm cauſaliter, ex eo quòd impediat maximum bonum; ſed etiam formaliter, quatenus eſt deordinatio ſupremæ portionis; & hoc, in actu ſecundo. Ex quo etiam fit, quòd ſit cauſa grauiſſimorum malorum, etiam in hac vitâ: inordinatio enim agentis fortioris, neceſſariò facit effectorum maiorem deordinationem.

Neque obſtat quòd pœna peccati, ſit maius malum ipſo peccato: alioqui non foret digna pœna. Cùm enim pœna ſit dolorificum inuito applicatum, & dolor conſequens; patet, dolorificum inuito impreſſum, nondum habere rationem mali, niſi in

actu primo; dolorem verò consequẽtem, saltem in futurâ vitâ, ipsummet esse peccaminosum. Malum itaque quod est pæna vnius peccati, est aliud peccatum; & sic, semper peccatum est maximum malum.

Pænæ verò huius vitæ, sunt motus cordis malo partim cedentis, partim resistentis: vnde si cor non omnino resistat, fit stupor, & non dolor: Sin verò omninò resistat, sic quoque nulla est pæna, cùm cor incongruè non moueatur, neque animus se sentiat malè habere. Quòd autem cor non totaliter resistat, ex peccato originali habetur; & est ex genere peccati; & excusatur, sicut motus indeliberati propter vim causarum impellentium, & infirmitatem carnis.

Habetur consequenter peccatum non esse maius malum, quàm virtus opposita sit bonum; cum virtus opposita habeat causare illos effectus, per quorum priuationem peccatum habet rationem mali. Cum itaque odium causetur ex amore oppositi; effectus autem minor sit suâ causâ,

præſertim æquiuocâ; minus odibile erit peccatum, quàm virtus amabilis. Quare etiam, virtus erit maius bonum, quàm peccatum ſit malum; & conuerſio ad Deum potior, quàm auerſio ſit deterior.

Neque obſtat, quòd interdum vitium oppoſitum auertit à maiori bono, quàm ſit illud ad quod virtus conuertit: ſicut infidelitas auertit à Deo, vt eſt obiectum ſpei & charitatis; ad quod, fides non conuertit. Huiuſmodi enim auerſio, habet ſeſe materialiter & per accidens ad ſpeciem, & ad eam rationem quæ conſtituit peccatum; quapropter & grauitas etiam conſequens, accidentaria eſt.

Inter peccata itaque; quæ ſunt per ſe auerſiua, ſunt grauiora ijs quæ ſunt principaliter conuerſiua: & inter ea quæ ſunt conſequenter auerſiua, quæ ſunt auerſiua à maiori bono, vel magis ab æquali bono, ſunt grauiora. Et hinc eſt, quòd ſpiritualia ſunt grauiora carnalibus; quia ſunt magis amabilia bona ſpiritualia, quàm corporalia. Rurſus, quæ auertunt

tunt à Deo, ſunt grauiora quàm quæ auertunt à proximo.

Porrò, peccatorum analogicè dictorum, veniale, grauius eſt originali, formaliter; cùm veniale ſit inordinatio in actu ſecundo; originale verò, tantùm in actu primo, ſeu in habitu: nemo autem punitur pro habitu, niſi in actum exeat; & actus, potior ſit potentiâ, in ſuo genere. Neque priuat charitate, niſi in eo ſtatu quo actus haberi non poteſt; cùm primus actus rationis, vel conuertat ad Deum, vel mortaliter auertat. Cauſaliter tamen grauius eſt originale; cùm ſit, ex naturâ ſuâ, cauſa mortalis peccati, & damnationis, niſi auferatur.

Peccatum verò exterius, ipſum quidem, ex proprijs rationibus, leuius eſt, interiori: interius tamẽ, grauius eſt propter exterius; non ſolùm propter extenſionem in aliam materiam; ſed etiam quia ipſa præſentia objecti, & exercitium, per ſe loquendo, confirmat animum & affectum in tali deordinatione; ſicut locutio, vel ſcriptio, facit animum at-

tentiorem ad objectum de quo loquimur vel scribimus, quàm faciat sola interna cogitatio.

LECTIO VIII.

De rationibus Naturæ & supernaturalitatis.

VLterius, conficitur ex dictis de peccato Adami, quòd quoniam per ipsum vitiata est æquabilitas cordis in ipso, & posteris eius; agentia verò quæ nata sunt certum effectum facere in subjecto certo modo disposito, nata sint facere alium in subjecto aliter disposito; consequens esse, quæcumque objecta naturalia nata erant facere impressionem iustam in corde Adami æquàbiliter disposito, iam post lapsum, nata esse facere impressionem vel excedentem iustam, vel deficientem ab eâ.

Sequitur, quòd sicut dicimus, lapidi naturale esse ferri deorsum, igni sursum; non quia habeant intrinsecas inclinationes ad ea loca;

ſed quia ex vi circunſtantium cauſarum, quas naturam appellamus, ſic videmus, plerumque, & conſtanter ferri; ſic dicendum ſit homini æquè naturale eſſe peccare, quàm ægritudinem vel mortem pati; quia natura, id eſt, objecta & cauſæ circunſtantes, conſtanter peccatum in eo procurant; quicquid ſit de intrinſecâ inclinatione.

Infertur, quòd ſi Deus aliquo modo immutat naturam, id eſt, cauſas circunſtantes, vt iam impellant hominem ad virtutem, & non ad peccatum; quoniam talis immutatio non eſt naturalis, & tamen eſt ſecundùm naturam; ex neceſſitate eſſe ſupernaturalem; & effecta quæ in ipſo homine fiunt ex tali immutatione, eſſe ſupernaturalia.

Clarum itaque eſt, rationem naturalis, non conſiſtere in eo quòd aliquid ſit debitum naturæ. Cùm enim natura (ſi accipiatur pro ſubſtantiâ hominis) nata ſit ſecũdùm diuerſas circũſtantias, diuerſas qualitates & actus habere; nihil definitè poteſt ei deberi; ſed in vnis

circunſtantijs vnum, in alijs aliud: ſicut ſemini, ſecundùm quòd in diuerſis terris plantatur, accidit diuerſas plantas accidentaliter, vel interdum ſubſtantialiter, germinare; & Adamo aliud ante lapſum, aliud poſt lapſum, congruebat.

Sed & quid magis debitum poteſt eſſe homini, quàm conſecutio vltimi finis; ſi proportio ad ſubſtantiam ipſius ſpectetur; cùm ad, & propter, illum creatus ſit; ſicut cultellus fit ad ſecandum, & rota ad voluendum. Quare & viſio Dei, & omnia neceſſaria ad illam, forent maximè naturalia, quæ tamen maximè ſupernaturalia cenſentur.

Et è diuerſo, mors, & ægritudo, & peccata, & vitia (cùm ſint oppoſita naturæ; & per conſequens minimè debita illi ex conſideratione ſubſtantiæ illius) deberent eſſe ſupernaturalia, cùm vincant & ſuperent naturam, & non ſint debita: quæ tamen, eſſe naturalia, in eo ſenſu quo natura ſupernaturali opponitur, omnes apprehendunt.

Rurſus, cùm nomen debiti, inclu-

dat aliquem esse debitorem; significabit aliquam obligationem in Deo ad tribuenda illa quæ dicuntur naturalia. Quod dupliciter absurdum est; quia neque obligatio in Deo potest esse; & quia, omne pactum cum naturâ, vel impossibile est, vel fictitium.

Si autem illud dicatur debitum naturæ, quòd cùm pertineat ad perfectionem, potest de eâ, vel in eâ, fieri; sic rursus, omnia supernaturalia, erunt illi naturalia; &, vno verbo, quicquid Deus potest in eâ, vel de eâ. Quare euidens est, in hac explicatione sumi naturale, pro eo quod est connaturale, vel secundum naturam; & non, prout opponitur supernaturali.

Similiter euidens est, non rectè explicari supernaturale esse, ad quod natura nullum omnino respectum habeat. Nam & necessariò respectum habet ad omnia quæ nata sunt illam perficere; qualia maximè sunt supernaturalia: & cum omnis vnitas compositionis formalis, sit per rationem actus & potentiæ; palam

est, id non posse esse actum & perfectionem naturæ, ad quam natura non habeat rationem potentiæ; seu non possit esse illud: & per consequens, nihil supernaturale (si hæc explicatio teneatur) posse adijci naturæ.

Longè minus, ratio supernaturalitatis potest fundari in Deo. Inprimis enim, ipse non est ens supernaturale, neque sibi, neque creaturis; cum tota earum natura, maximè intrinsecè, & fundamentaliter, ab eo dependeat; & non possit esse sine ipso; & per consequens, si aliquid potest ab ijs exigi, hoc primum est, vt sit Deus à quo esse possint, & sint.

Neque potest distingui in Deo ratio vna quâ sit auctor naturæ; & alia, quâ supernaturalium. Cum enim existentia sit propriissimum nomen Dei; existentia erit maximè supernaturalis ratio: & cum essentia diuina infinitè superet quamcumq; creaturam; essentialis ipsius ratio non potest specialiter participari; sed omnis participatio, respectu ipsius, est

æqualis; Et priùs definiendum est, quid sit esse supernaturale, siue in quo supernaturalitas fundata sit, quàm possit poni ratio aliqua esse supernaturalis in Deo. Sed & cùm Dei essentia sit vna simplicissima formalitas, à quâ omnia procedunt; frustra quæritur in eo distinctio formalitatum, à quâ procedat distinctio in creaturis exemplariter: cùm è contra, distinctionis ratio, vtpote imperfectionis, à creaturis traducatur ad Deum.

Rursùs tandem, qui considerauerit sanctos Patres & Doctores, qui supernaturalium & naturalium donorum doctrinam tradiderunt, respexisse ad ea quæ viderent â Deo peculiariter instituta pro electis; & ea quæ in omnibus hominibus communiter inuenirentur; & non ad Metaphysicas considerationes, ad quas non sine multo studio peruenitur: Clarè intelliget, eos non ex naturæ ratione in aëre consideratæ, vel ex ignotâ quâdam ratione in Deo; sed ex ijs quæ diximus, quæque obuia sunt omnibus Christianis pruden-

rioribus, hanc diſtinctionem traxiſſe.

Ex quibus ſequitur, non eſſe ponendum quendam ſtatum naturæ humanæ, medium inter naturam integram & naturam lapſam, qui ſit quaſi proprius naturæ ſtatus ſecundum ſe: quia talis conſideratio, eſt omnino indefinita; & non habet aliqua accidentia, ſibi propria; neque, ſecundùm talem conſiderationem, definiri poteſt, quid ſit naturale, quid ſecus; ſed ex cauſis circunſtantibus, quæ integrant ſtatum mundi in quo degimus.

Vnde, quoniam natura nobis dicitur, hic præſens ſtatus cauſarum ſecundùm quas regitur noſtra vita; ſimpliciter affirmandum eſt, ſtatum naturæ integræ fuiſſe ſupernaturalem; etſi dona illa fuerunt connaturalia illi ſtatui creationis, acceptæ ſecundùm regulas prudentiæ & bonitatis diuinæ, ſemper optimum operantis; poſtquam ſic credimus eſſe creatum hominem.

Quod tamen non impedit, quin aliter creari potuerit homo, comparando naturam hominis ad ſolam

vim creatiuam Dei, & abstrahendo ab illis considerationibus, quæ eam determinant ad faciendum quod est optimum. Quod est, simpliciter potuisse creari aliter; cùm ratio potentiæ, abstrahat ab illis circunstantijs quibus reducitur ad actum.

LECTIO IX.

De comparatione supernaturalitatis & Gratiæ.

EX ratione supernaturalitatis assignatâ, facile est videre rationem ipsius sese extendere fermè ad totam latitudinem entis; tam ad corporea, quàm ad spiritualia; ad bona & mala; ad entia & non entia. Necesse enim est, priuationes supernaturalium, esse supernaturales. Sic, mors & pœnæ inflictæ diuinitùs, sunt supernaturales; & peccata, maximè quæ supponunt fidem, vt blasphemiæ, & certi sacrorum abusus.

Non tamen potest, propriè loquendo, esse substantia aliqua super-

naturalis. Cùm enim ſit natura quædam; & non accidat alteri; non poteſt à cauſis circunſtantibus, neque dari, neque negari. Sed hoc de ſubſtantiâ perfectâ, non de omni ſubſtantiali prædicato, intelligendum eſt. Parti enim, vel ei quod ſe habet tanquam pars, dari poſſibile eſt.

Si verò quæratur, an ſubſtantia creabilis ſit, cui connaturalis ſit viſio Dei; ſic ex ſupra dictis conſtare poteſt, non poſſe creari aliquam intellectualem, cui non ſit ſecundùm naturam videre Deum: ſin addatur, ex proprijs viribus; vel intelligitur, non à Deo datis; & ridicula erit quæſtio; vel ſupponitur, certas circunſtantias ei debitas eſſe, contra ea quæ ſupra dicta ſunt. Sed & ſi quæ forent debitæ, certè forent quæ illam ad finem vltimum perducere valerent.

Patet rursùs ex communi ratione ſupernaturalitatis, non requiri eleuationem aliquam intrinſecam, à parte operantis actum ſupernaturalem; ſed dumtaxat extrinſecam ordinationem ad aliquod obiectum, quæ

ex viribus naturæ haberi non poterat. Vt, quoniam Lazarus non potuit suscitari naturaliter; supra naturam, erat ordinatio, quâ Iudęi cum Magdalenâ sunt perducti ad illud spectandum; absque eo quòd aliqua intrinseca eleuatio supernaturalis, ijs adhibita fuerit.

At si ponenda est actio excedens vires agentis, ab eo fluere, ponenda quoque est intrinseca mutatio, vel constans, vel per modum motionis. Vt, si ab imperito Musices fluat melodia; vel mouetur potentia ipsius immediatè ab extrinseco agente; vel qualitas ei impressa est, quâ factus sit potens canere. Quia, sicut, idem manens idem, non est aliud; sic, neque est, vnde aliud possit esse, quàm ex ipso natum est esse: & sicut extrinseca voluntas Dei, absque intrinsecâ mutatione, non facit vt sit aliud; sic neque vt possit aliud, vel agat quod non possit.

Non tamen ponenda est motio præuia, vel eleuatio, ad hoc vt possit à Deo recipere impressionem supernaturalem; quia eâdem ratione re-

quireretur ad hanc eleuationem, alia prior; & ſic in infinitum foret proceſſus. Deinde, clarum eſt, poſſe tale quid fieri ex illo, non eſſe aliud, quàm ipſum eſſe quod eſt: cùm, *τὸ ex illo*, dicat illud ipſum eſſe potentiam paſſiuam effectus.

Quæres, an talis potentia ſit dicenda naturalis, an ſupernaturalis? Reſpondetur eſſe ſupernaturalem, ex eo quòd effectus eſt talis. Neque refert, quòd ſit ipſa natura rei, & accipiatur cum ipsâ naturâ à cauſis naturalibus; quia cauſæ effectum naturalium, prout diſtinguuntur à ſupernaturalibus, comparantur ad ſubiectum, vt ſui ordinis, ſeu coinſtitutum in hoc ordine mundi, *id eſt*, naturæ: & ipſum in hoc ſenſu non dicitur naturale, niſi vt comparatum ad eas. Sed cauſæ ſupernaturales ſupponunt naturales, vt in quibus fundantur: neque ſubiectum comparatur ad eas, niſi ſuppoſitis naturalibus. Vnde hæc potentia fundatur in naturâ; & præſupponit illam; ſed non accipitur niſi ex poſitione cauſarum ſupernaturalium. Quibus ſuppoſitis, quod erat

tantùm natura, iam eſt potentia ſupernaturalis; hoc eſt, coordinata cauſis ſupernaturalibus.

Vlteriùs ex dictis habetur, dona ſupernaturalia, cùm non habeantur ex virtute cauſarum naturalium, haberi ex ſpeciali fauore Dei, non communi omnibus, quatenus participant naturam; & (cùm fauor ſpecialis vocetur *gratia*) haberi ex gratiâ. Quare cùm fauor Dei, ſeu beneuolentia ipſius, ſit ipſe Deus; gratia hoc modo dicta, eſt cauſa extrinſeca donorum ſupernaturalium; & eorum effectorum, quæ ex ijs ſequuntur; nempe, ipſemet Deus.

Quia verò conſuetum eſt vocare effecta, nomine ſuarum cauſarum; etiam ipſa bona ſupernaturalia, meritò dicuntur gratiæ. Quæ, quoniam dantur ad perducendum hominem ad beatitudinem (ad quam conſequendam, impotens redditus eſt per lapſum Adami) aliæ, neceſſariæ ſunt ſingulis ad eum finem perducendis; aliæ verò, ijs ſolis qui idonei ſunt alijs perducendis. Et hæ, quia non faciunt habentes meliores, dicuntur

Gratiæ gratis datæ; quasi, nihil vltrà habentes gratiæ, quàm quòd sint gratuitæ: cæteræ verò, gratiæ cum addito, *quòd suo modo faciant subiectum gratum Deo, vel sanctum.*

Quapropter, hæc imprimis differentia inter rationem supernaturalitatis, & gratiæ apparet; quòd nomen supernaturalitatis, extendit sese æquè ad bona & mala; verbi gratiâ, ad pænas inferni, & quædam peccata specialia quæ includunt fidem, vt periuria quædam & blasphemiæ: nomen autem gratiæ, dumtaxat ad bona; cùm ex beneuolentiâ speciali Dei, quatenus talis, nil nisi bonum proficiscatur.

Rursus, ratio supernaturalitatis, cùm sit mera contrapositio contra processum à causis naturalibus, potest reperiri in actione, etiam quatenus procedit ab homine, saltem eleuato. Ratio vero gratiæ, quia intrinsecè includit respectum ad Deum donantem, reperitur in actione hominis, præcisè quâtenus originem habet à Deo; non autem ab ipso homine: & propterea, quatenus aliquid

est ex gratiâ, non est ex merito, vel aliâ causâ præter Deum; neque ex iustitiâ Dei, quia hæc supponit causam extrinsecam Deo.

Tandem, clarum est hominem, à quo procedit effectus aliquis supernaturalis, posse esse & dici causam principalem talis effectus, prout est supernaturalis: quatenus autem idem effectus habet rationem gratiæ, sic tantùm esse causam instrumentalem. Cùm enim supernaturale accipiatur respectu aliarum causarum creatarum, si homo habet aliquam qualitatem quam illæ nequeant tribuere, verbi gratiâ, scientiam supernaturalem, poterit agere vt causa principalis, v. g. docere aliquam conclusionem æquè principaliter atque aliam naturalem. Cùm verò gratia nominet effectum vt procedentem à Deo, homo non potest esse aliud quàm instrumentum gratiæ; cùm nominet effectum, prout non à nobis.

LECTIO X.

De Gratiâ sanctificante, & virtutibus supernaturalibus.

GRatia, cùm ad hoc nos perducat, quatenus sanctificans est, vt rectè dispositi simus ad vltimum finem consequendum: hoc autem, formaliter præstet charitas: palam est, gratiarum quæ ad sanctificationem nostram spectant, potissimam esse charitatem. Alias proinde, vel esse ante hanc, vel eam subsequi; & ad dispositiones, vel effecta, reduci.

Euidens quoque est, charitate hominem fieri consortem naturæ diuinæ: siue, quia charitas est semen, & propriè dispositio, ad visionem beatificam; per quam verè reddimur participes ipsius Deitatis per vnionem ad illam: siue, quia cùm prima & quasi specificans actio cuiuslibet cognoscitiui, sit primus amor; per charitatem verò, primus amor noster, est circa idem obiectum cir-

ca

ca quod est primus amor Dei; meritò censemur, naturæ ipsius consortium habere per charitatem.

Superflua ergo est qualitas, quæ sit quasi essentia & radix charitatis, & cæterorum donorum supernaturalium. Charitati enim, talis radix non est necessaria: cùm, etsi non naturale, tamen secundùm naturam sit, amare Deum tanquam vltimum finem. Et alioqui, hæc explicatio est purè Logica; & nihil includens particulare, ex quo quæ sit qualitatis natura intelligi possit.

Sed neque in naturâ, est fundamentum aliquod analogiæ huius in supernaturalia transferendæ; cùm proprietates, & accidentia, in naturâ, non sint aliud quâm determinationes & modificationes ipsius substantiæ cuius sunt; vel certè, denominationes sequentes comparationem substantiæ ad alia quæ circunstant eam.

Neque potentia actiua, potest distincta esse à substantiâ, seu subiecto, cuius est. Cùm enim vnumquodque agat quatenus est actu; non est aliud,

esse potentiam actiuam, quàm esse multum actu: sic, vir est actiuus similis sui, præ puero; & minimus ignis, non est vstiuus, sed aliquantus. Cùm itaque substantiæ, & primo actui, competat esse magis actu; etiam illi competit esse actiuum.

Rursus, si foret aliqua radix supernaturalium dispositionum; deberet esse naturæ cuiusdam supernaturalis, id est, diuinæ. Quare, cùm primum nomen Dei, sit *Esse*, vel *existentia subsistens*; etiam hæc radix, vel existentia deberet esse, vel vis aliqua suscipiendi existētiam quatenus propria est Dei; hoc est, existentiæ subsistentis; & sic, foret substantia, & non qualitas.

Obijcies, quòd cùm virtus sit dispositio perfecti, id est, dispositi secundùm suam naturam; necessum est intelligi ante virtutem, rationem naturæ secundùm quam disponat virtus; sic itaque, cùm charitas sit virtus, necesse est præintelligi aliquam naturam, respectu cuius recta sit dispositio; cùm itaque sit virtus supernaturalis, naturam supra naturam præsupponit.

Reſpondetur, quòd cùm eadem res, intelligi poſſit primò imperfecta, poſtmodum perfecta; non neceſſe eſt, quod præſupponitur virtuti eſſe diſtinctum ab eâ, aliter quàm incluſum ab includente, ſicut neque vir diſtinguitur à puero, neque calor vehemens à modico, niſi vt amplius de eodem: ſic quoque actus voluntatis nõ aliter diſtinguitur ab actu intellectus perfecto. Poteſt itaq; dici, quòd charitas præſupponit intellectum rectum, ſed debilem; ſicut reuerâ ſupponit fidem, quæ dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*; id eſt, hominis quatenus ad ſupernaturalia eleuati.

Sed & charitas, rectè dicitur eſſe diſpoſitio ſecundùm naturam hominis. Non enim ex eo quòd eſt ſupra naturam, propterea non eſt ſecundùm illam, ſeu connaturalis: imò, cùm ſit diſpoſitio ipſius ad finem propter quem creata eſt, neceſſariò eſt ſecũdùm illã; ſicut diſpoſitio cultri ad ſecandum, non poteſt non eſſe ſecundùm naturã cultri; ſicut etiam fides, non poteſt non eſſe ſecundùm principia intellectus; alioqui, non

foret virtus intellectualis.

Ex quo accipitur, non dari aliquam charitatem naturalem; seu, quòd homo, ex puris viribus naturæ, possit diligere Deum, super omnia. Palam enim est, quòd sic diligere Deum, est diligere illum propter se; & per consequens vt vltimum finem; hoc est, quantum amabilis. Clarum quoque est, Deum habiturum dupliciter rationem vltimi finis, respectu hominis; siue, distinguendas esse in Deo rationes duas, seu bonitates finales, hoc est assequibiles; secundùm vnam quarum, sit finis naturæ; secundùm alteram, finis supernaturalium motionum. Quod est ponere duas rationes Deitatis.

Præterea, si Deus dupliciter habeat rationem finis, respectu hominis; vel, vna ratio subordinatur alteri, vel non: si subordinatur; eo ipso non est vltimi finis ratio; sed quodammodo habet rationem medij, & amor ipsius, est modificabilis secundùm illum alterum cui subordinatur: Si non subordinatur, erit natus absolutè trahere voluntatem humanam;

&per cōſequens, erit vera Beatitudo.

Sed & Intelligentiæ, & animæ ſeparatæ, quæ habent plenitudinem cognitionis Dei, vt eſt author naturæ; non poſſent tantum bonum poſthabere alteri bono; ac per conſequens, perfectè illi inhærerent, & verè beatæ forent, & nulla earum poſſet eſſe miſera. Et ſi forent, non culpâ ſuâ, ſed merito & bonitate ſuâ; quia totis viribus concupiſcerent viſionem Dei, quam non obtinerent; & hoc, ex voluntariâ negatione Dei, cum ipſæ optimè forent diſpoſitæ. Adde quòd ſi duplex eſt charitas, duplex eſt aſſequendum pro fine vltimo; duplexque aſſecutio Dei. Sed ſola clara viſio eſt aſſecutio Dei. Non itaque duplex eſt charitas.

Protinus clarum eſt, charitatem ex naturâ ſuâ inductiuam eſſe omnium virtutum quæ morales appellantur. Cùm enim ſit amor vltimi finis; patet, omnes, & ſingulas actiones, quæ ex intuitu boni & vltimi finis aguntur: ex vi ipſius fieri; & tales fieri, qualiter ad conſecutionem vltimi finis oportet, ſeu optimè

natæ ſunt fieri. Quare cùm diſponi rectè ad vltimum finem, ſit rectè diſponi ſecundùm naturam; ſeu, eſſe virtute affectum; clarum eſt, nos ex charitate fieri ſecundùm omnes actiones noſtras, & quod ſequitur, ſimpliciter, virtuoſos ſecundùm omnes virtutes.

Ad hæc ſequitur, non eſſe alias virtutes naturales, quàm has, quæ vocantur, & ſunt, ſupernaturales: ſi enim ſunt, cùm ex neceſſitate ſint ſubordinatæ vltimo fini, ab eo regulantur: vel itaque eodem prorſus modo, quo hæ in iiſdem circunſtantiis; vel diuerſo. Si eodem, cùm & actio & motiua ſint eadem, ex neceſſitate virtutes ſunt eædem: ſi diuerſo; cùm finis, & circunſtantiæ, ponantur eædem; Idem finis, manens idem, ponetur ſe habere diuerſimodè ad prorſus eadem.

Tenetur itaque, virtutes, quæ abſque charitate exercentur, & appellantur virtutes; non eſſe verè tales; ſed participationes quaſdam virtutum: cùm non ſint ſimpliciter diſponẽtes hominem ſecundùm naturã, ſed ſecundũ ali-

quam partem naturæ; seu bonum quod non est simpliciter bonum hominis, sed bonum Reipublicæ, vel alius finis particularis: neque dicendas esse morales, quæ regulent actionem vt actionem; id est, quatenus hominis; sed quatenus talis hominis; id est, ciuis, vel militis, &c.

LECTIO XI.

De ijs quæ dicuntur per se bona, vel mala.

OBijcies, virtutes morales, esse per sese bonas & conformes naturæ, quatenus rationalis est; & habere ex & in seipsis decorem & pulchritudinem quamdam, propter quam mereantur à naturâ rationali appeti & exerceri. Quare erunt veræ virtutes, etiamsi independenter à charitate exerceantur, saltem modò non contra illam exerceantur; quod etiam est impossibile: non enim aliquo modo illi opponuntur.

Respondetur, quod cum anima spiritualis sit verè forma corporis, & pars hominis; etiam quatenus aliquod bonum amat homo, patet bonum ad eam dupliciter comparari: aliud enim natum est facere sui amorem immediatè, siue sine aliquo discursu medio; aliud verò operatur in illam, ostendendo sese bonum mediante aliquo discursu.

Et euidens est, quicquid facit sensationem conuenientem corpori, facere etiam amorem sui immediatè cum, facere sensationem, sit facere cognitionem; & facere sensationem congruentem, sit facere cognitionem boni, siue congruentis sibi applicitі. Qualis sensatio, vel est amor; vel ex ipsâ fabricâ corporis, amor (id est, motus cordis circa tale bonum) eam sequitur; si illum velimus amorem nominare.

Cùmque palam sit, nihil in hac vitâ afficere animam, nisi mediante corpore & sensu; fit, nihil posse sui amorem immediatè facere, nisi faciat congruam sensationem. Cum enim congrua sensatio, ad hoc data sit

ſit,vt operatio ſit delectabilis; & per conſequens, & fortis & frequens; corpus autem propter animum factum ſit, & conforme ei; neceſſe eſt ipſum ſic eſſe fabricatum, vt faciat animæ proficuas operationes, magis fortes & frequentes, quàm eas quæ ſibi proficuæ ſunt. Quare neceſſe etiam eſt, vt congruam ſenſationem faciant earum objecta.

Sunt igitur quædam, ſiue res, ſiue actiones, quæ habent conformitatem ad hominem, vel ſecundùm animam, vel ſecundùm corpus; & dicuntur bona per ſe; id eſt, habentia vim mouendi amorem, abſque ope alterius. Sed quoniam cum hoc conſiſtit, quòd poſſint eſſe incompoſſibilia cum alio, quod habeat vim magis mouendi; poſſunt hæc reijci. Habent itaque hæc bona, indifferentiam quandam ſuæ bonitati admixtam; & per conſequens, non ſunt abſolutè actû bona; ſed quodammodo in potentiâ.

Patet proinde, decorem illum virtutum moralium, de quo in argumento eſt ſermo; cùm non ſit aliud

quàm communis quædam conformitas ad naturam rationalem, quæ possit stare cum difformitate simpliciter; tantummodo esse vmbram boni; & non veram bonitatem; etsi habeant quendam gradum & accessum, & quasi participationem, conformitatis ad rationem.

Hoc interea conclusum est, & bona corporis, & hæc simulacra virtutum, esse dicenda in potentiâ per se bona; id est, conformia naturæ in abstracto; & nata facere amorem ex se: & magis illas virtutum imitationes; quia conformitas illarum ad hominem, est secundùm portionem nobiliorem, & secundùm quam magis est homo; quare & ipsa conformitas, seu bonitas, est major.

Immò, ipsa delectatio non minùs est per se bona; cùm clarum sit, eam irritare naturam ad repetendam actionem. Quare & corporalis est sectanda propter ipsum bonum corporis; & ea quæ sequitur talem actionem spiritualem, etiam magis quàm ipsamet actio spiritualis; quia disponit & adiuuat ad virtutem veram,

æquè atque ad ſimulacrum. Quare cùm clarum ſit; delectationem facere amorem ſui; in eodem ſenſu, quo ipſa bona dicuntur bona, etiam voluptas bona erit.

Huiuſmodi tamen bona, qualitercunque dicta, comparatione ad beatitudinem non ſunt bona; ſiue quia infinitè ſuperantur; ſiue quia habent puram rationem mediorum, reſpectu beatitudinis; & ſolius ipſius gratiâ, ſunt vltimatè diligenda.

Accipiendo modò vocem *boni per ſe*, pro bono quod vitiari non poſſit; hoc eſt, non poſſit eſſe quin ſit bonum; ſic, quoniam homo natus eſt ad viſionem Dei, ſicut culter ad ſecandum, patet viſionem Dei neceſſariò eſſe taliter bonum. Deinde, charitatem perfectam. Illa enim, cùm ſit optima diſpoſitio, non poteſt eſſe incompoſſibilis cum majori ſe, vel aliquo faciente meliorem diſpoſitionem.

Rurſus, tale bonum eſt virtus actualis; iſt eſt, actio cum virtute facta. Quia enim eadem actio non reuertitur bis, neque poteſt eſſe in alijs

circunstantijs quàm in quibus fit; conficitur, talem actionem nunquam posse vitiosam euadere.

E contrà, mala per se, quæ in nullâ circunstantiâ possint rectè fieri; sunt, auersio à Deo vt vltimo fine; conuersio ad creaturam vt vltimum finem; & si quæ actiones sunt ita cum his connexæ, vt non possint fieri, nisi ab his, vt causis, procedant. Et tandem, omnis peccatio actualis. Hæc enim, cùm ordinem ad vltimum finem peruertant, nullo modo sunt meliorabilia.

Ex quibus conficitur, omne quod prohibetur à Deo, esse prohibitum quia malum; & è contrà, omne quod ab ipso mandatur, esse præceptum quia bonum. Cùm enim Deus faciat hominem propter semetipsum, seu propter finem qui aptissimus est ipsi, & sit pura ratio; non habet aliam rationem imperandi quicquam, nisi ex eo quòd sit idoneum ad perducendum hominem ad hunc finem; neque prohibendi nisi contraria. Sed hæc, sunt eo ipso bona; illa, mala. Quare, bonitas & malitia actionum,

est causa imperij vel prohibitionis diuinæ, prout creatæ quædam actiones sunt.

Neque hoc impedit, quin plura possint dici mala, quia prohibita. Nos enim vocamus mala, quæ apparent nobis, esse contraria bono humano; hoc est; quæ de propinquo nocumentum inferunt; quæ verò malitiam longè positam habent, eorum malitiam non dispicimus, & proinde indifferentia arbitramur. Quæ tamen, secundùm prouidentiam quâ regimur à Deo, sunt mala; & idcirco prohibita. Nos verò, mala putamus, quia prohibita: & ea tantùm prohibita, quia mala; quorum malitia, in propatulo est.

Vnde infertur, præcepta cæremonialia, iudicialia, & quæcumque alia antiquæ legis; verè fuisse de rebus idoneis, non solùm illi populo, prout ille populus specialis erat; sed multò magis, prout erat seminarium generis humani, mediante quo Deus naturam humanam præparabat ad legem gratiæ; in qua, humana natura futura erat in illâ perfectione,

cuius capax est in hâc vitâ; quâ veniente, cessabant esse sic bona.

LECTIO XII.

De connexione virtutum, & oppositione vitiorum ad charitatem.

QVandoquidem verò boni & mali ratio in actionibus nostris, ab habitudine ad vltimum finem accipitur; patet omnium virtutum rationem, à charitate accipi, vt in eo consistat species cuiusque virtutis, vt sit talis dispositio animæ circa tale objectum, qualis à charitate nata est fieri; seu qualis conuenit charitati alendæ & propagandæ. Est itaque charitas, regula aliarum virtutum, determinans eis speciem; quod est esse formam extrinsecam reliquarum virtutum.

Rursus, quoniam homo, à bonitate finis, mouetur ad exequenda media; cæterarum autem virtutum actiones comparantur ad charitatem, tanquam executiones medio-

rum ad amorem finis; euidens iterum est, quòd charitas est principiũ, quo homo sese mouet ad & secundùm reliquas virtutes. Quare est quodammodo vita earum; & illæ, sine charitate, mortuæ.

Sed & quia virtus est vltimum potentiæ; id est, actio potentiæ, optimè seu perfectè se gerentis; & distinguitur contra alias dispositiones rectas, sed imperfectas, vt vir contra puerum; patet, fidem & spem, citra charitatem non esse virrutes; cùm sint iudicia imperfecta, quæque non possint facere subjectum operari secundùm naturam suam & ipsarum, etsi ad suos actus aliquo modo reducantur. Et idem est de quibuslibet alijs dispositionibus præuijs ad charitatem.

Dispositiones verò quæ ex vsu virtutum moralium manent ablatâ charitate; cùm non possint esse formaliter habilitates ad operationes quatenus ex charitate procedunt; (tales enim non possent manere post charitatem, neque operari sine ipsâ, neque non includere ipsam)

palam est, esse duntaxat dispositiones ad illum materialem ordinem, quem charitas introducebat; qui, cùm in alijs circunstantijs non sit natus poni à charitate; patet has dispositiones ex naturâ suâ posse operari non rectum; & per consequens, non esse virtutes; etsi supernaturales sint, vtpote specificationem recipientes à charitate.

Ex his fit; quòd, si quis ex amore æterni boni, vitæ suæ rationes instituit, semel omnes eius partes ex intentione beatitudinis ordinans; omnes actiones ipsius, ad conseruationem talis ordinis, vel ex vi ipsius postmodum factæ, ex vi charitatis referantur in Deum; hoc est, absolutè tota vita, & omnes actiones minimæ ipsius; etsi nihil cogitet de beatitudine, sed tantùm de vitâ secundùm partem aliquam illius ordinis agendâ: cùm hoc fiat in vi ordinis; & ordo, in vi charitatis. Quare, tota vita ipsius ex charitate ducitur.

Quinimo, qui partem aliquam vitæ ad acquirendam beatitudinem

collocat, reliquam ad bona temporalia propter ipsa; sed sic, vt aduertat ne sic afficiatur, vt ea præferat æternæ vitæ; etiam singulas actiones suas ex vi charitatis dirigit ad Deum; quatenus singulæ saltem negatiuè modificantur à charitate, cauente ne quid contra regulam fiat: vt totum carmen à prosidiâ, vel elocutio à grammaticâ, regulatur; etsi de regulis non cogitemus, modò aduigilemus ne in ipso opere quid peccetur.

Constat ex dictis, neque habitum neque actum peccati mortalis, posse consistere cum actu vel habitu charitatis; aut è contra. Cùm enim amor vltimi finis, sit æquiualens vniuersali propositioni; scilicet quod nihil amandum sit, nisi referibiliter ad illum; patet, duos amores duorum vltimorum bonorum, non posse simul consistere in animâ; cùm amor vnius, non sit referibilis ad amorem alterius.

Petes, cur duo aliqua non possint integrare vltimum finem, vt homo constituat rationem vltimi finis in

coniunctione vtriusque? Respondetur, hoc posse contingere; immo vt singula amentur vltimatè propter se. Sed, si aliquod horum sit illud quod verè est finis naturæ; patet, illud non amari sicut tanto bono congruit; & per consequens, non esse sufficientem talem amorem ad illud consequendum, iuxta inclinationem naturæ; neque esse charitatem, talem amorem. Vnde fit, talem amorem plurium, non esse respectu illorum, talem, qualis debetur connaturaliter vltimo fini.

Habetur hinc, quæ peccata sint ex genere suo mortalia. Ea videlicet, quæ sunt affectus illorum objectorum, in quibus prosequendis, homines nati sunt totam vitam suam collocare; & secundùm quæ, status hominum distinguuntur. Patet enim hæc nata esse facere amorem sui per totam vitam; seu tanquam vltimi finis: sic videmus alios potentiam, gloriam, famam, honorem spectare; quorum omnium vitia, ad superbiam spectant; alios, quietem & voluptates sectari, & Luxuriâ, Gulâ, Ace-

diâque peccare ; alios, opibus cumulandis studere ; quos auaros dicimus.

Palam quoque est, eum qui ingentem æstimationem de aliquo bono habet ; eo ipso, credere dignum, vt omnes eandem æstimationem de illo habeant. Si itaque tale bonum sit vltimus finis, cupit vt omnes illud pro vltimo fine habeant. Clarum est itaque, ex vi charitatis, vnumquemque cupere, vt proximi habeāt charitatem; & per consequens, amare proximum sicut semetipsum ; seu, velle illud maximum ei bonum quod sibimet vult.

Consequio hæret, vt non velit; vel inferre illi aliquod malum, vel auferre ab illo bonum, quo fiat vt auertatur ab ingenti hoc bono quod illi optat, nisi fortè sibimet ad consequendam beatitudinem vltimam hoc conducat. Patet itaque, iram quâ malum præter necessitatem infertur ; & inuidentiam, quâ bonum à proximo citra rationem tollitur; ex genere suo, repugnare charitati ; atque adeo, septem peccata ca-

pitalia ex genere suo esse mortalia.

Constans proinde est, hominem tunc esse in peccato mortali, & excidisse charitate, cùm sic affectus animâ est erga aliquod bonum sibi, aut malum proximi, vt illud habere vel facere velit, etiamsi credat se nunquam ad beatitudinem peruenturum, si habeat vel agat tale quid; vel certè negligat an sit peruenturus nècne, modò animo suo obsequatur in tali re vel actione.

Clarum quoque est, peccata venialia non duntaxat non repugnare charitati; sed etiam dum fiunt, à charitate referri in Deum, etsi non quatenus peccata & defectus. Cùm enim actio peccati venialis, habeat ex vi charitatis eam modificationem, vt non sit contra regulam, (sicut de actionibus humanis dictum est) & accipere talem modificationem, sit suo modo esse à charitate; & charitas sit ordo ad Deum; patet, peccata etiam venialia ipsa ad Deum ordinari.

Tantundem verum est, de reliquijs peccatorum mortalium & venia-

lium, & de concupiſcentia, & alijs imperfectionibus quibuſque diſponentibus ad peccatum. Hæc enim omnia, quatenus impediuntur à prorumpendo in peccata mortalia, vel ſecundùm aliquam bonitatem partialem diriguntur ad bonam actionem; eatenus regulantur & diſponuntur à charitate, & fiunt nobis media ad vitam æternam conſequendam.

Non tamen neceſſe eſt, affectus peccatorum mortalium, habere eandem vim in actiones humanas versùs malum. Cùm enim plerùmque, non niſi hic & nunc, ſit deſiderium boni concupiti; non fit ex eo alias actiones, quàm eas quæ ſpecialiter ordinantur ad finem conſequendum, pendere ex tali affectu; neque per ipſum ordinari ad obiectum ipſius. Si quis tamen integram vitam ad aliquod bonum creatum ordinet; pleræque actiones ipſius, ex vitalis ordinationis, ſunt peccata mortalia.

LECTIO XIII.

De Iustificatione: & ipsius, seu habituum supernaturalium, productione.

ELicitur ex dictis, quòd Charitas, quoniam est incompossibilis cum peccato, & excludit illud formaliter, (quia est formaliter ei opposita) sit etiam remissio peccatorum. Cùm itaque sit etiam forma omnium virtutum, per quas homo cuncta ea facit quæ debet, & sibi, & vniuersis eum circunstantibus; conficitur, iustitiam hominis formaliter in charitate sitam esse, & non intrinsecâ aliquâ acceptatione Dei, vel alio actu ipsius, charitatem quasi ex pacto comitante.

Cùm enim Deus, hominem, propter ipsum hominem, condiderit; hic ipsius finis est, vt homini quàm optimè sit; hoc est, vt homo ipse optimus sit, seu perfectissimus. Sed palam est, perfectionem hominis non in extrinsecis, sed in intrinsecâ habi-

tudine ipſius ad naturam & ſummum bonum ſuum, eſſe conſtitutam. Ibi itaque quærenda eſt ratio iuſtitiæ.

Rursùs, vel Deus placatur, vel diligit, vel offenditur, per actus noſtros, ad placitum; & tunc, Iuſtitia noſtra poſſet æquè conſiſtere in genuflexione externâ, vel lotione aliquâ, aut aliâ indifferente actione, æquè atque in noſtris actibus ex ſeſe bonis: ſed & indignum Deo eſt, acceptare rem vel actionem pro eo quod non eſt. Vel neceſſariò; & ſic dicendum erit, creaturam aliquam, eſſe ſufficiens motiuum ad voluntatem Dei trahendam ad amorem vel odium; quod ipſo aſpectu abſurdum eſt.

Sed & quæcumque connexio ſit; ſaltem (in ſententiâ illâ) eſſentia, & formalis ratio iuſtitiæ, conſiſtit in extrinſecâ denominatione ab actibus diuinis: & per conſequens, homo fit peccator vel innocens, per meram imputationem peccati & iuſtitiæ; non autem per ſuos actus; niſi fortè quaſi per conditiones, ad

peccatum & iustitiam. Neque præmium & pœnam accipit homo propter hoc quod agit, aut est; sed quia Deus imputat hanc actionem ad præmium, & illam ad pœnam.

Neque facile est intelligere, quales sint hi actus in Deo; amare, & odisse. Si enim sint volitio præmij & pœnæ; sunt actus iustitiæ; & non amoris, vel odij. Præter hæc autem, nullus effectus procedit ex ijs. Quare, erunt actus quidam imperfecti, & muliebres; quales sunt in concupiscibili nostro, priusquam sit efficax ad operandum. Neque erunt simplex conformitas, vel difformitas, ad iustum, & peccatorem. Sic enim, ipsa essentia, & non voluntas, diceretur amare vel odisse: & iustitia nostra completa foret sine ijs.

Tandem, hic modus Philosophandi, aufert omnem vlteriorem progressum; cùm non possimus aliquo modo reddere causam, cur hoc placeat, illud displiceat Deo; vel deducere consequentiam, aliud placiturum ex eo quòd hoc placeat; cùm hæc dependeant ex naturâ abscondi-

ta

tà voluntatis diuinæ, vel ex arbitrariâ ipsius electione; cuius causas inuestigare nequeamus. Quare, hæc est via ignorantiæ, & non secundùm naturam homini. Quare, neque ex Deo homini data.

Cùm verò charitas, sit habitualis, & actualis; actus autem, principalior; nihil ambigui esse potest, quin iustificatio, magis reluceat, & sit nobilior, in actu quàm in habitu. Quòd non impedit, quin, si quis iustitiam velit significare qualitatem animæ permanentem, non ex vi vocis, sed ex vsu Doctorum; sic, dicenda sit sola charitas habitualis, constituere formaliter iustitiam.

Constat verò, charitatem habitualem, plerumque, & ex naturâ rei, per actus in nobis produci, eodem modo, quo de habitibus naturalibus, & experientia & Philosophia testantur. Cùm enim, eandem experientiam habeamus in supernaturalibus, quam in naturalibus; (cùm, culturam animæ similem, & frequentationem actuum, præcipiant Magistri spiritales, quam scholarum, vel athletici)

eâdem profectò violentiâ agimur ad credendum, habitus per ipſos actus effici in ſupernaturalibus, quàm in naturalibus.

Sed & habitum non eſſe aliud quàm ipſum actum debiliùs manentem, omnino conſtat, ex eo quòd impreſſio facta in ſubiectum, abſque aliquo contrario deſtruente, interire non poteſt: quia eſt modus ipſius ſubiecti: & quòd alio modo imbui, requirit nouam actionem. Permanet itaque actus, donec à contrario deſtruatur. In animâ verò, non eſt alia contrarietas, quàm contradictionis. Donec itaque retractetur, ex neceſſitate ſemper manet actus; & dicitur habitus.

Obijcies, eſſe contra manifeſtam experientiam, quòd actus maneant. Palam enim eſt, quòd non video, niſi dum obiectum actu oppoſitum eſt oculis; non audio, niſi dum ſonat; &c. ſic in reliquis ſenſibus. Sic in phantaſiâ, & in ipſo intellectu, clarum eſt, cogitantes de vno non cogitare de alio: quod tamen deberent, ſi actus poſt impreſſionem remanerent.

Respondetur, manifestum esse, post actum intellectus vel phantasiæ, potentiam manere in actu illius objecti quod cognouit. Experientia enim docet, eam posse iterum cognoscere quando vult; quod ante primam cognitionem non potuit. Quod est verum, loquendo de potentijs interioribus: exteriores enim, non sunt cognoscentes; sed instrumenta, per quæ fit cognitio; sicut per perspicilia, & tubos acousticos, impressio obiecti augetur & confirmatur. Manet itaque impressio; id est, actûs substantia, quatenus ens, & non tantùm motio, est. Vnde cùm in animâ non possit esse motus, ibi adæquatè manet impressio; id est actus.

Quòd autem non appareat manere, est quia anima in corpore non agit ex sese; sed præcisè quatenus mouetur à corpore, seu per corpus; & per consequens, non facit sensum sui, nisi in effectu corporeo. Et hinc fit, vt cùm rursus agimus, sentiamus actum faciliorem, vel fortiorem, vel directum & modificatum ab animâ,

ratione prioris actus; quod arguit impressionem manere. Sed modum ipsius impressionis, in sese, videre non possumus; & ideo credimus, ipsum actu non mansisse.

Rursus igitur, cùm supernaturalitas sit quædã inædificatio, seu superstructio, in naturâ nostrâ facta; & habitus supernaturales, in potentias naturales introducantur: vnumquodque autem, natum sit recipi per modum recipientis: prorsus præter rationem est, non ijs attribuere vim & modum generationis connaturalem talibus potentijs, in quibus, & per quas, generari debent.

Sed & assignare hanc actionem Deo, ex ipsius parte inconueniens est: cùm Philosophia doceat, actionem propriam ipsius, esse infundere existentiam; & non præripere actiones secundarum causarum, à quibus actus & habitus procedunt. Præterquam quòd, imperiti artificis est instrumenta tam inepta facere, vt necesse semper sit sese miscere ad adiuuanda peculiaria eorum opera.

Adde, quòd in oppositâ senten-

tia, quæ docet naturam non diſponere ad ſupernaturalia opera; nulla erit determinatio in cauſis ſecundis ad actionem primæ cauſæ. Vnde, ordo cauſarum redditur luxatus; dum non ponitur cauſa paſſiua determinata ad actum cauſæ actiuæ; & per conſequens, agens, non ſecundùm naturam rerum, ſed arbitrariè & ſponte operatur.

Sed & colluſio quædam videtur, vt cauſæ ſecundæ videantur operari; dato verò ſigno, cauſa prima ſeſe immiſceat: maximè, cùm nulla neceſſitas ſit; cùm ſupernaturalitatis ratio hoc non requirat; immo, oppoſitum; cùm ſupernaturale non dicat contra naturam, ſed ſecundùm naturam; vt proinde natura debeat ſuam partem habere.

Quid quòd neceſſe ſit, ſi tales habitus immediate infunderentur, aliquam eſſe experientiam quâ poſſent dignoſci in effectibus. Cùm enim maximè efficaces & adiutrices forent operationum noſtrarum; pateret in effectibus, eſſe majorem vim in actibus noſtris, quàm ſoleat eſſe

in pari exercitatione actionum naturalium; maximè, cùm hi authores ponant habitus quosdam naturales, subseruientes his supernaturalibus, & facilitatem dantes ad eos actus, quos amissâ charitate putant nos exercere: quod etiam ipsum nouum inconueniens est: duplicatam quoque efficaciam deberemus experiri, cum supernaturales etiam adsunt.

Ex quibus satis clarum est, non esse habitus supernaturales suis primis actibus prærequisitos; neque esse per modum potentiarum; sed omnino sicut habitus naturales; nisi quòd circa alia objecta versentur; & discurrendum esse prorsus de ijs, ad modum quo philosophamur de naturalibus, obseruatis specialibus differentijs. Hoc tamen non vetat eos dici per se infusos, quasi specialiter à Deo fluentes; modò, nè immediatè, & exclusis causis secundis, ponantur in nobis fieri.

Patet itaque, quid sit habitus charitatis. Puta, impressio quædam seu habitudo animæ, consurgens ex

pluribus actibus amoris Dei; quorum vnus, verbi gratiâ, sit propter beneficia eius; alius, propter bonitatem moralem; alius propter bonitatem naturalem; qui omnes, vnam facilitatem dant animæ amandi Deum. Non quòd hæ singulæ maneant in animâ; sed vna ex omnibus: singulis posterioribus actibus sic immutantibus priorem dispositionem, vt posterior sit virtualiter & prima, & quæ futura fuisset ex posteriori actu, si prima non infuisset.

Patet consequenter non esse numerum determinatum habituum supernaturalium, vel naturalium, secundùm infimas rationes; etsi in certa genera colligi possint. Cùm enim nullus actus possit esse omnino similis alteri; habituum verò ratio, ex actuum ratione pendeat; possibile est, tot habitus virtutum distinguere, quod sunt actus. Sed quia humana consideratio breuis est; propterea non descendunt magistri, nisi ad certas communes rationes; & ijs, habitus diuersificant, quod ad instructionem commodum sit.

LECTIO XIV.

De rationibus Meriti, & Demeriti.

HInc est, quòd solet dici, habitus non generari per vnum actum. Cùm enim habitum determinent per certam materiam & obiectum; quod diuersitatem in sese habet; & per consequens, plures difficultates superandas, quarum vnica vnico actu facilitatur: necesse est, promptitudinem ad operandum vniuersim circa talem materiam, non nisi post plures actus reperiri; quare & habitum volunt per plures actus acquiri; quamuis per singulos actus aliquam difficultatem tolli, vel certè facilitatem poni, non diffiteantur.

Quando verò, difficultas notabilis, in vnico puncto consistit; tunc, ipsa experientia docet, habitum vno actu acquiri. Sic; demonstratione vnicâ, tollitur incredibilitas obiecti, quod videbatur absurdum: sic etiam vna resolutio viri prudentis circa agibile

agibile benè consideratum, continuat actionem vsque ad terminum. Quare, cùm charitas consistat in tali electione Dei pro vltimo fine; vnico actu, generatur habitus charitatis, & eneruatur omnium peccatorum violentia.

Sub quo accipitur, charitatis habitum per singulos actus consequentes augeri. Cùm enim singuli, (vt dictum est) maneant, & faciant vnam impressionem communem præcontinentem omnes; necesse est, illam valentiorem esse ex singulis; & per consequens, singulos actus ad eius fortitudinem & radicationem contribuere. Ex omnibus itaque, siue secundùm sese remissioribus, siue æqualibus, augetur semper charitatis vis, in homine habente charitatem.

Cùmque anima vnica sit, & indiuisibilis; & per consequens, si dispositiones aliquo modo contrariæ sint in illâ, necesse sit actionem animæ, non ex vnâ solâ illarum, sed ex vnâ quasi temperatâ per aliam; quatenus ex vi spiritalis animæ progre-

ditur, naſci; conficitur, quòd ſi anima plures diſpoſitiones amorum rerum temporalium habet, ex eo minùs diſpoſita eſt ad amorem Dei; & per conſequens, habitus charitatis minùs potens in eâ; & per conſequens, per peccata venialia diminuitur habitus charitatis; vt etiam experientia teſtatur.

Porrò, cùm ex actibus charitatis, ſequantur habitus; ex habitu, viſio beatifica: rurſùs, ex charitate ſequantur actiones omnium aliarum virtutum; ex ijs, laus & gaudium de benefactis, & fructus ſeu præmia, quæ ex benefactis agentis conſequuntur, & pendent: Hæc autem ſunt quæ habent rationem mercedis reſpectu actionum noſtrarum: patet, omnem fructum qui conſequitur ex operibus Chriſtiani, vt Chriſtiani, ex charitate radicem & cauſam ſuam trahere.

Cùm itaquè doceamur, hæc benè operantibus dari à Deo; & ex tali apprehenſione moueamur, ad benè operandum; & nihil juſtius & dignius eſſe poſſit, quàm congruos ef-

fectus ex ſuis cauſis naſci; palam eſt, nos per charitatem ex condigno mereri hæc omnia à Deo; cùm meritum non ſit aliud, quàm operatio ad quam ex promiſſo potentis nobis dare quod volumus, conſequitur tale bonum nobis tribui.

Ex quo patet, meritum quod appellari ſolet *de congruo*, (& collocatur in eo, quòd congruens ſit vt Deus, diſponenti ſeſe, ſeu facienti quod in ſe eſt, faciat quod ex parte ipſius deeſt) non habere rationem meriti; cùm nullum promiſſum, nulla expectatio, nulla obligatio vnius ad alium, intercedat. Immo, ipſum fundamentum non ſatis ſubſiſtit. Deus enim non agit ex contemplatione vnius particularis, vt agat, quod illi ſecundùm priuatam diſpoſitionem congruit; ſed totius vniuerſi; ſeu, quod poſitis omnibus circunſtantijs eſt meliùs. Sed & cùm Deus non poſſit non facere congruum; ſecundùm naturalem operationem, daretur gratia: quod pertinet ad Hæreſim Pelagianam.

Clarum quoque euadit, peccatum esse demeritum, seu pœnæ meritum, æquè atque charitas est meritum præmij. Nam & peccans mortaliter, habet constantiam quandam ex vi sui actus, per quam adhæret eidem obiecto: vnde patet, habitum peccandi relictum esse. Deinde, cùm mala peccantem consequantur; tum in ipsâ animâ, vt metus, dolores, &c; tum in externis, quæ ad ipsummet, vel alios spectant; & hæc omnia, comminatione diuinâ sint prædicta peccatoribus; palam est, eos hæc omnia mereri; & per consequens, peccatum esse demeritum.

Patet item, maculam peccati, non esse purè priuationem denominatam à causâ positiuâ; sed esse positiuam habitudinem animæ, ad obiectum irrationabile; & verum habitum excludentem ex naturâ suâ charitatem; quique tollatur, & ponatur, vnico actu, sicut charitas; cùm sit eiusdem generis resolutionis grauis & constantis. Sed potiùs, fæditatem, quàm maculam, esse dicendam. Macula enim, nitidum,

ex aliquâ tamtùm parte, violat; sed peccatum mortale, totam animam fœdat, etsi vnicum sit.

Adde, quòd si macula consisteret in peccato præterito; cùm denominatio nihil sit in reipsâ; ratio peccati habitualis, consisteret in actu auersionis diuinæ; & macula non foret realis, sed imputatiua; & incideretur in omnia inconuenientia quæ congesta sunt in peccato, quatenus mala minùs quàm bona sunt referribilia in Deum.

Consequens est, reatum pœnæ manere post ablatam culpam: tum, quatenus non omnis inordinatio in interioribus, aufertur ex resolutione quæ restituit charitatem; tum, quatenus ex externo actu datum est principium mali in alijs, quod sit causa malj & doloris. Illa tamen pœna, quæ ex inexistentia peccati in animâ, consecutura erat peccantem; non amplius est euentura: & per consequens, reatus ipsius non manet post reatum culpæ.

Vnde intelligitur quid sit satisfactio pro peccato. Quando enim,

omne nocumentum quod ipsi homini per peccatum euenit, reparatum est; & tanta tristitia de malis alienis ex peccato natis, quanta ad curam eorum tollendorum & cauendi similis in futurum lapsus ex naturâ rei sufficit, impensa fuerit; homo satisfecit. Cùm enim rationaliter homo non possit amplius ad destructionem peccati, & effectuum ipsius; palam est, nihil superesse quod agat; & per consequens, nihil deest; quod est, satisfecisse.

Manifestum quoque est, libertatem agendi, esse de ratione meriti & demeriti. Cùm enim hæc nomina, primò sint vsurpata in actionibus humanis; & vis eorum dependeat ex ratione; (verbi gratiâ, ex pacto & promissione) fit euidens, actionem meriti esse actionem agentis ex cognitione proportionis medij ad finem; in quo, consistit ratio libertatis. Quare, mereri & demereri, propriè loquendo, non possunt esse nisi actiones agentium liberorum.

Sed hoc non obstat, quin eadem

bona vel mala poſſint accidere etiam agentibus non agentibus liberè. Sicut videmus infantes, & canes, virgis vel flagellis erudiri ad rectè agendum; etſi vim liberorum agentium in ijs non agnoſcamus. Ceſſante itaque ratione meriti & præmij, vel demeriti & pœnæ; eadem bona & mala actiones comitantur, vel per modum diſciplinæ, vel per modum cauſæ & effectus, vel alio titulo.

Tandem concluditur, quomodo reuiuiſcant, & bona opera per reſtitutionem gratiæ, & mala per relapſum in peccatum. Cùm enim neceſſe ſit, vtraque diſpoſitionem quandam relinquere in animâ: & cùm anima, vel de malo in bonum, vel de bono in malum, proficit; ſemper, mutatio modificatur ex diſpoſitione quæ eſt in ſubjecto: conficitur, & peccatum poſt gratiam grauius euenire, ex modificatione ſubjecti per priora peccata; & charitatem ſuperuenientem eſſe potiorem, ex eo quòd diſpoſitio ſubjecti per priora bona opera, erat facilior ad conuerſionem. Omnia itaque præce-

dentia, sunt in virtute, in nouiter factâ dispositione animæ; & per consequens, reuiuiscunt per illam,

---

LECTIO XV.

De necessitate gratiæ Auxiliatricis.

EX explicatis colligi potest, quòd, cùm Adamus in lapsu dilexerit vxorem magis quàm Deum; & post lapsum, tum vxor præsens, tum alia objecta naturalia circunstantia, plus potestatis in ipsùm habuerint, quàm ante lapsum; sed & cuncta hæc, post lapsum inclinabant eum ad semet-ipsa, propter imbecillitatem & defectum resistentiæ in ipso: impossibile fuerit, illum reuerti ad amorem Dei super omnia, ex vi naturæ & circunstantium; sed necesse, eum magis & magis semper elongari.

Longè minùs, ad originalem Iustitiam sese reducere poterat. Quæ, cùm certam mixtionem elementorum, vel humorum, ex parte cordis, requireret; neque fructus aliquis,

(cùm omnes necessariò à verâ mediã temperaturâ hominis abessent) illud temperamentum continere posset; sed & per mutationem tempestatum anni multùm deteriorati essent fœtus terræ, & ab accessione ad humanam temperiem magis remoti: nullus supererat modus, eam restituendi in debitum & priorem statum.

Cùm autem infantes nati etiam ipsi ex necessitate longum tempus viuerent subditi agentibus naturalibus, priusquam ad vsum rationis peruenirent; clarum est, indebitam temperiem, & subiectionem ad circunstantium obiectorum ictus, longè magis in ijs ex necessitate confirmari & radicari; & per consequens, eos difficiliores semper euadere, siue ad æquabilem passionum motum, siue ad charitatem acquirendam.

Quin & quò magis multiplicantur homines mali, eò magis necesse est deteriores euadere; cùm nihil æquè alliciat hominem, quàm alius homo; singuli autem corruptionem suam, & ipsi fortiter retineant, &

probare alijs conentur. Vnde si vnus homo non posset sese ad charitatem perducere, longè magis impossibile erat totum aliquem populum, vel ipsum genus humanum, ad eandem ex naturæ viribus reduci.

Quare, cùm seruum dicamus illum, qui vinculis vel vi exterâ prohibetur ab agendo quod secundùm suam inclinationem est, & qui necessitatur ad agendum quod est secundùm inclinationem cogentis; patet & singulos homines, & totum genus humanum, in seruitutem peccati, atque adeo Diaboli, (qui peccati author est) esse deditos: cùm non possint agere quod ex naturali inclinatione eis inditum est, & coguntur agere quod ex inclinatione diaboli, eos ad hæc inducentis, est.

Sequitur & Adamo, & magis successoribus, necessarium fuisse principium aliquod extrinsecum, à quo excitarentur, & ad opera secundùm naturam agenda mouerentur. Cùm enim homo in hâc vitâ nihil agat secundùm animam, nisi iuxta quod mouetur ex motione corporis sui; &

omnia mouentia corpus, erant talia, vt per impulſum ſuum eos remouerent & non adiuuarent ad operandum ſecundùm naturam; planè perſpicuum eſt, extrinſecum principium eis ad bonam actionem fuiſſe neceſſarium.

Neque minùs clarè conſpicitur, omnia eorum opera, quibus vel diligebant quidpiam creatum tanquam finem ſeu bonum per ſe, vel alia propter huiuſmodi fines creatos; fuiſſe peccata mortalia. Cùm enim amor finis, in ijs non fuerit regulatus ab vltimo fine vero; neceſſariò, vel fuit per modum vltimi finis, vel regulatus ab alio qui dilectus eſt per modum vltimi finis. Patet autem vtroque modo (ſicut & dilectionem medij propter finem creatum vltimum) actionem euadere peccatum mortale.

Specialiter verò, actus qui apparent virtuoſi, neceſſe eſt fuiſſe vitioſos. Tum quia ſpecioſitas ipſorum, non eſt amabilis tanquam vltimus finis; tum quia reuera non ſunt facti ſecundùm naturam. Cùm enim,

temperantia v. g. aut fortitudo illa apparens, moderaretur actionem secundùm bonum aliquod creatum acquirendum, tanquam vltimum finem: & alia sit proportio actionis ad idem bonum, tanquam ad vltimum finem; & alia, tanquam ad finem ab alio regulatum: & hæc quidē proportio, sit secundùm naturam illa alia, contra naturā, necessum est tales actus fuisse quoad speciem vitiosos, & contra ipsam naturam. Adde (si libet) quòd, cùm sine fide, neque Deum aliquid specialiter imperauisse, neque semetipsum dilectionis præmium proposuisse, sciri possit, impossibile fuerit, ex vi naturæ, propter verum vltimum finem quicquam operari; sed necesse fuerit, omnia propter creatos fines operari. Neque officit, quòd Deus, virtutes eorum compensauisse, aliquando dicatur. Cùm enim nulla actio sit tam mala, quin aliquid boni in sese habeat; non est mirum, si compensatio temporalium bonorum, reddita sit operibus minus defectuosis. Sed, ex ipso præmio, intelligi potest,

virtutes non fuiſſe veras: cùm præmia ſint talia; & ex actionibus non vere virtuoſis ſequantur.

Fit itaque, ſtatum Adami, in iuſtitià, fuiſſe talem, vt non poſſet malè agere, niſi motus eſſet à principio extrinſeco; & quatenus motus ab illo: poſt lapſum verò, vt non poſſit quicquam benè agere, niſi quatenus mouetur à principio extrinſeco agente & mouente ipſum, ordine quodam, & vi ſuperiore; etſi mediante virtute cauſarum naturalium. Vnde conficitur, illam propoſitionem, *Non eſſe in Ethnicis veras virtutes*, non eſſe dumtaxat celeberrimam Sanctorum ſententiam, ſed eſſe rationem cur omnes indigeant gloriâ Dei; & neceſſitatem aduentus Chriſti, & totius legis Chriſtianæ, in eâ niti. Quare, etſi oppoſita ſententia, ſub æquiuocatione vocis *virtutis*, ſecũdariò ſumptæ, poſſit cum veritate defendi; tamẽ, Chriſtiani pectoris eſt, pro phraſi Sanctorum, tanquam pro aris depugnare; metu grauis damni; ex inordinatâ locutione, Chriſtianam doctrinam conſecuturi.

Sed & hoc perſpicere licet, impotentiam ad benè agendum, quæ eſt in genere humano, non eſſe ſitam in defectu aliquo voluntatis humanæ, quatenus potētia eſt; ſed vel ex accidente incongruo, qualis eſt deuiatio, quæ per propaginem trahitur, & poſtea per conſuetudinem malè agendi augetur; vel in naturâ creatorum objectorum circunſtantium, comparatorum ad inferiorem animæ partem, id eſt, appetitum ſenſitiuum vitiatum per propagationem à primo parente.

Dilucet igitur, ſi de vi intrinſecà natiuâ voluntatis humanæ quæſtio ſit; veras eſſe has propoſitiones: Homo poteſt viuere ſecundùm naturam: credere: amare Deum ſuper omnia: reſiſtere tentationibus: & non peccare. Et adeo veras, quàm verum eſt Grammaticum, aut Metricum poſſe facere orationem congruam, aut carmen legitimum; ſtatuarium ſtatuam; naupegum nauem, &c.

Si autem quæſtio ſit de exercitio, & peruentione ad actum in actu; ſic,

ueras esse has alias : Homo non potest viuere secundum naturam : credere: amare Deum: resistere tentationi: non peccare. Sicut hæ sunt veræ: statuarius sine ære, naupegus sine ligno, non possunt facere statuam, vel nauem; neque Grammaticus, vel Metricus, dum dormiunt possunt facere orationem vel carmen. Vtraque autem significatio vocum est legitima & vsitata; & vna pronuntiat de potentiâ Physicâ; altera de potentiâ Logicâ.

Ex his deducimur ad videndum, quòd si Deus ponatur, externa & interna circunstantia, speciali amore regere; poterit, per actionem illorum in hominem, ei persuadere, vel eum inducere ad amandum Deum, & similes virtutes; eodem modo, quo natura ipsum ad peccandum impellit. Quod si faciat, palam est tales actus ex gratiâ Dei procedere, & esse supernaturales.

Euidens quoque est, hominem ad hos actus, duobus modis perduci posse. Interdum, per suam prouidentiam & consultationem; vt ipse præ-

uelit agere quod agit: aliquando verò, absque eo quòd præuideat; sed quasi ab ipso causarum impulsu perducatur, absque operâ suâ. Et hos quidem, solent doctores dicere, fieri in nobis, sine nobis; illos verò, & in nobis, & à nobis factos loquuntur.

Quoniam autem voluntas integra est quoad suam naturam, vt dictum est: & de natura ipsius est, posse alterũ ex pluribus facere: semper autem, vel certè plerumque, in vtroque genere, per discursum & collationem proceditur; etsi non semper aduertatur: fit, voluntatem, ex vi suâ physicâ, posse aliud agere quàm illud bonum ad quod dirigitur à Deo; quod est, posse non consentire gratiæ Dei; & cum consentit, liberè consentire; etsi non possit euenire, vt non consentiat: quod pertinet ad potentiam, seu possibilitatem Logicam, ipsius actus.

Ex quibus fit euidens, gratiam illam quam Sancti requirunt ad benè operandum, consistere partim in eâ prouidentiâ quâ Deus causas extrinsecas homini sic attemperat, vt sint

aptæ

aptæ ad eos actus in eo creandos, quibus charitatem & salutem æternam acquirat: magis verò, in intrinsecâ gubernatione phantasmatum & spirituum; circa quæ, homo per suam consultationem parum aut nihil efficere potest; & per quæ, immediatè producuntur illi actus & habitus, qui hominem ad vitam æternam disponunt.

Dices; ex eo quod voluntas sit indiuisibilis, & indiuisibiliter sese determinans post inspectionem omnium propositorum, præcisè ex eo quòd libertas sit natura ipsius; fieri, necessariam esse infusionem, alicuius qualitatis supernaturalis quâ fortificetur ad bonum eligendum; & vt hæc infusio sit in ipsam substantiam voluntatis: siue hæc infusio sit per modum transeuntis, seu motus, seu intentionaliter, siue permanenter & realiter, & siue sit talis vt voluntas maneat absolutè determinata, siue tantùm fortificata ad actionem quæ ab eâ procedit.

Respondetur, ex dictis manere clarum, nullam talem infusionem esse

necessariam. (Sicut & supra ostensum est esse in vniuersali impossibile) Est enim voluntas, cætera par, alijs agentibus in hoc solo prælata, quòd, ad vnum ex pluribus sibi ab intellectu propositis faciendum, per euidentem discursum, bonitatem maiorem in altero membrorum prodentem (quando perfectè gubernatur,) determinetur: quæ determinatio, quia fit per euidentiam quòd bonum agendum sit connexum cum preuolitis & affectibus iam in eâ existentibus, dicitur ab ipsâmet voluntate fieri.

Cæterùm ipsa suppositio facta de naturâ voluntatis, præter ea inconuenientia quæ in Philosophiâ obijci solent, quibus conuincitur speculatiuè esse fatua; vt quæ consistat in contradictione ad prima principia: (puta *quòd non possit esse effectus sine causa: quòd nihil procedat ab indifferente vt indifferens est: quòd idem indiuisibiliter non agat in semetipsum, &c.*) & quòd destruat totam rationem virtutis & vitij; id est, fundamenta scientiæ moralis; & adhuc vim persuadendi & dissuadendi; id est negotiationis

& conuersationis humanæ radicem: (vnde ante dissidia scholastica, quæ nihil absurdi intactum reliquerunt, à nullo, quod sciam, graui authore exposita vel commemorata fuit.) Est præterea in Theologiâ, spurcissimorum errorum & hæreseωn camarina; quantumuis ipsa videatur purè Philosophica. Tantum est, in principijs negligenter agere.

Cùm enim Manichæi, vt causam mali statuerent, commenti sint principium quoddam malorum, seu primum malum, ne Deum facerent causam mali; hæc suppositio, ob eandem rationem ponit actum volũtatis procedere à voluntate quâdantenus, quâ non procedit à Deo; & per consequens, statuit primum quoddam principium præter Deum. In hoc autem, Manicheismo deterior est; quòd non sola mala, sed virtutem, & optima quæque, huic principio assignat.

Rursus, cùm Pelagiani vt acceptionem personarum, & voluntariam seu irrationabilem electionem à Deo reijcerent; commenti sint, in singulis Personis dispositionem quâ-

dam naturalem, ex cuius merito vel demerito gratia illi daretur, vel negaretur: Hæc suppositio similiter ponit vim determinandi sese in voluntate, à se, & non à Deo, quâ, quatenus non à Deo, acceptat gratiam Dei; & sese discernit à non acceptantibus; digna est laude, quasi ex se; & per cõsequens, gratiâ; & vel concomitanter se habet ad Deum, vel etiam eum præuenit; in quibus consistit virus hæresis Pelagianæ.

Hoc autem peius habet errore Pelagianorum, quòd Pelagiani iustam vim illi gratiæ quam agnoscebant, in voluntatem permittebant. Hæc autem positio, asserendo, positâ quâcumque gratiâ, adhuc voluntatem manere intrinsecè æquè indifferentem, quàm ante gratiam; & quascumque persuasiones, non esse nisi propositiones, & conditiones; non verò inflexiones & inclinationes; omnino eneruat omnem vim gratiæ. Et quantum hæc conditionum doctrina est aliena à Philosophiâ; tantum eam applicare gratiæ, est perniciosum in Theologiâ.

Rursus, sicut Stoici (conuicti sophismate veritatis determinatæ propositionum de futuro) ponebant omnia esse quia sunt; & abstulerunt hoc modo, rationem causæ & effectus; & fatalitatem quandam ineuitabilem introduxerunt: sic hæc suppositio, vt imaginariam libertatem tueatur, asserit actus voluntatis, ex voluntate sequi; non ex aliquo quod sit in voluntate; sed ex vi contradictionis, quâ necesse sit, voluntatem, positis circunstantijs, velle aut non velle, & per consequens, ponit stoicam fatalitatem in actibus voluntatis; quæ ex omnibus erroribus imaginabilibus, est maximè opposita libertati.

Et ex hoc oritur alius error; vt non solùm, possibilitatem creaturarum faciat independentē à Deo; & Deum, quo ad scientiam simplicis intelligentiæ, dependentem & posteriorem illâ, tanquam obiecto suo; adeò vt etiam relationem essentialem, seu vt vocant transcendentalem in Deo ad creaturas ponat: sed etiam, futuritionem, non solùm conditionalem, sed etiam absolutam, rerum, præsuppo-

ni ad actum visionis intuitiuæ, quæ sit ipsa existentia Dei; & per consequens, à futuritione creatorum, ipsum Dei *esse* pendere, non possit effugere; ad quam impietatem, nemo (quod sciam) Philosophicus Paganus deuolutus est.

Denique, vbicumque contingit Theologiam, eam inquinat, & inextricabilibus difficultatibus confundit; vt ipsimet propugnatores, plerumque confitentur.

LECTIO XVI.

De necessitate aduentus Christi; & gratiæ per ipsum datæ.

AT enim, cùm impotentia hæc ad beatitudinem acquirendam, ex necessitate consistat in improportione inter actiuum & passiuum, siue obiectum & potentiam, seu animam; palam est, duos tantummodo esse modos, quibus reparari possit originarium hoc infortunium; puta, vel ex parte potentiæ, vt illa aliquo

modo eleuetur; vel ex parte obiecti, vt illud accommodetur modo potentiæ.

Cùm itaque potentia ſpiritualis voluntatis, ſit tantummodo extrinſecè læſa; ſcilicet quoad corpus, vel ſaltem principaliter; & ſi qua eſt læſio animæ, mediante impreſſione corporea ſit tollenda: conficitur, quòd neque defectus eſt principaliter ex parte animæ; neque inutatio quæ fieret ex parte ipſius, eſſet ſecundùm ordinem cauſarum naturalium; ſed potiùs immutatio quædâm naturæ, in aliud naturæ genus: neque homo, ſuis actibus, & progreſſione naturæ, ſed nouâ quadam creatione, euaderet capax ſui proprij, & connaturalis boni.

Conſideranti verò, creata, in Deo eſſe ſecundùm eandem colligationem quam inter ſeſe habent; & hanc connexionem, non eſſe aliam, quàm quòd ratio inerrans dictet, eorum rationibus ſic aptiſſimè ſatisfieri: ſit perſpicuum, nihil, niſi naturaliſſimè, à Deo procedere poſſe; & alieniſſimum quidpiam eſſe à diuinæ proui-

dentiæ vijs & legibus, naturam aliquam quasi saltu, & sine gradatione necessitante, de vno genere in aliud transferri: & quod sequitur, reparationem naturæ humanæ, per voluntarias, & non à natura appetitas infusiones, peragi non debere.

Porrò, examine in miseriam nostram facto; comperimus, beatitatem, ad quam nati sumus, esse difficile nobis, vt qualis sit, apprehendamus & æstimemus; vt credamus eam futuram; denique, vt amemus eam; quia non inuenimus consuetas rationes amoris fundandi. Rursus, esse longè positam; & non perpetuò nos prouocare, sicut obiecta alia. Et tandem, reliqua, opinione circunstantium nos hominum (quorum authoritati obnoxij plerumque sumus) fulta esse; hanc paradoxam prorsus nobis aduenire.

Quapropter, si ex obiecti parte mutatio facienda sit, necesse erit Deum (qui est beatitudo nostra) descendere ad naturam corporis, vt sit apprehensibilis: ad causas eas quæ amorem in nobis creãt; vt sit amans,
&

& socius; faciat & patiatur pro nobis; & similia; quæ connaturaliter amorem in nobis generant: vt sit aliquo modo corporaliter præsens inter nos, & corporaliter accessibilis: & ita disponi res humanas, vt plerique qui nos circunstant, huius beatitatis æstimationẽ profiteantur: & tandem, vt sit irrefragabilis persuasio de veritate doctrinæ quâ erudimur; & per consequens, author sit veritatis non dubitabilis; cuiusmodi solus Deus est.

Et quoniam huiusmodi conditiones non nisi in hominem cadere possunt (neque enim aliud corpus ad nos pelliciendos, & conuersandum inter nos, ad docendos nos, ad charitatis nomina, vt amici, fratris &c: ad patiendum pro nobis, ad instituendam rem quandam quasi publicam sectatorum veræ Beatitudinis, idoneum est) palam est, vel genus humanum ad interitum iturum esse, vel Deum deuenire hominem ex suæ bonitatis necessitate coactum iri.

Posito verò, Deum hominem fieri, æquè facile est humano generi ad

Beatitatem ſtudia ſua conuertere, quàm ad quemlibet vnum finium quos pro vltimis ſibi ſolent diligere homines; & continget tot homines in ijs locis vbi fidem ſuſceperunt, ad pietatem ſeſe applicare, quot proportionaliter ad honores, verbi gratiâ, vel voluptates ſeſe addicunt. Palam itaque eſt (poſito Deum fieri hominem, & ijs, quæ eo poſito nata ſunt fieri) naturam, vt naturam, reparatam eſſe, id eſt, in ſtatu idoneo ad Beatitudinem acquirendam, eſſe collocatam.

Quapropter, cùm & totum quod dictum eſt, & quod ex illo ſequitur, (hoc eſt, doctrina, & inſtitutiones quæcumque; & ſpecialiter, congregationis hominum hanc doctrinam profitentium) ſint ſupra naturam; neceſſe eſt, etiam regimen particularium perſonarum ex his pendens eſſe ſupernaturale. Quod cùm contineat, & extrinſecam diſpoſitionem fidei, motiuorum charitatis; & intrinſecam diſpoſitionem phantaſiæ, & cordis, & animæ; ex quibus fit, hunc hominem credere & amare actu: patet,

omnes actus particularis hominis in ordine ad Beatitudinem factos, supernaturales esse; & ex gratiâ, & supernaturali prouidentiâ Dei, tum extrinsecè tum intrinsecè, prouenire.

Dices, non videri conclusum; quòd impossibile sit aliquem vnum actum, ex solis communibus principijs, non potuisse prouenire omnino eundem alicui supernaturali: quare non ex necessitate ad singulos actus requiritur gratia.

Respondetur, quicquid sit de possibili, si Deus hunc ordinem non instituisset; euidens est, hoc ordine posito, eum actum ex speciali prouidentiâ prouenire. Præterea, cùm talis actus in suppositione factâ, esset à casu; non foret ex vi naturæ; (hæ enim sunt causæ disparatæ) quòd autem Philosophi casum, Christiani nominamus prouidentiam. Quare, cùm supra naturam foret talis actus ex vi sui finis, etiam sic, ex supernaturali prouidentiâ, id est, speciali, foret.

Euidens præterea est, quòd sicut culter, per motum perpetuum à sculp-

tore acceptum, facit ſtatuam, abſque eo quod ſeparatim à ſculptore conſideratus, habeat in ſeſe vim faciendi ſtatuam; ſic, non neceſſum eſt animam in ſeſe conſideratam, vnquam habere potentiam faciendi actum ſupernaturalem; quem tamen, ductu & regimine Dei explicato, actu agit.

Quibus ſi addatur, actus noſtros, interiores præſertim, ex tot phantaſiæ & ſpirituum circa cor ignotis nobis motibus; & rurſus, ex tot exterioribus accidentibus, quæ à nobis nec præcaueri neque præuideri poſſunt, pendere; & nulla eſſe principia nobis data, per quæ hos gubernare poſſimus: fit manifeſtum, nos, ſepoſitâ actuali motione diuinâ, nunquam eſſe ſufficienter intrinſecè potentes ad exercendum actu quemlibet actum ſupernaturalem; & per conſequens, nullam eſſe gratiam quæ poſſit vocari ſufficiens; id eſt, quæ donet nobis poſſe operari, niſi cùm actu operamur.

Quia verò Iuſtitia originalis in Adamo gubernabat hos motus interiores, & impediebat ne accidentia

exteriora quidpiam turbarent in animâ; ipse, potentiam habebat in actu primo ad singulares actus perficiendos; & per consequens, gratiam sufficientem. Sed non talem quæ minor esset gratiâ efficaci nostrâ; sed quæ maior (simpliciter loquendo) etsi, quia fallibilis seu perdibilis erat, ex illâ parte defectuosa foret.

Ex his intelligitur, quòd gratia Adami, comparatur ad gratiam quæ datur in naturâ lapsâ, sicut sanitas comparatur ad baculum infirmi, quo vtitur ad ambulandum. Cum hâc tamen differentiâ, quòd infirmus est dominus baculi, & dirigit & vtitur eo: gratia autem seu prouidentia diuina, est domina hominis, & facit hominem consentire sibi, & vti se prout Deo libuerit; gubernando & dirigendo, non necessitando libertatem, neque determinando eam sic præuiè, vt determinatio sit actu posita, ante motum voluntatis; sed sic ordinando præuia agentia in voluntatem, vt ex eorum impressionibus sequatur voluntatem ijs imbutam, facere in sese determinationem illam,

quam Deus sibi proposuit ab eâ esse faciendam: manente semper potestate ad faciendum oppositam, quamdiu manet indeterminatio: & indeterminatione non ablatâ, nisi ab ipsâ voluntate imbutâ impressionibus: quæ iam sunt ipsa, & partes eius. Ex quibus fit clarum, determinationem ad bonum in Adamo principaliter attribuendam esse voluntati; videlicet, imbutæ iustitia originali; quâ positâ, non deerat nisi generalis præmotio Dei ad faciendum Adamum constanter operari bonum: & propterea, actio principaliter erat Adami; cùm non soleamus specialem actionem adiudicare causæ communi. Post lapsum autem Adami, quia necesse est Deo, ex massâ causarum naturalium, seligere certas; & dispositione prouidẽtiæ suæ, eas sic ordinare, siue eleuare vt efficiãt dispositiones in homine superiores, & quodammodo repugnantes vniuersali ordini naturæ; & cùm ipse homo nullam habeat partem in hac eleuatione causarum: iam, actio hominis meritò principaliter tribuitur Deo, & gratiæ ipsius,

tamquam speciali causæ determinationis nostræ; quæ sic fit per nos, & à nobis, vt species ipsius non fuerit prius in aliquo habitu vel virtute nostrâ, quàm in ipso actu: fuerit tamen in prædefinitione diuinâ; & idcirco, gratiæ Dei recte tribuatur.

Ex his denique facilè intelligitur, gratiam quæ ad aliquibus vocatur sufficiens, & datur operanti in ipsâ operatione, seu ad operandum actu, prorsus imaginariam esse. In primis enim, tollit vim liberi arbitrij; si enim homo non habet virtutem ad benè & malè agendum, ex ipso libero arbitrio; iam non est liberum arbitrium: si autem habet, ad quid ponitur infusio specialis gratiæ, ad hoc vt dicatur posse benè agere?

Sed & contra naturam peccati est, vt addi debeat quicquam naturæ, ad hoc vt homo possit peccare. Cùm enim peccatum sit contra naturam; & defectus ab illâ; patet, ex ipsâ naturæ vi, satis esse in homine vt ab eâ defici possit, & peccari: alioqui, non à naturâ, sed à gratiâ deficere-

tur; & peccatum, non contra naturam, sed contra gratiam duntaxat, foret.

Quid quòd, cùm gratia hæc non detur nisi in ipso actu; non datur nisi ad hunc actum particularem: datur autem ex volitione speciali Dei; non autem, vt actus fiat bonus, cùm sciat Deus ex naturâ gratiæ, & circunstantiarum, non habiturum effectum; ergo, vel propter nullum finem, vel quia alioquin homo innocens foret, & non posset peccare. Propter peccatum itaque & damnationem, hæc quæ vocatur gratia, homini datur. Non itaque gratia est, sed iniuria; cùm melius foret homini illam non habere.

Denique, hæc doctrina inconsequens est, tum ad rationem peccati in naturâ purâ; in quâ, nulla posset esse huiusmodi gratia; tum, ad rationem actionis moraliter virtuosæ, in naturâ lapsâ, sine auxilio gratiæ. Cum enim ponant virtutem ad benè faciendum, in ipsâ naturâ lapsâ, quomodo potest negari vis ad malè agendum? & tamen, vtramque doctri-

nam constanter amplectuntur ijdem authores.

Qui verò, hanc gratiam sufficientem collocant in oblatione auxiliorum à Deo factâ, quæ nihil ponat in ipsâ creaturâ; longius à veritate deuiant; cum, præter supradicta inconuenientia, incurrant alia; puta, quòd creatura nihilo sufficientior sit, cum in nullo sit mutata; sed neque de his auxilijs quicquam sciat: quòd Deus absolutè offerat ei, quem nouit non acceptaturum: quòd illa conditionalis explicari non possit, *si creatura velit sese determinare ad hanc partem, dabo auxilium*; cum auxilium necessarium sit ad determinationem; & determinatione positâ, nil opus sit auxilio.

Denique, cum gratia quæ à sanctis requiritur ad operationes nostras, sit gratia in actu secundo, siue cuius ratio sit reducere in exercitium potentiam actiuam quæ est in nobis; palam rursus sit, quòd vox ipsa *sufficientiæ*, significet actum primum, & includat rationem potentiæ: nihil clarius est, quàm in sensu huius quæ-

ſtionis, nomen gratiæ repugnare cum ratione ſufficientiæ; neque poſſe dici aliquam gratiam eſſe ſufficientem, prout hîc de eâ quæritur.

Et hæc inconuenientia ſunt particularia huic poſitioni. Præter quæ, hæc ſententia incurrit alia communia cum alijs ſententijs; vt, quòd Deus præuideat, ſeu præſupponat, determinationem futuram voluntatis createæ, antequam habeat actum intrinſecum offerendi auxilia: Quòd habeat actus voluntatis conditionatos, vbi nouit conditionem non futuram; & à fortiori, actus diuerſos intrinſecos circa creata, ex quibus nihil ſequitur in ipsâ creaturâ.



INSTITVTIONVM SACRARVM

Peripateticis inædificatarum.

LIBER SECVNDVS.

De myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

LECTIO I.

Eſſe in Deo vnitatem, & pluralitatem, ſine repugnantia.



Oncluſo Deum ex neceſſitate ſuæ exuberantis Bonitatis hominem fieri; vlteriùs attendendum eſt, quòd cum Deus cognoſcat ſemetipſum; & poſito definito; ponenda

quoque ſit in eo definitio; (cognoſcere autem ſit *eſſe aliud vt aliud*, & cognoſci *eſſe in alio vt aliud*) planè confectum eſt, Deum eſſe in Deo vt alium in alio; & per conſequens, alietatem verè & realiter, & tanquam prædicatum de Deo, & non ſolùm vt modum prædicandi, ſiue quatenus eſt in intellectu noſtro, in Deo reperiri.

Attamen cùm cognitum (non obſtante quod ſit in cognoſcente) remaneat aliud, id eſt, idem quod erat, cum omnibus proprietatibus ſuis illud conſtituentibus & diſtinguentibus; fit, nihil eſſe in cognito, quod non ſit in cognoſcente; immò cum cognitio ſpecificetur à cognito, nihil eſſe in cognito, quod non ſit eſſentiale cognoſcēti, vt cognoſcenti; (maximè verò cùm ipſum cognitum eſt cognoſcens; quia cognitio eſt de ſeipſo) clarum eſt eſſentiam Dei tum cognoſcentis tum cogniti, non obſtante alietate, eſſe eandem; cum nihil poſſit eſſe in Deo vt cognito, quod non ſit ſpecificatiuum & eſſentiale cognoſcenti

neque quicquam in cognoſcente, quod non ſit cognitum.

Quinimo cùm natura cognitionis ſit, vt aliud quod eſt cognitum, ex vi cognitionis, ſit in cognoſcente, ſeu ſit ipſum cognoſcens, ſeu, vt faciat cognoſcentem eſſe cognitum, ſi priùs non erat ipſum cognitum; patet Deum vt cognoſcentem ſeſe, eſſe ex vi ipſius cognitionis eundem ſibi, nouâ quâdam & ſpeciali identificatione, præter illam quæ eſt ex omnimoda ſimplicitate ſuâ; atque adeo (ſi dici poteſt) magis vnum & ſimplicem, non obſtante alietate quæ in ipſo ſit.

Cùm verò relatio non ſit aliud, quàm ipſa res comparata ad correlatum, ſeu quid res eſt ſi comparetur ad aliud; in Deo autem nihil inueniatur niſi ſubſtantia ipſius; palam eſt non poſſe eſſe niſi ſubſtantialem, ſeu in ſubſtantiâ fundatam, hanc relationem alietatis. Alietas autem in ſubſtantiâ, non identitatem dicit, & per conſequens, pluralitatem: neceſſarium proinde eſt pluralitatem in Deo ponere.

Obijcies, ſubſtantialem vnitatem & pluralitatẽ prorſus repugnare primis naturæ principijs. Fiat enim argumẽtum: Deus cognoſcens eſt hic Deus; & Deus cognitus eſt hic Deus: ergo Deus cognoſcens eſt Deus cognitus. Conſequentia eſt bona in ſyllogiſmo dicto expoſitorio, cùm ſingularis propoſitio æquiualeat vniuerſali: hic Deus autem eſt terminus ſingularis, & reddit reliquos ſingulares.

Reſpondetur, ſecundum terminos poſitos ſyllogiſmum eſſe bonum & concludentem; mutatis autem paululum (vt oportet) apparere ipſius imbecillitatem; vt ſi dicatur, Deus vt cognoſcẽs eſt hic Deus; & Deus vt cognitus eſt hic Deus: ergo Deus vt cognoſcens, eſt Deus vt cognitus: clarè patet inconſequentia & fallacia. Termini autem qui aſſumuntur in hâc materiâ, tales ſunt, vt includant reduplicationem in vi ſuâ; quæ cùm latet, fallit arguentes, & facit videri euidentiam vbi nulla eſt.

Dices. Si non ſit alia pluralitas in Deo, erit purè rationis: namque ſicut verum eſt, Deus vt cognoſcens non

est Deus vt cognitus; sic verum quoque est, Deus vt misericors, non est Deus vt iustus; & tamen non propterea Deus vt iustus distinguitur plus quàm solâ ratione à Deo vt misericorde: quare hæc solutio non satisfacit difficultati.

Respondetur: aliud est quærere in quo fallat syllogismus propositus; & aliud, quæ sit causa quæ faciat eum fallere. Et ad syllogismum quidem rectè responsum est: verè enim non animaduersio quòd lateat reduplicatio, fallit arguentes; quæ in altero syllogismo aperta est. Radix autem diuersa est, nam in syllogismo de misericordiâ & iustitiâ, radix fallendi est qualitas ex vi solius rationis (id est, ex eo quòd prædicata sint in mente nostrâ) refusâ in obiectum: non enim nomen misericordiæ exprimit quod sit distincta à iustitiâ, vel è contrà; sed dumtaxat actus quo cognoscimus misericordiam, est distinctus ab actu quo cognoscimus iustitiam. In priori verò est qualitas obiecti, quæ est in mente nostrâ, ex propriâ natura obiecti in mentem

noſtram refusâ: cùm enim dicimus, cognitum eſſe in cognoſcente vt aliud; intendimus explicare ipſum modum & proprietatem cognitionis, quæ cognoſcitur à nobis, quam habet in ſeſe & extra nos, & hanc transferre in Deum & prædicare de eo: quæ eſt alietas declarata; & propterea non rationis, ſed realis eſt diſtinctio.

Replicabilis; vel realiter eſt vna ſubſtantia, vel plures. Et ne ſit æquiuocatio in voce *realiter*, intelligitur ex parte rei, ceſſante omni operatione intellectus noſtri; ſeu omnino abſtrahendo à conceptibus noſtris: quare illic valebit vis contradictionis, etiamſi in conceptibus noſtris, ex vi reduplicationis, poſſit eludi vis conſequentiæ.

Reſpondetur, hanc replicam videri ſupponere, quòd in obiectis (& ſpecialiter in Deo) ſint quædam formalitates correſpondentes actibus noſtris, & quâdam æqualitate eos verificantes; quæ in hâc materiâ eſt periculoſa ruditas. Quare dicimus abſtrahendo à noſtris conceptibus, eſſe Deum vnam ſimplicitatem ſimpliciſſimam, quæ neque ſit Deus, neque

ens,

ens, neque aliud formaliter quod nos cogitare possimus; sed nostras cogitationes eam inadæquatè repræsentare; non quasi accipientes aliquod vnum ex pluribus quæ ibi actu sint, sed accipiendo participationes quasdam inferiores eo quod ipse est, & dissimiliores quàm saliua vel pediculus est respectu hominis.

Est itaque Deus vna simplicissima entitas & formalitas; sed cuius natura sit, vt sicut explicatur per esse, bonum, æternum, ens &c: sic etiam ex necessitate explicari debeat, per conceptiones intelligentis & intellecti; & per consequens per esse alium in alio: & sic alietas tam verè dicitur de Deo, quàm bonitas & iustitia; & hoc ex vi obiecti; non quidem abstrahendo à nostris conceptibus, sed ex vi quam obiectum habet in nostrum intellectum, vt imprimat talem sui similitudinem, & faciat nos affirmare Deum habere alietatem; sicut habet bonitatem; id est, esse quod rectè repræsentetur per conceptus his vocibus respondentes; & non ex vi intellectus, deformantis impressionem obiecti.

Replicabis, vt dicta ſint veriſſima, neceſſarium tamen eſſe, vt etiam locutiones humanæ ſint conſequentes ad inuicem, etiam cum de Deo agimus; & non includant contradictionem; alioqui nulla regula ſupererit veritatis in conſequentijs circa Deum. Non itaque dicendum eſt verè in Deo ſubſtantias eſſe plures, & eſſe vnicam; quod tamen ex dictis videtur neceſſariò conſequi, in dictis noſtris, etſi non in re; & quantumuis fortaſſis in terminis conſuetis eludi aliquo modo poſſit.

Reſpondetur, quòd cùm nihil ſit in Deo niſi ſubſtantia quæ poſſit fundare vel vnitatem vel pluralitatem, neceſſe eſt vtramque dici de ſubſtantiâ. Sed anguſtia locutionis ad conſueta obiecta accommodatæ, hic improprietatem patitur; non enim dicendum eſt rigoroſè eſſe ſubſtantiam vnam & ſubſtantias plures (ſicut habet conſuetudo linguæ) ſed eandem ſubſtantiam eſſe vnam, & rurſus ſubſtantiam eſſe plures; vt ſignificetur eſſe non ſolùm ſubſtantiam vnam, ſed etiam ſubſtantiali-

ter vnam; & esse substantiam plures, sed non substantialiter plures, sed duntaxat relatiuè.

Cùm enim ratio entis per singula prædicamenta varietur, necessum est rationem vnitatis quoque secundùm eadem variari; & posse esse vnum substantialiter, quod est plura secundùm aliud genus; vt hastâ & gladio armatus, est plura in genere habitus; ambulans & loquens in genere actionis, etsi in genere substantiæ vnus sit tantum: è contra, duo metalla vel liquores mixti, sunt plura substantialiter, vnum quantitatiuè. Sic itaque Deus est vnus substantialiter, plures relatiuè; propter oppositionem relationum pluralitatem inferentium.

Ex quibus clarè constare potest, nullam prorsus contradictionem in vnitate & multiplicitate in diuinis ponendâ incurri; cùm neque Logicæ neque Physicæ repugnet; sed vtriusque exemplis parietur. Quare qui dicunt insolubilem esse hanc difficultatem; vel principia naturæ fallere in diuinis seu ente infinito, & similia, manifestè produnt fidem Catholi-

cam Paganis; non satisfaciunt, sed cedunt; & in virtute dicunt verum esse contrarium vero, & fidem rationi. Quare è Scholâ Theologorum omnino reijciendi sunt: præstat enim tacere, quàm Deo & naturæ calumniam inferre.

LECTIO II.

Quòd pluralitas quæ est in Deo, sit Personarum.

EX dictis elicitur, esse in Deo aliquid commune, & aliquid particulare. Cùm enim & pluralitas sit in Deo ex vi relationum, & vnitas ex vi substantiæ; sed neque relatio possit esse aliud à substantiâ; fit, substantiam communem esse; seu esse eandem in omnibus ijs, quæ ex vi relationum sunt plura; & per consequens, quæ distinguuntur inuicem, includere aliquid commune.

Verumtamen cùm communitas duplex sit; alia rationis seu vniuersalitatis; cùm in intellectu solo est vnitas rei, quæ dicitur communis (quod

accidit in speciebus & indiuiduis prout in materialibus reperiuntur); alia accidentium & subiecti; sicut Statuario & Musico commune est esse Polycletum: relatio verò ad substantiam hoc posteriori modo comparetur; fit communitatem & particularitatem hâc magis viâ in diuinis esse accipiendas.

Præterea, cùm Persona sit ad naturam intellectualem, quod prima substantia, vel suppositum ad naturâ substantialem in communi; particularia verò in Deo penes relationes distincta sint idem cum ipsâ substantiâ; non possunt non esse plura indiuidua naturæ intellectualis, hoc est, Personæ. Clarum itaque fit, in diuinis esse plures Personas.

Neque obstat, quod inter nos, ratio Personæ vel indiuidui, accipitur, penes eam particularitatem, cuius communitas est tantummodo rationis. Hoc enim per accidens est ad rationem indiuidui vel Personæ; cuius ratio completur in hoc, quod sit per se subiectum existentiæ; vt patet in Intelligentijs, quæ, cum nihil ha-

beant commune in suâ specie, non dubitantur esse indiuidua naturæ intellectualis, & Personæ: & hoc significat potissimum nomen, quod est esse primam substantiam.

Ex his rursus claret, quare cognitio sui, non constituat plures personas in Intelligentiâ, vel animâ separatâ æquè atque in Deo: propterea scilicet, quòd relatio cognitionis creatæ, non fundatur in substantiâ, sed in accidente; & per consequens, non facit oppositionem nisi accidentalem; quæque possit adesse & abesse: cùm cognitio diuina sit ipsa essentia diuina; & consequenter faciat distinctionem substantię ad substantiam, modo explicato.

Adde, quod essentia Angeli vel Animę, non ordinatur primariò, & quasi specificatiuè, ad hoc vt cognoscat se; sed vt cognoscat plenitudinem entis, & particulariter Deum; vnde non est aliqua relatio ex parte obiecti, ad cognosci à se; & per consequens, neque ratio vlla distinctionis personalis: in diuinis autem quia essentiale est cognoscere, etiam es-

sentiale est cognosci; & ordinatur objectum ad cognitionem, æque atque cognitio ad obiectum; & est ex vtrâque parte relatio realis.

Dices, quod si nomen personæ, significat esse per se subiectum existentiæ, erit nomen absolutum; & per consequens relationes non constituent rationem Personæ; quare neque erunt plures Personę, sed vnica in diuinis; absoluta enim non multiplicantur per relationes; vel certè dicentur quatuor Personæ, vna absoluta, & tres relatiuæ.

Respondetur, indiuiduationem ad quam refertur nomen Personæ tanquam particulare ad vniuersale, habere in re duo quasi munera; alterum, vt de communi faciat particulare: alterum vt compleat rationem entis in hoc quòd sit subiectum existentiæ. Vnde nomen personæ natum est secundum vtraque hæc munera transferri in Deum.

Cùm itaque euidens sit, Deum vt ipsum esse, habere ex ipsâ essentiâ suâ existere; non est dubium, quin secundùm posterius munus, transferri

possit hoc nomen, ad significandum Deum secundùm absoluta & essentialia. Et sic patet tum in lege naturæ, tum in lege scriptâ, tum à Philosophis, Deum tanquam Personam vnam absolutam agnitum & veneratum esse. Immò etiam fortassis à nobis, quoties eum Deum sine additione relatiuâ nominamus.

Cùmque rursus clarum sit, relationes in Deo habere vim quam diximus particularisandi communia Dei; etiam euidens est, secundum secundam significationem transferri posse in Deum; & sic tot esse Personas, quot relationum oppositio cogit confiteri. Sed hæ Personæ non faciunt numerum cum Personâ absolutâ; tum quia non condistinguuntur ei; tum quia vim subsistendi accipiunt à ratione absolutâ Personæ, quæ eam constituit; & tandem, quia significationes duæ sunt, & vox æquiuoca secundùm singula munera transfertur.

Adde, quòd cùm hæ relationes sint peculiares naturæ cognoscenti seu rationali, habent peculiariùs in

sese

ſeſe dignitatem illam, quâ differt persona à ſuppoſito. Quare abſolutum illud, magis videtur ſecundùm formalem ſui rationem, conſtituere ſuppoſitum, quam Perſonam. Quia tamen vſurpantes agnoſcebant Deum eſſe cognoſcentem, non poteſt ei negari ratio Perſonæ, extra comparationem ad relatiuas.

Replicabis, conſtare ex Philoſophiâ, omnia indiuidua ſubſtantialia eſſentialiter differre, etiam in materialibus; & quod ſequitur, nullam eſſe ſpecificam rationem ab indiuiduatione complendam; & per conſequens, non eſſe aliquam vim particulariſandi in ratione indiuiduali vel Perſonæ, ſecundùm quam nomen Perſonæ poſſit transferri in Deum.

Reſpondetur, quicquid ſit de rei veritate, palam eſt homines entia omnia non diſpicere vſque ad vltimas differentias, ſed ad certas duntaxat collectiones reducere, & omnia quæ ſunt ſub vnâ collectione, æſtimare tanquam vnius naturæ; & differentias magis particulares, pro acci-

dentalibus & materialibus habere. Vnde cùm nomina imponantur ex eo quod apparet hominibus; appareant autem hominibus hæc duo munia indiuiduationis; clarum eſt, nomen indiuidui, vel Perſonæ, has duas ſignificationes habere poſſe; & ſecundùm vtramlibet ad diuina traduci poſſe.

Patet ex dictis, quomodo nomen Perſonæ, etſi ſit abſolutum, tamen ſignificet relationem. Cùm enim relatio in diuinis habeat vim particulariſandi ſub naturâ, quæ vis in creatis ſolet eſſe abſoluta; id eſt, cùm idem accidens competat relatiuo & abſoluto, appellatur relatio nomine abſoluto, quatenus huius accidentis particeps eſt. Non quòd particulariſare ſit accidens relationi diuinæ, ſed quòd relationi in communi, & diuinæ quatenus relatio eſt accidat.

Ex quo rurſus conſtat, relationem eſſe idem quod Perſonam; eam conſtituere, & diſtinguere; & abſtractis relationibus, non manere Perſonas neque hypoſtaſes. Quia ſcilicet ratio Perſonę formaliter ſignificat vim

particulariſandi ; quę vis exercetur à relationibus. Vnde relatio eſt forma conſtituens Perſonam ; ipſum verò nomen Perſonę , quodammodò intentionale & Logicum eſt.

Dices, non rectè definiri Suppoſitum vel Perſonam eſſe indiuiduum; cùm anima rationalis , ſaltem ſeparata, ſit indiuidua , non tamen ſuppoſitum. Quare addendum eſſe quod ſit incommunicabile. Reſpondetur, animam rationalem tantum deficere à ratione indiuidui naturę rationalis, quantum à ratione ſuppoſiti : Si enim ſeparata non eſt ſuppoſitum, hoc propterea eſt , quia natura humana non eſt completa ſine corpore ; & per conſequens, ipſa manet indiuiduum non naturæ, ſed partis naturę rationalis.

Incommunicabilitas autem non debet addi; quia vel ſignificat incommunicabile alteri ſuppoſito ; & tunc definitum ponitur in definitione, & eſt contra ipſum myſterium hoc, in quo, cum ſingulæ Perſonæ ex ſuâ proprietate habeant eſſe in reliquis, non poteſt negari vna Perſona eſſe

communicabilis alteri. Vel alteri parti, vel naturæ; & ſic manifeſtè falſum eſt; cùm actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum; & per conſequens earum termini, & quicquid aduenire poteſt rei, ſpecialiter & propriè aduenit ſuppoſito, & accipit eſſe à ſuppoſito; & cum vnitas ſit duorum, vtrumque vtriq; communicatur & vnitur; niſi fortè velimus ludere in rigore vocis *communicari*.

Ex hac explicatione Perſonę, fit liquidum, ſuperfluam eſſe illam entitatem, quam recentiores magni æſtimant ad explicandum hoc myſterium & naturam Perſonę, eamque ſubſiſtentiam & Perſonalitatem appellant. Sed ipſimet fatentur, nullum eſſe eius in naturâ veſtigium, ſed eſſe colligendam ex ſolis fidei myſterijs: quorum ſenſus cum ſit ignotus, & propoſitus Theologis explicandus, & difficilior naturâ; patet hos Theologos minùs ignota per magis ignota inueſtigare, & explicare conatos.

Sed & confundit quę de Perſonę ratione naturaliter nota ſunt, poſitio huius entitatis; nulla enim vlteriùs

ratio ſuppetit, cur actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum; cur quicquid non eſt in naturâ, pertineat ad perſonam, & ſimilia; quę & inter Theologos recepta ſunt, & ſi Perſona non diſtinguatur ab indiuiduo naturę rationalis, facillimè intelliguntur; cùm verò ad hanc entitatem comparantur, prorſus tenebreſcit omnis eorum connexio & conſequentia.

Rurſus, inexplicabilis eſt ratio huius entitatis; & nihil ferè affertur, niſi quòd ſit terminus vel complementum ſubſtantię: eſſe verò terminum, non ſignificat aliud, quàm non vlteriùs ſeſe porrigere; quod palam omnibus eſt pura negatio, & non poteſt eſſe quidditas entitatis ſpecialis, neque diſtincta ob ente terminato; cum non ſignificet aliud, quàm tale ens non eſſe plus de ente ſeu magis ens: quod pertinet ad intrinſecam differentiam cuiuſuis entis. Complementi verò nomen, eſt ęque vniuerſale atque nomen imperfecti, ad quod refertur, & cuius imperfectionis natura explicanda eſt, vt ſciamus quid ſignificetur nomine complementi.

Quid, quod ipsis suorum parentum dictis contraria est hęc positio, qui ponunt ante hanc entitatem rem, cui deest habere existentiam; & per consequens, esse perfectam in existentis, siue entis ratione; & cùm esse ens, sit esse substantiam, esse perfectam in ratione substantiæ; & postmodum inducunt complementum substãtiale, & perseitatem quamdam existendi, quæ compleant in ratione entis & substantię.

Adijce quod non soluit quęstionem Theologicam; non enim hanc entitatem ponendo, satisfit Ethnico vel hęretico; sed irridendi fidem ansa offertur; quasi quę nihil nisi nebulam vocum inexplicabilium contineat, & reipsâ rationis sit egena & vacua. Non enim magis intelligit aliquis quomodo plures personę sint vnius naturæ; sed duntaxat quam habuit de Personâ aliqualem cognitionem, ipsa ab illo tollitur, nihilo vlteriùs explicato.

Quin magis ipsa mysterij fides destruitur. Cùm enim edocti simus plures Personas eiusdem naturę credere,

ſi Perſonę & naturę nomen ſic accipiantur, ſicut in naturâ ſolent accipi, vnus eſt articulus fidei : ſin verò inueniendus eſt nouus ſenſus harum vocum, articulus erit alius. Qui itaquè dicunt ſignificare nouas entitates, quarum natura nuſquam conſcia eſt, manifeſtè nouam nobis fidem, & non illam quę hactenus Eccleſię nota eſt, effingunt & proponunt.

LECTIO III.

De comparatione Eſſentiæ & Perſonæ in diuinis.

EX ſupradeclaratis infertur, nomen Eſſentię in diuinis dupliciter accipi. Ex eo enim quod intelligimus aliquid in diuinis cõmune, & aliquid particulare ; ſeu plures Perſonas vnius Eſſentiæ, patet quod nomen Eſſentiæ reſtringimus ad certa prędicata ; cum tamen priùs hac cognitione, nomen eſſentię omnia prędicata comprehenderet, & quodlibet prędicatum diceretur eſſentiale.

Ex quo fit, quod ſi in Philoſophico ſenſu nomen eſſentię accipimus; & ſicut dicimus beatos clarè videre eſſentiam Dei; ſic quoque dicendum erit, omnes Perſonas diuinas eſſe de eſſentiâ Dei; ſic enim eſſentia ſignificat illam ſimpliciſſimam formalitatem, quę verificat omnes conceptiones noſtras quę de Deo verę ſunt; & hoc etiam modo, & Iudęi & Philoſophi de Deo loqui nati ſunt; & quicquid non eſt de eſſentiali ratione Dei, hoc modo non eſt in Deo.

In poſteriori verò acceptione nominis Eſſentię vel naturę, ęquè clarum eſt, Perſonas non eſſe de eſſentiâ Dei; cùm eſſentia Dei dicat Deum quatenus abſtrahit à condiuiſis Perſonis; cùm hęc ſit intentio vtentium voce. Quo non obſtante, eſt in Eſſentiâ (etiam in hâc ſignificatione) vnde Perſonę ſint in Deo, ſiue vnde non poſſint non eſſe: ſed non inſunt ſub nomine eſſentię, quia datâ operâ ab ijs abſtrahitur.

Petes, quomodo cùm cognoſcere & cognoſci ſint de ratione eſſentiæ in hâc poſteriori acceptione, non ſint

etiam Personæ de eâdem ; cùm non sint aliud quàm cognoscere & cognosci? Respondetur propriè loquendo, cognosci & cognoscere non esse de essentiâ Dei , prout abstrahit à Personis ; sed illam in hoc sensu terminari in conceptibus existentiæ, subsistentis , & similibus , quæ non sunt relatiuæ. Quia tamen cognoscere & cognosci sunt communia omnibus Personis , videntur pertinere ad essentiam vt abstrahit : quod tamen non sic est , quia hæc communitas non est abstractiua ; sed ex hoc quòd singularia vnius Personæ, sunt in aliâ Personâ , quia ipsa Persona cuius singularia sunt, etiam in illâ est.

Patet ex opposito, essentiam in posteriori acceptione , esse de ratione singularum Personarum , sicut commune est de ratione particularis. In priori verò acceptione cùm sit quodammodo collectio essentiæ & Personarum, clarum est non posse esse de ratione vnius Personæ ; nisi fortè indirectè & obliquè ; sicut Persona opposita est in suâ oppositâ : qui modus non pertinet ad præsentem inquisitionem.

Claret vlteriùs, quòd quoniam ratio Personæ diuinæ; prout dicitur de pluribus in Deo analogicè, subsumitur sub ratione Personæ; Persona autem indiuiduum est; ita prædicanda sit ratio Personæ diuinæ de pluribus Personis diuinis, sicut indiuiduum substantiæ (quod solum est propriè indiuiduum) de omnibus & singulis indiuiduis substantialibus.

In ratione verò indiuidui sic vniuersaliter sumpti, reperiuntur duæ rationes, puta ratio entis vel substantiæ, & ratio, indiuiduationis: cùm enim indiuiduum substantiæ sit primò illud, quod habet, vel natum est habere existentiam; clarum est quòd dicitur *ens* in priori & potiori significatione, quàm genus vel species dicantur substantia; & propterea dicitur prima, vel primò substantia. Ratio itaque entis communissima est illa, quæ metaphysicè loquendo constituit indiuiduum: vnde & omnia indiuidua complent rationem generis summi,

Ratio verò indiuiduationis clarè

pertinet ad ſecundas intentiones: non enim ſonat indiuidum, ſed indiuiſibile; ſicut & diuiduum ſignificat quod poteſt diuidi; clarè itaque dicitur per oppoſitionem ad genera & ſpecies, quæ ſecundùm rationem ſunt diuiſibilia in inferiora. Sonat itaque nomen indiuidui, quod non eſt diuiſibile ſecundùm rationem; ſicut & ſingulare (quod tantumdem valet), ſonat oppoſitionem ad vniuerſale; quod cùm ſit rationis, relatio quoque rationis eſt nomen ſingularis.

Ratio proinde Perſonæ diuinæ, prout de pluribus dicitur, quoad hanc partem, eſt etiam nomen ſecundæ intentionis; & dicitur de pluribus per modum quinti prædicabilis, & non trahit ſecum compoſitionem aliquam generis vel differentiæ, quæ habeat fundamentum in ipsâ naturâ diuinâ; & ſic omnino ſine aliquo inconuenienti prædicatur communiter de pluribus.

Rationi verò entis quod in perſonis creatis reperitur, (hoc eſt prædicatorum particulariſantium, quæ

Petreitatis vel Bucephalitatis vocibus comprehenduntur) correſpondet in diuinis ratio relationis diuinæ : quare ſic prædicabitur Perſona diuina de pluribus Perſonis, ſicut relatio diuina de pluribus relationibus. Relationum quoque diuinarum quomodocumque oppoſitarum, eamdem eſſe realiter rationem fundandi, puta eſſentiam diuinam communem, ex ſupra dictis patet.

At relatio non addit quicquam ſupra rationem fundandi, ſed eam duntaxat diuerſificat, vt patet reſoluenti relationem aliquam; ſicut parietem eſſe ſimilem parieti, ſignificat quidem hunc & illum parietem eſſe albos: ſed ex parte huius parietis, non ponit niſi ſuam rationem fundandi, ſeu ſuam albedinem; quæ ſit ſimilitudo, præciſè ex eo quod ſit in intellectu comparante : adeo vt dicere duos parietes eſſe albos, & dicere hunc ſimilem illi quoad materiale dictum, ſint omnino eadem.

Sic autem ſunt plura dicta forma-

liter, vt non ſit plus in vno dicto quàm in alio, ſed aliud: vt enim albedo ſit ſimilitudo, non habet ex vi intellectus comparantis, ſed ex vi ſuâ in intellectu comparante; vt intellectus comparans ſit cauſa mutationis, ſed nihil mutati; ſicut phiala in quam infunditur aqua, eſt cauſa mutationis figuræ in aquâ, ſed nihil in mutato; ſed eſt ipſam naturam aquę eſſe huius figurę, poſito hoc eam continente. Sic itaque albedo accipit notionem albedinis, vel ſimilitudinis, ab actu abſoluto, vel comparatione, abſque eo quod natura actus ingrediatur prędicatum relationis.

Hęc ſic ſeſe habere conſtat, non ex eo ſolùm quod in duobus dictis omnimoda inueniatur ęqualitas; & quod non poſſit intelligi vnum eſſe, & non eſſe alterum; verum etiam quia alioquin omnes relationes eſſent opera rationis, & non rerum affectiones extra mentem; quod eſt contra communem ſenſum generis humani, & diſciplinarum relationes plerumque contemplantium.

Quare non eſt aliquis conceptus

relationis additus conceptui fundamenti modificatus seu mutatus: neque quicquam intelligi potest in relatione, nisi quod includat ipsum conceptum rationis fundandi; non magis quàm in bicubito, vel in calore vt duo, si quantitatem vel calorem auferas, poteris quicquam intelligere. Neque si aliter foret, posset relatio vnicâ definitione definiri, seu esse verè vna ratio; cùm vnum & plura non possint simul consistere.

Ex quibus apertè concluditur, rationem relationis diuinæ, non esse communem vniuersaliter, seu per modum generis vel speciei pluribus relationibus diuinis: si enim non potest accipi ratio aliqua relationis, non præacceptâ ratione fundandi; clarum est, non posse quicquam esse commune relationibus, nisi ponatur etiam commune rationi fundandi, quæ est quodammodo ratio immediatè superior illis. Cùm itaque ratio fundandi sit eadem, neque possit habere aliquid commune, neque relationibus aliquid erit commune.

Vnde ſi quis contendat rationem *Ad*, eſſe communem his relationibus, replicandum eſt, non rationem *Ad* in communi eſſe genericam particularibus relationibus, ſed diuidi eas ſecundum particularia genera; rationem vero *Ad*, præcisè & ſeparatim à ratione fundandi, eſſe rationem extrinſecam, à ſubiecto ſeu comparatione ſumptam, atque adeo prædicatum rationis, quale etiam in diuinis eſſe commune, nullum eſt inconueniens.

Quare neque ratio Perſonæ, etiam quoad hanc partem ſignificationis, habebit aliquam vniuerſalitatem; non magis, quàm ſi quis contenderet eidem viæ de vertice montis ad vallem ferenti, dari aliquam notionem viæ communem, ad viam ſurſum, & viam deorſum, propter reales proprietates diuerſas; ſcilicet quod vna ſit accliuis, altera decliuis; vna facilis, altera difficilis.

Ex quibus tandem euidens eſt, rationem Perſonæ diuinæ, non eſſe communem pluribus, per modum indiuidui vagi; ſiue illud explicas

per notam *aliquis*, vel per notam *quidam*. Verè enim aliquis homo est pars termini omnis homo; & per consequens, veram vniuersalitatem, euitandam in diuinis, includit. Neque obstat, quod Persona magis ad rem naturæ, quàm ad naturam significandam imponitur; per hoc enim & à significatione *aliquis homo* recedit, quæ non repugnat cum indeterminatione, sed illam includit obiectiuè, & recidit in rationem entis in communi.

Terminus autem, *Quidam homo*, nominat certum hominem obiectiuè, sed ignotum; neque vniuersalitatem includit materialiter, sicut *aliquis homo*; & propterea magis propriè significat indiuiduum vagè: sed etiam nihil habet commune nisi vocem; sicut Petrus, cùm applicatur pluribus singularibus. Vnde in iure ponitur determinatum nomen, vt Titius, vel Sempronius, loco huius, *Quidam*. Quare clarum est, hoc modo nihil inconuenientis esse, vt nomen Personæ sit commune; si vsus nominis hoc ferat.

LEC-

LECTIO IV.

Quòd sint in Deo duæ Personæ, quæ sint Pater & Filius.

POst hæc considerantibus cognitionem esse ad hoc, vt cognitum sit aliquid cognoscentis; manifestè apparet, cognitionem per essentiam suam, seu per hocipsum quod est esse cognitionem, esse ipsius cogniti, & ab eo habere ipsam suam rationem formalem; æque atque arte factum ab operatione, ad quam perficiendam factum est. Cùm itaque imago addat supra rationem similitudinis, quod sit à suo simili, patet cognitionem habere & rationem similitudinis, & imaginis.

Cumque similitudo dicat vnitatem secundum formam in diuersis suppositis; cognitio verò diuina ex vi sui habeat formam (id est, essentiam & naturam ipsammet cogniti) habere in distinctâ Personâ; & hoc ex vi huius, quod sit essentialiter à cognito;

euidens sit, quod persona cognoscens, seu cognitio, habeat ex vi suæ essentiæ seu rationis personalis, id est, quatenus est cognitio, esse in similitudinem personæ cognitæ, secundum ipsam naturam & essentiam ipsius, quæ est communis vtriusque, & specificans cognitionem.

Quare cùm cognitio sit principium mouendi se ei in quo est; & per consequens, cognoscens sit viuens; cognitionis verò seu cognoscentis natura in diuinis sit natura cogniti, fit personam quæ est cognitio esse viuens à viuente in similitudinē naturæ. Et cum cognitio faciat cognitum esse in cognoscente, clarum est cognitum, quod est principium ipsius, esse principium coniunctum. Cognitio itaque in diuinis, est Persona viuens à viuente, vt principio coniuncto, existens in similitudine naturæ ipsius; hoc est Filius; & per consequens, Persona correlata Pater; eruntque in diuinis Pater & Filius.

Dices, obiectum esse ens, & non ordinari ad cognitionem; & per

consequens, non habere relationem; neque rationem Patris posse in eo fundari. Respondetur, obiectum vt objectum, esse indifferens ad hoc vt agat naturaliter in potentiam cognoscitiuam, vel per accidens; sed quando ipsa natura cognoscentis est per sese objectum suæ potentiæ cognoscitiuæ, necessum est tam ordinari objectum ad cognitionem, quàm cognitionem ad objectum; etsi non æqualiter; quia cognitio essentialiter est ab objecto, sed objectum tantummodo naturaliter est actiuum in suam potentiam; maximè, cùm ipsum cognoscere est finis & beatitas cognoscentis; sicut accidit in Deo.

Quoniam vero verbum sonat quod verum, seu in quo verum, quasi veruum; id est, locutio in quo veritas est; quod apud logicos propositio, vel enunciatio, vel assensus dicitur: (vnde & verbum, quæ est pars orationis, quodammodo enunciatio est, cùm includat prædicatum & copulam.) Sicut autem ens, sic & propositio & cognitio completur per

esse; essentia vero Dei est ipsum esse; palam est, hanc cognitionem Dei, atque adeo omnem, esse Verbum; id est, perfectam cognitionem seu enunciationem veram.

Cùmque, vt diximus, essentia huius Verbi, sit esse ab objecto; Objectum vero habeat rationem Patris, & Verbum rationem Filij; consequens est, Filium esse Verbum sui Patris; & esse nomen personale. Sed quamuis sit etiam cognitio de creaturis, non propterea est Verbum creaturarum, vel dicit respectum ad creaturas; quia est alterius ordinis; & non est bonum cognoscentis, cognoscere creaturas vltra quàm quomodo sunt in essentiâ ipsius; & propterea non coordinatur cum hoc objecto, neque habet relationem respectu illius. Et par aut similis ratio est, de quocumque attributo, vel aliâ ratione in Deo, quod non habet rationem principalis cogniti: Personæ enim secundæ relatio à nullo horum specificatur.

Dices, Verbum videri idem sonare quod dictionem; dictio autem ad

dicentem refertur; quare & relatio Verbi, erit ad dicentem potius quàm ad objectum. Respondetur Verbum dici tum de verbo interiori, quod est propriè cognitio; tum de Verbo exteriori, quod est manifestatio cognitionis. Et hoc posteriori modo est idem quod dictio, & habet relationem ad dicentem, à cuius authoritate pendet veritas eius quatenus est manifestatio. Et, si vox secundum hāc significationem dicatur de Deo, significabit actionem creatam; & habebit relationem tum ad Deum dicentem, tum ad creaturam dictam; & relatio vel denominatio Dei, erit ex tempore, & rationis; qualis est Domini vel creatoris. Prout autem est nomen personale Dei, transfertur secundùm priorem significatiotionem, non posteriorem.

Infertur, non bene explicari generationem Verbi, per actionem procedentem à Patre, ex vi naturæ diuinæ in eo existentis, antecedenter secundùm rationem ad intellectum. In primis enim, cùm neque in naturâ distinguatur essentia seu natura,

ab accidentibus, tanquam entitas ab entitatibus, ſed tanquam ens à determinationibus ſui, adeo vt ipſa accidẽtia modificent ipſam generationem; palam eſt, longè inconuenientiùs trahi ad diuina hanc diſtinctionem.

Sed & ſi foret talis diſtinctio in creaturis, eodem certè iure diſtingui deberet in Deo potentia aliqua generatiua poſterior naturâ diuinâ, & prior intellectu, per cuius virtutem procederet Filius; cùm ſubſtantiæ creatæ non operentur niſi mediantibus accidentibus; & huiuſmodi accidentia, qualia ſint in Deo, & ſpiritualibus creaturis, explicari & oſtendi deberent; quorum non eſt aliquod veſtigium.

Sed & ſpecialiter Deo repugnat, poni in ipſo aliquid extra eſſentiam ipſius; cùm enim exiſtere ſit eſſentiale ipſi; & exiſtentiæ nihil poſſit ſuperuenire; vel dicendum eſt, intellectum & voluntatem non eſſe ipſum Deum; vel eſſe ipſi eſſentiales. Quod enim Perſonalitates ſint extra eſſentiam, eſt ex arbitrariâ ſumptione huius nominis eſſentiæ, pro præ-

dicatis absolutis, abstrahendo ab ijs.

Tandem hæc sententia in eo peccat, quòd rationes Patris & Filij, & generationis, immediatè à materialibus transferet ad Deum; & non mediantibus alijs rationibus spiritualibus, puta Verbi, cognitionis & c. Cùm tamen constet, imperfectionem materiei, & motus, non nisi mediantibus spiritalibus notionibus, in Deum transferri; secundùm scita communia Theologorum.

Non minùs constat, non posse generationem poni in quâdam actione intellectus distinctâ ab intellectione, cuius propria ratio sit dicere. In primis enim nulla talis spiritualis actio reperitur in nobis; sed tantùm corporea, puta, vel prolatio verborũ exteriorum; vel ordinatio phantasmatum in cerebro, ad huiusmodi verba proferenda: ex quibus non sunt in Deum transferendæ notiones, saltem immediatè; neque est ille sensus Theologorum.

Sed neque explicabile est quidpiam proprium & peculiare intellectui, in quo hæc dictio excedat enuntiatio-

nem, seu assensum, vt sit peculiaris actus intellectus: nam dicere hunc actum intrinsecè dicere ordinem ad suam causam, quiddam transcendens est. Apparet itaque totum hoc non esse nisi commentum ad explicandum mysterium, & absque impugnatione debere reijci, sicut absque probatione introducitur.

Verum neque possunt multiplicari cognitiones in Deo, vt alia sit quâ Pater & Filius cognoscant communiter, alia quâ Pater solus cognoscat, & cognoscendo generet, quæ sit actus proprius & notionalis. Consequenter enim debet tertia cognitio poni in Filio, quâ sit generatus; cum ratio scientiæ sit magis appropriata ipsi quàm Patri; & non possit esse communis, cum secundùm illam distinguendæ sint Personæ.

Sed & est contra principia communitatis: cum enim commune id dicamus, quod est in pluribus; si cognitio alia est communis, alia particularis, communis est in particulari; & si est in particulari, particularis non distinguitur ab eâ; non itaque sunt

duæ, ſed vna. Adde quod neceſſe eſt, vt ſint plures particulares, ad hoc vt ſit vna cõmunis, alia particularis; reſpectu enim vnius particularis, non dicitur commune; ſed neque commune poteſt dici, niſi reſpectu particularis.

Adde quòd ſi cõmunis cognitio eſt cognitio abſque vllâ relatione, etiam particularis cognitio, abſque relatiuo erit perfectè cognitio; & per conſequens, aliquod abſolutum erit particulare; & nuſquam regula & modus, cur vnum abſolutum ſit particulare, aliud non: & violatum Theologorum axioma, quo omnem diſtinctionem in relatiuis ponunt. Vel certè ponenda eſt relatio aliqua, de ratione cognitionis particularis quatenus cognitio eſt, & non eſſe eandem rationem cognitionis in duabus illis.

Tandem non poteſt explicari ratio generationis in diuinis, per tranſlationem à proceſſione enunciationis ab ipſo cognoſcente: nam ordo cognitionis ad cognoſcentem, eſt ordo inexiſtentiæ, & vnitatis, & non proceſſionis. Cùm enim cognitio ſit eſſe cognitum in cognoſcente, ſeu

esse quasi partem , vel membrum, vel instrumentum cognoscentis, seu facultatem ipsius; patet ordinem ipsius ad cognoscentem, dicere vnionem & identitatem; neque posse distinctionem inde educi; quæ tamen ex generatione oritur.

Sed & reuerâ, cognitio non oritur à cognoscente in genere causæ efficientis; nisi fortè per accidens; vt cùm obiectum iam priùs est aliquid cognoscentis. Et etiam tunc, obiectum est cognoscens per accidens, & in potentiâ. Vnde tunc procedit cognitio à cognoscente quatenus nondum perfecto; id est, quatenus participante de aliâ naturâ, puta obiecti; non autem quatenus perfecto in ratione cognoscitiui; cùm tamen processio diuina sit à perfecto non imperfecto.

Neque obstat, quod habens habitum vtatur, & cognoscat quando vult; hoc enim est perfectio cognoscentis quatenus est imperfectus in cognoscendo, & non quatenus est cognoscitiuus. Vnde videmus perfecta cognoscentia semper in actu esse;

ſicut & rationabile eſt, quandoquidem actus ſecundus eſt potior primo, & refertur ad eum tanquam ad potentiam, præſertim cùm immanens eſt.

Ad hæc, non poteſt intelligi talis tranſlatio, niſi ratio cauſæ efficientis & effectus transferantur in Deum: cùm tamen ratio effectus ſit æquè imperfectionis, quàm materialitas & motus: & tamen conſideranti quid poſſit transferri ex comparatione efficientis & effectus, quod faciat oppoſitionem, non occurrit aliud, quàm Filium accipere eſſe à Patre, ſicut effectus ab efficiente accipit. Neque refert adijceri, *quaſi*, vel *ablata imperfectione*: τὸ enim, *quaſi*, nihil explicat; & ipſum accipere eſſe hoc modo eſt imperfectio.

Rursùs cùm Deo commune ſit, habere eſſe ex vi ipſius eſſendi rationis, nihil poteſt transferri in Deum, quod ſit contrarium huic rationi: ſed accipere Filium à Patre vt ab efficiente, eſt oppoſitum huic quod eſt habere ex vi ipſius rationis eſſendi; quia hoc dicit habere ex eo

quod est, & alterum dicit habere ab extrinseco; non itaque potest explicari processio Filij in genere causæ efficientis.

Dices, filios inter nos non procedere à patribus, nisi in causæ efficientis genere. Respondetur hoc falsum esse; docet enim Aristoteles, causam efficientem coincidere cum formâ. Vnde procedere à causâ efficiente sine imperfectione, est procedere præcisè ab eo vt formâ. Sed & in definitione generationis, ponitur vt sit in similitudinem naturæ; simile autem ad simile refertur per communitatem formæ: vnde hæc communitas formæ est principalis in generatione.

Dices rursus, in omni cognitione nostrâ procedere aliquid ab intellectu efficienter. Respondetur falsam esse vniuersaliter hanc propositionem. Nam neque prima cognitio vnquam procedit efficienter ab intellectu; neque posterior est à notitiâ aliquâ quæ sit in intellectu effectiuè (nisi in discursu); alioquin enim habitus non concurrit nisi dispositiuè in genere causæ materialis.

Tandem obijcies, quòd non poſſit intelligi quòd cognitio ſit actus vitalis; niſi procedat ab intellectu in qua recipitur. Reſpondetur hunc modum vitalitatis eſſe commentitium; tum ex eo quòd ponit idem indiuiſibile agere in ſeipſum; & eſſe in actu & potentiâ; tum quia ſupponit entitates quaſdam fictitias, quæ ſint entia, & non ſubſtantiæ; contra primam notionem ſubſtantiæ.

Rurſus, cùm viuentibus competat ſeſe mouere ad agendum; & in hoc ſint duo; alterum, quòd agant citra motum ab extrinſeco; alterum quòd moueantur intrinſecè; quorum hoc ſit imperfectionis, illud perfectionis: obijcientes illud quod eſt imperfectionis accipiunt pro ratione vitæ; cùm vita conſiſtat in perfectione, ſiue in illo altero, quod eſt habere principium agendi in ſe; vnde Deus qui omnino motum non poteſt habere in ſe, perfectiſſimè habet in ſeſe vitam.

Præterea decipiuntur in eo, quòd putant viuere eſſe actum ſecundum, & debere in actu ſecundo inueniri

intrinſecè rationem vitalitatis: Viuere enim eſt eſſe viuentis; & vita ipſius, anima vel ſubſtantia ipſius. Actiones autem vitæ, vel vitales, dicuntur tales, quia ſunt propriæ viuentium, vel ſequentes ex vitâ. Et ſic patet ambulationem, locutionem, & ſimiles actiones, haberi actiones vitæ.

Ex quibus patet, cognitionem eſſe actionem vitalem ex duabus cauſis; quia videlicet & eſt propria viuentis; & quia eſt ei principium agendi, vnde per illam habet ex eâ parte non indigere motore ad agendum: Non autem ex illo quod ſit ab eodem in eodem; quod in pleriſque actibus vitalibus, neque apparet quidem; in ijs autem in quibus putatur eſſe, neque eſt, neque eſt poſſibile eſſe.

LECTIO V.

Dari in diuinis tertiam Perſonam, quæ non ſit Filius.

PRogrediendo inuenimus, quòd, quoniam in naturis intellectuali-

bus creatis reperimus, cognoſcens, poſtquam vi obiecti accepit eſſe ipſum obiectum intellectuali modo, ſuo poſtmodum motu ferri ad obiectum, vt iungatur obiecto ſecundùm modum obiecti; & hunc motum ipſius appellamus volitionem, (& conſtat etiam ad Deum transferri volitionem) fieri etiam in Deo reperiri aliquid correſpondens huic motui, vel magis termino ipſius, hoc eſt, coniunctioni ad obiectum.

Et cùm bonum vt bonum (quod eſt obiectum volitionis) non minùs ſit in rebus, id eſt, extra cognoſcens vt cognoſcens eſt, quàm ens quod cognoſcitur; & quod coniungitur, vt tale, ſupponat non eſſe coniunctum, ſeu idem, id eſt, eſſe aliud; patet quod etiam hic reſpectus ſit ad aliud vt aliud, ſeu ad aliud cognitum eſſe aliud; & fit euidens, alietatem & diſtinctionem debere eſſe æquè realem inter cognoſcentem vt ſic motum, & obiectum ad quod mouetur, atque inter Patrem & Filium: & quod ſequitur (quoniam hoc bonum non eſt niſi Deus) in Deo reperiri Perſonam

quæ ſit amor, æquè ac quæ ſit intellectio.

Perpendenti verò quòd bonum Dei non ſit bonum conſequendum, ſed bonum quod ſit in eſſe & de facto in Deo; apparet quòd non poteſt eſſe aliud in quod fertur amor quàm bonum Dei, ſeu quod benè ſit Deo. Et cùm bonitas conſiſtat in relatione, non poteſt eſſe benè Deo, niſi vel ratione, vel ſecundùm relationem. Cùm itaque perfectio naturæ rationalis conſiſtat in veritate, ſeu in hoc quòd obiectum ſit in eâ; bonitas quæ eſt obiectum amoris diuini, conſiſtet in hoc quod Deus ſit in Deo, hoc eſt, quòd ſit Pater & Filius.

Quare cùm amor diuinus tendat formaliter in hoc quòd Filius ſit à Patre, quod eſt Patrem eſſe in Filio, ſeù Deum cognoſci à ſe, relatio amoris erit formaliter in Patrem & Filium ſecundùm ipſas relationes. Quandoquidem itaque de ratione relationis ſit alietas & diſtinctio, manebit tertia Perſona diſtincta tum à Patre tum à Filio, per formalem ſuum reſpectum ad eos, ſecundùm proprieta-

tes ſeu ſpeciales relationes eorum.

Dices, hic ſaltem negari non poſſe, eſſe virtualem cauſalitatem efficientis; cùm finis & bonum ſemper agant per cauſam efficientem. Neque diſtingueretur Spiritus ſanctus à Filio, niſi procederet ab ipſo; vt eſt ſapientior ſententia Theologorum; & per quam victi ceſſerunt Græci; quæque propterea, quòd ſit fundamentum Eccleſiæ, debet eſſe ſalua & intemerata.

Reſpondetur duas eſſe cauſalitates finis; priorem quidem circa efficientem; poſteriorem verò circa media, & aſſecutionem finis mediante efficiente; & hanc quidem includere virtutem efficientis moti ab ipsâ, ſed non ab hâc fieri tranſlationem ad diuina; in quibus vt diximus bonum eſt obtentum, & non obtinendum; ad quod requiritur mediatio & virtus efficientis.

Cauſalitatem autem finis circa ipſum efficientem, quâ facit efficientem efficere, clarum eſt non poſſe eſſe virtutem ipſius efficientis, cùm præueniat eam; & per conſequens,

ex hâc processione magis accipitur argumentum contra translationem causæ efficientis in Deum; cùm translatio facienda sit ex priori & nobiliori ratione, & non ex posteriori & viliori.

Distinguitur autem causalitas finalis, vt determinans efficientem, à formali seu ideali, quâ objectum determinat intellectum, quod formalis supponat, saltem permissiuè, subjectum suum vt indeterminatũ & indifferens ad plura, vel quodlibet plurium: Finalis verò, cùm consistat in ratione boni, supponit proportionem actualem aliquam inter objectum & amans; & per consequens, actum aliquem & proprietatem, sed non vltimam; & quasi supponit quidditatem, & dat existentiam: & in intellectualibus, supponit hæc causalitas cognitionem; & incipit vbi cognitio desinit.

Et huic euidentiæ cesserunt Græci; *quòd amor non fertur nisi ad cognitum*: & hæc est sustinenda; sicut etiam quod in diuinis sine relatione non est distinctio. Quod autem sine proces-

ſione non ſit relatio , vel oppoſitio; probandum eſt , non ſupponendum: etſi enim materialiter ſit verum , non tamen ex vi terminorum. Tertia itaque Perſona non diſtinguitur ex vi originationis, ſed ex tendentiâ, quam habet ex propriâ relatione , in bonum vt bonum ; cui accidit vt originem ab eo habeat.

Et ex dictis conficitur , tertiam Perſonam nihil habere ſimile Filiationi. Cùm enim diuina entitas ſit in ſeſe ſimpliciſſima , nihil in eâ ſecundùm materialem entitatem ponendum eſt ; ſed ſecundùm formales rationes ; & ſecundùm has accipitur, quòd Tertia Perſona non procedit in ſimilitudinem ; cùm non accipiat naturam alterius ; ſed fertur ad illam ſeu vnitur illi. Rurſus , non habet relationem quæ ſit formaliter originis ; cùm amans feratur ad amatum quaſi extra ſe ; cognoſcens autem recipiat cognitum intra ſe. Et tamen in his duobus , tota ratio Filiationis vertitur.

Dices, Filium dicere quidem ſimilitudinem, ſed naturalem ; cogni-

tionem verò tantum habere intentionalem : vnde non propter eam, Verbum erit magis Filius, quàm amor; imo amor videtur magis habere similitudinem naturalē. Respondetur, similitudinem naturalem & intentionalem, non distingui tanquam duo genera similitudinum, sed tanquam imperfectum à perfecto; similitudines enim in sensibus externis & internis sunt naturales, sed imperfectæ; similiter sunt imagines tum figuratæ, tū coloribus expressæ & statuæ. Vnde in Deū non potest trāsferri talis distinctio, sed omnis similitudo in Deo sicut est perfecta, sic etiam est naturalis.

Vnde patet quòd ratio Filij excellentiùs reperitur in secundâ Personâ, quàm in creatis; tum quia ratio similitudinis est perfectior; nam in creatis non reperitur similitudo sine dissimilitudine secundùm ipsam formam, (alioquin enim forma foret eadem) sed in diuinis natura est eadem, solâ relatione distincta, non dissimilis. Tum quia in naturâ, motus formaliter fit ad suppositum, cui accidit esse simile; in diuinis autem

ipſa ratio ſimilitudinis conſtituit ſuppoſitum, quod eſt terminus proceſſionis. Naturalis autem ſimilitudo, quæ eſt in tertiâ Perſonâ, cùm ſit duntaxat materialis, non conferet ad rationem Filiationis.

Ex dictis habetur, Patrem & Filium conſtituere vnum principium tertiæ Perſonæ. Quia enim amor ſupponit cognitionem amati intrinſecè, (cùm non ſit niſi iudicium perfectum de bono amato) clarum eſt, neque bonum ſolum, neque cognitionem ſolam, eſſe ſufficiens principium ex quo ſequatur amor; & per conſequens, vtrumque concurrere ad rationem principij intrinſecè & per ſe.

Ex quo ſequitur, Patri & Filio non eſſe communem aliquam vim producendi tertiam Perſonam, quæ ſit vniuocè in ſingulis, & ſecundùm quam non diſtinguantur ab inuicem; ſed hanc virtutem requirere ipſas proprietates eorum. Et certè ſi foret talis vis, foret abſoluta; alioqui non foret cõmunis duobus; & ſi abſoluta, iam tribus, & ipſi tertiæ foret com-

munis. Concurrunt itaque tanquam partes heterogeneæ vnius causæ; & non velut partes accidentales eiusdem; quoniam nihil potest esse per accidens in æternis.

Petes, quare non possit esse relatio communis Patri & Filio; quæ tamen propter oppositionem cum spiritu sancto, non sit ei participata. Respondetur: quia si hæc relatio intelligatur in essentiâ diuinâ priùs relationibus constituentibus Patrem & Filium, non poterit repugnare spiritui sancto: si verò posterius, non poterit non accipere diuersitatem ab eo quòd adueniat pluribus Personis.

Non etiam æqualiter concurrunt; patet enim vim motiuam, quæ est in bono cognito, esse totam in ratione boni; rationem verò cognitionis, non esse nisi coniunctionem huius virtutis ad mouendum: quare alio modo dicitur tertia Persona procedere à Patre, & alio modo à Filio: & quasi directè & principaliter à Patre, & à Filio non nisi concomitanter, seu tanquam à modo causæ. Vnde non

mirum si Christus Dominus, & aliqui Patrum, disertè dicant, eum procedere à Patre, sine mentione Filij

Vnde intelligitur, quòd sit magis expressiua locutio dicere, quòd procedit à Patre per Filium; quàm quòd procedit à Patre & Filio. Cùm enim *per* quasi viam & medium denotet, impossibile est procedere per Filium, & non à Filio; quia omnis pars viæ, respectu termini, habet rationem termini à quo & principij. Vnde ly *per*, explicat & esse à, & à non primo principio.

Præterea, ly *per*, explicat quòd Patris virtus operatur per Filium; non solùm quia Patris virtus est in Filio; vel etiam quòd Pater per virtutem communicatam Filio facit ipsum operari; sed etiam quòd virtus propria Filij, non sit nisi virtus quædam materialiter sese habens ad effectum; sicut intellectus sese habet materialiter ad voluntatem; & magis collateraliter prærequisita ad effectum, quàm causa directa, & quasi vniuoca; & magis retinens de instrumentali quàm de principali.

Sequitur ex dictis, non distingui tertiam Personam à Patre & Filio, ex vi processionis. Cùm enim quæ distinguuntur secundùm relationem, distinguantur propter oppositionem; oppositio autem relatiui est ad correlatiuum; amor autem non ad principium, sed ad obiectum refertur; patet distinctionem tertiæ Personæ à Patre & Filio, debere esse quatenus Pater & Filius sunt obiectum amoris; & non quatenus sunt principium ipsius: sunt autem objectum, quatenus præcisè constituunt rationem boni.

Vnde rursus patet, quòd, cùm bonum vt bonum sit in rebus, & bonum vt cognitum sit in intellectu; volitio autem non fertur introrsus ad subjectum suum, sed ad ea quæ sunt foris; ea verò quæ intus sunt, prout talia, sunt principium amoris qui intus est: bonum vt cognitum non potest esse terminus contra quem distinguitur amor; etsi non possit non esse principium. Et Pater & Filius sunt correlatiuum spiritus sancti, prout integrant rationem boni præcisè,

præcisè, & non rationem boni cogniti.

Similiter cùm in diuinis nihil possit accipi nisi secundùm rationes formales; cùm omnia sint vna simplicissima entitas materialiter; videmus autem τὸ fieri velle, esse adeo materiale respectu volitionis, quàm fieri hominem respectu hominis: patet non posse magis formaliter volitionem constitui vel distingui per respectum ad causantem amorem, quàm hominem per facientem eum.

Adde, quòd cùm ratio Filij consistat in esse à Patre; si tertiæ Personæ ratio constitueretur ex parte in eodem, Filius & tertia Persona non distinguerentur à se inuicem, nisi inadæquatè. Quod idem dicendum foret de Patre & Filio, si relationem producentis Spiritum sanctum haberent vniuocè communem. Ipsa ergo propria & singularitates constituentia, non essent propria.

Obijcies, non posse esse relationes oppositas in Deo, nisi fundatas in actione; neque actionem nisi quæ sit processio; quare necesse est relatio-

nes distingui secundùm processiones; actio enim sine passione comparatur solùm ad terminum; terminus autem procedit ab agẽte. Reliquæ autem relationes fundantur in communitate naturæ; vt æqualitas, similitudo &c: & non consistunt cum vnitate fundamenti, nisi præsupposita distinctione suppositorum, quæ deberet per eas constitui.

Respondetur oppositionem relationum in diuinis, non posse accipi secundùm actionem, neque processionem prout actio est; quia agens sonat causam efficientem; & causa efficiens sonat prioritatem, quâ possit intelligi esse, absque eo quòd effectus sit; quod in diuinis repugnat. Rursus, ponendo efficientiam, ponitur Deus quasi in fieri; quod repugnat ei, cui esse competit ex eo quod est: & tandem si ponatur processio in genere causæ efficientis, non potest non poni virtualiter ratio effectus, id est, imperfectio.

Neque obstat quòd nomen Patris & Filij causam efficientem sonant: hæ enim voces transferũtur in Deum,

mediantibus notionibus objecti & cognitionis; quæ non dicunt ex necessitate causam efficientem. Sed & explicatum est, quomodo ex vi alietatis sit oppositio, & quòd processio sit in genere causæ formalis.

Dicendum itaque, relationes esse tertij generis, quæ fundantur in vnitate aliquâ, mediante tamen deriuatione, non causalitatis efficientis (nisi per accidens) sed formalis; quatenus objectum est mensura, seu terminus secundùm quæ accipitur natura ab eo deriuati. In cognitione quidem, ab ipso objecto; in volitione verò, ex vi ipsius volentis sese conjungentis ad volitum; sic, vt natura objecti & mensuratorum, sit quodammodo partim eadem, partim diuersa.

Dices, quòd cùm ratio finis vel boni tantùm metaphoricè causet; nihil impedit tertiam Personam procedere ab objecto, tanquam à fine; sicut secunda procedit ab objecto, tanquam à formâ; & sic vtraque processio erit causa distinctionis vniformiter; & concordior erit speculatio circa Personas.

Reſpondetur, finem eſſe maximum cauſarum; & minùs debere poni cauſalitatem finalem, quàm efficientem; cùm efficiens ſit propior effectui quàm finalis: ſed & eſſe propter aliud eſt majoris imperfectionis, quàm eſſe ab alio; & arguit inferiorem naturam. Et multum errant qui putant cauſalitatem ipſius eſſe metaphoricam; ſic enim identificata eſt cauſalitati efficientis, vt ſit quaſi potior pars ipſius. Sed neque debet eſſe concors ſpeculatio proceſſionum diuinarum, ſed primò diuerſa; alioqui ratio aliqua communis poſſet reperiri in ijs.

Ex dictis intelligitur, quare vita, & viuificare, ſpecialiter dicuntur de tertiâ Perſonâ: cùm enim proprium viuentis ſit eſſe actiuum ex ſeſe; cauſæ autem agendi ſubordinatæ ſint forma, efficiens & finis, (efficiens enim mouetur à fine, & mouet per formam) fit, ſummum gradum agentis ex ſeſe, eſſe in eo qui cognoſcit rationem finis; maximè ſi ipſe ſit ſuæ actionis vltimus finis. Cùm itaque tertia Perſona ſit complexio &

vnio ad finem, patet naturam vitæ diuinæ, in eâ esse consummatam & perfectam.

Vlteriùs, cùm apud nos actio sit motus localis; & omnis motus localis cum impetu & velocitate fiat; & impetus non sine aëre reperiatur, & propterea omnia animalia plus minùs respirant; aërem autem spiritum appellemus; fit, vt vita, quæ est principium agendi ijs quæ ex sese agunt, videatur in aëre consistere; vnde & spirare, pro viuere dicimus, & expirare, pro mori.

Cùm itaque tertia Persona in Deo specialiter sit vita, meritò dicitur spiritus; & aduenit in fideles per modum spiritus, id est, venti. Dicitur itaque spiritus, non quia spiratur à Patre & Filio; sed quia spirat, sicut & ventus dicitur spirare. Et propterea etiam dicitur Sanctus, quia spirando sanctificat nos; non quia in sese sit magis sanctus quàm Pater & Filius, quibus non additur hoc epitheton.

LECTIO VI.

De Relationibus, Processionibus, earumque Principijs.

EX supra dictis colligitur, duas duntaxat esse in Deo oppositiones relatiuas. Cùm enim accipiantur relationes ex eo quod Deus, per notionem naturæ intellectualis, accipiatur tanquam aliud à se; & inter duos terminos, tantùm considerari possit quid sequatur ex eo quòd vnus terminus sit ad alterum, & rursus ex eo quòd alter terminus est ad priorem; patet non posse nisi duas coniugationes relatiuorum in Deo apprehendi.

Idem habetur ex eo quòd in naturâ rationali (ex quâ trahitur translatio ad Deum) duæ sunt tantummodo potentiæ vniuersales, intellectus, qui intelligit omnia, & voluntas, quæ prosequitur omnia. Vnde cùm natura diuina sit quodammodo natura vniuersalis entis, ex intellectualis

naturæ ratione, duæ tantùm erunt conuersiones ipsius ad seipsum, ex quibus fundari possint relationum oppositarum coniugationes.

Non tamen propterea sunt in Deo quatuor relationes, sed tres tantummodo. Cùm enim bonum vt bonum, sit correlatiuum amoris; & vt bonum, non dicat nisi conueniens ei, siue eius appetitui cui bonum est, (hæc enim idem sunt) & esse propriè bonum alicui, non intelligatur sine distinctione inter illud quod est bonum, & illud cui est bonum; patet bonum Deo non posse intelligi sine distinctione Patris à Filio. Et quoniam per relationem Filij, Pater est in eo, & Deus formaliter conuenit Deo; palam est ipsas relationes Patris & Filij, formaliter constituere rationem boni; & per consequens, complexè esse correlatiuas amoris; neque esse quartam relationem.

Sed neque potest poni talis relatio; quia vel erit in Personis Patris, & Filij, vel in naturâ. Si in Personis; sequitur, quod quoniam Personæ realiter inter sese distinguuntur,

hæc relatio ex necessitate erit duplex; identificabitur enim singulis quatenus distinctis. Sin dicatur pertinere ad naturam, non poterit non etiam esse communis Spiritui sancto.

Adde, quòd talis relatio adueniet Personis iam constitutis per suas proprias relationes; quare cùm & Pater & Filius constituantur per relationes, per quas inter sese opponuntur, & Spiritus sanctus etiam per relationem per quam illis opponitur; hæc relatio erit alterius rationis quàm reliquæ tres; & oppositio duarum Personarum ad tertiam, erit quodammodo accidentalis, & alterius rationis à reliquis, quæ sunt substantiales Personis vt Personis.

Sed & inter rationem Dei, & rationes Patris & Filij, erit ratio quædam media communis; quæ ratio, cùm ex necessitate sit essentialis, Deus respectu eorum, habebit quodammodo rationem genericam, & respectu Spiritus sancti, quasi specificam & immediatam: vnde non eodem modo referentur ad rationem diuinitatis. Sed & Pater & Filius

naturæ rationalis, competit naſci à ratione; & non ex proprijs amoris vt amoris; quæ conſiſtunt in tendentiâ iam exiſtentis ad aliud exiſtens.

Conſequenter apparet, quid ſint actus quos vocant nationales. Cùm enim paſſiui actus ſint formaliter ipſæ proceſſiones; & actiui à paſſiuis non diſtinguantur niſi per cōnotationem termini; fit hos actus eſſe in Deo ipſas relationes cum ſuis connotationibus; vt dictum eſt de proceſſionibus.

Eodem modo dicendum eſt de potentijs ad actus notionales; quòd quoniam virtus cauſæ eſt in effectu; & actus notionales intelliguntur quaſi effectus; palam eſt virtutem cauſæ in ijs eſſe. Ipſi itaque actus, quatenus intelligi poteſt quædam virtus in ijs, abſtrahendo ab actu ſecundo, eatenus vocantur potentiæ, vel potiùs virtutes actiuæ.

Ex quibus patet, nihil eſſe neceſſe fingere relationes quaſdam tranſcendentales, quibus hi actus & potentiæ diſtinguantur; nam & Philoſophiæ oppoſitæ ſunt, quæ non

agnoſcit alias relationes quàm prædicamentales; & magis Theologiæ, cùm non poſſint intelligi ſine verâ ratione potentiæ actiuæ vel paſſiuæ; & ſi relationes ſunt reales, ex neceſſitate oppoſitionem & diſtinctionem realem ſecum trahunt.

LECTIO VII.

De prioritate & Circuminſeſſione Perſonarum diuinarum.

EX quibus pariter fit euidens, nullam eſſe prioritatem in Deo, ſiue Perſonarum, vel relationum, ſiue potentiarum, vel inter ſeſe, vel ad actus notionales, per modum præexiſtentiæ, ſed tantummodo per modum abſtractionis. Cùm enim omnia hæc ſint ipſæ relationes intrinſecæ, & quaſi pro baſi vel ſubjecto, palam eſt non poſſe magis vnam præexiſtere alteri, quã ipſæ relationes poſſint intelligi præexiſtere ſibimetipſis.

Ex quo conſequenter patet, idem ſignificare eſſe Patrem, & generare; & per conſequens in genere cauſæ

Filius erunt tantùm inadæquatè differentes inter ſeſe; ſicut priùs de Spiritu ſancto & Filio concluſum eſt.

Si autem tantùm tres relationes facientes diſtinctionem realem in Deo reperiuntur, ſtatim perſpicuum eſt, neque plures tribus Perſonis eſſe poſſe; cùm diſtinctio in diuinis non poſſit eſſe, niſi vbi diſtinctio eſt de ratione alicuius prædicati diuini; neque poſſit eſſe de ratione alicuius prædicati abſoluti in Deo; quoniam abſoluta ſunt æqualia rationi ipſius entis; & in ratione entis, nullam poſſunt habere oppoſitionem.

Ex quo protinus dilucet, duas tantummodo proceſſiones eſſe in Deo. Cùm enim proceſſio actionem ſonet; actiones autem ſint ſuppoſitorum; ſuppoſita autem ſint tantùm tria; neque poſſint omnia procedere, cùm terminus à quo ex vi vocis ſupponatur proceſſioni, maximè cùm ipſæ proceſſiones ſunt connexæ, & quaſi ſubordinatæ; fit duas tantùm Perſonas procedere, & duas ſolas eſſe poſſe in diuinis proceſſiones.

Tantundem conuincitur ex pro-

cessionibus quæ sunt in naturis rationalibus apud nos; quæ tantùm sunt duæ, intellectionis ab obiecto extrinseco; & volitionis à cognitione intrinsecâ. Vnde etiam patet, quod ex vi processionis, Spiritus sanctus foret idem Filio; sicut volitio est in eodem subjecto cum cognitione ex quâ procedit; tantùm abest vt ex processione distinguatur.

Intelligitur quoque ex dictis, quatenus processio trãsferri potest ad diuina: patet enim ex vi vocis significare motum ad terminum ei præuium: sed quoniam motus est actus entis in potentiâ quatenus in potentiâ, id est, quasi graduatio quædam actus futuri in potentiâ; imperfectum autem continetur in perfecto; in Deo autem non potest cogitari aliquod fieri, sed duntaxat actu esse; fit processionem significare in diuinis actu esse à principio. Est itaque ipsa relatio connotans principium.

Patet itaque in ratione Filij & Imaginis, formaliter includi processionem; non autem in ratione amoris: amori enim, ex hoc quòd sit actus

notatione, adeo vt prioritas ſit ipſa qualitas, vel proprietas ipſius relationis. Sicut autem prioritas ſecundùm locum vel ſecundùm dignitatem nullatenus infert prioritatem in eſſendo, ſic neque prioritas originis, quæ dicit ordinem habendi eſſe, non verò accipiendi illud. Et ſic dicendum eſt Filium habere eſſe, non verò accipere à Patre, prout accipere diſtinguitur ab habere.

Ex quo patet, voces poſterioritatis & principiati in diuinis, habere veras proprietates ſibi correſpõdentes; ordo enim nihil aliud eſt, quàm prioritas & poſterioritas, neque poteſt intelligi ſine illis, ſicut neque principij ratio ſine ratione principiati. Quare ſi ponitur ordo & principium, ponenda ſunt & correlatiua. Quoniam autem difficilis fortaſſis eſt intellectus, & facilis caſus in malum ſenſum, non abſque ratione abſtinent Sancti aliqui ab his vocibus.

Ex reſolutione poſitâ de prioritate, accipiturFilium & Spiritum ſanctum procedere per intellectionem & amorem omnium quæ intelliguntur

& amantur à Deo. Cùm enim non possit poni ex parte obiecti instans, in quo intelligatur Pater intelligere vnum, & non alia; clarum quoque est, non intelligi processionem ex vno, & non omnibus: & tantundem est de processione per volitionem.

Dices, magis necessarium esse in Deo generationem Filij, quàm productionem mundi: Potest itaque intelligi generatio Filij, & non productio mundi. Respondetur, quod productio mundi est quid creatum, & prius illâ potest intelligi generatio Filij; sed eâdem necessitate in Deo existit determinatio de futuritione mundi, atque generatio. Imò si talis determinatio ponatur de essentiâ Dei, cùm essentialia sint secundùm rationem priora personalibus, eo modo prior reputaretur.

Replicabis, necessariò intelligi Deum in sese existentem priùs naturâ, quàm mundum esse futurum; sed positâ volitione creandi mundum, intelligitur mundus futurus esse: priùs itaque intelligitur Deus existens, id est Filius natus, quàm

formalis vtrumque esse verum: est Pater, quia generat; & generat, quia est Pater: non autem valere in genere causæ efficientis, quasi Pater sit prior generatione.

Neque minùs patet prioritatem originis quâ Pater prior est Filio, & vterque Spiritui sancto, non consistere in eo quòd Pater potest intelligi esse, nondum intellecto esse Filium; quod est impossibile; cùm esse Patrem, non sit aliud, quàm habere Filium; & terminus relationis sit ipsum correlatiuum; & axioma ferat relationes esse simul & re & ratione. Quare non est in hoc genere tanta prioritas, quanta inter naturam & relationem, vel alia solâ ratione distincta.

Quod intelligendum est de Patre respectu Filij; hos enim habere prioritatem rationis ad Spiritum sanctũ, quam vocant consequentiæ subsistendi, sicut plura alia ratione distincta, nihil inconuenit; cum relationes eorum non formaliter includant rationem boni dum ad sese referuntur, sed consequenter & in complexione

vtriusque, quomodo sunt terminus amoris.

Sed vt prioritas hæc teneat sese à parte obiecti, vt qualitas seu prædicatum objecti, (sicut intelligunt qui ponunt instãtia originis)omnino impossibile est; poneretur siquidem in Deo vera posterioritas in essendo; cùm ponantur duo instantia habentia vim suam ex vi naturæ diuinæ. Sed & ratio effectus non potest eludi, cùm ponatur Filius esse, quia Pater est; non formaliter, sed cum consequentiâ vnius ex altero, id est, effectiuè.

Et quod deterrimum est, poneretur quoddam reale fieri in Deo; quòd cùm sit via ad esse, & imperfecta participatio ipsius esse, ponendus est Filius secundùm illam rationem fieri, nondum existens, & secundùm quoddam esse imperfectum: quæ omnino repugnant enti ex se, quod est purè quia est.

Prioritas itaque originis non consistit in alio, quàm quòd relatio vel includit connotationem principij à quo, vel concipitur affectâ tali con-

Verumenimuero cùm per circuminsessionem (sic enim appellant Theologi hanc mutuam inexistentiam Personarum) fiat, vt vna Persona sit quodammodo pars alterius, (sicut in animali singula membra videntur esse particularia animalia, quæ integrant magnum animal ex omnibus consistens) ex necessitate sequitur actiones singulorum esse actiones omnium; (nisi quatenus oppositio impedit) sicut operatio brachij vel oculi, est operatio animalis; immò & baculi, etsi non sit pars, sed tantùm instrumentum coniunctum per accidens.

Ex quo rursus sequitur, quòd omnis actus Personarum, præter eos qui dicuntur notionales, sunt communes omnibus. Quare Pater & Spiritus Sanctus per cognitionem Filij cognoscunt & creant omnia creata, cognoscunt quoque semetipsos: Similiter Pater & Filius per amorem Spiritus Sancti amant semetipsos, & creaturas: quia relatio cognitionis vel amoris ad creaturas non est notionalis, sicut neque cognitionis nisi res-

pectu Patris, vel amoris nisi respectu Patris & Filij coniunctim.

Dices, quòd cùm Filium cognoscere Patrem, sit generari; & Spiritum Sanctum amare Patrem & Filium, sit esse Spiritum Sanctum; si Pater & Spiritus Sanctus cognitione Filij cognoscunt Patrem, generantur: & si Pater & Filius amore Spiritus Sancti amant semetipsos, sunt Spiritus Sanctus. Neque enim possunt tolli relationes, ex notionibus cognitionis & amoris; alioquin aliud foret requisitum ad constitutionem Personarum.

Respondetur directè oppositum intentioni arguentis sequi. Si enim Pater cognosceret sese cognitione quæ non foret persona distincta, eo ipso generaretur: quia ex vi relationis cognitionis ad cognitum, conciperet distinctionem à semetipso. Posito autem quòd scientia ipsius, sit suppositum distinctum à Patre, tunc clarum est relationem cognitionis non afficere Patrem, nisi per modum substantiæ distinctæ, & per consequens non inferre, sed supponere distinctionem in alio supposito.

Deus volens efficere mundum. Respondetur Deum velle efficere mundum, non esse aliquam relationem in Deo ad mundum, sed quo modo aliqua est, est in mundo ad Deum: vnde mundus non est formaliter futurus ex solâ hâc volitione, sed ex eo quòd mundus habeat denominationem ab hâc volitione; quæ cum sit extra Deum, quo modo est, posterior est Deo: sed ipsa volitio est ipsa Dei essentia, & per consequens non posterior tribus Personis.

Præterea cum nihil sit in Filio, quod non accepit à Patre; & tantundem est de Spiritu Sancto; si ponatur autem non procedere ex cognitione alicuius, non accipit eam cognitionem à Patre; clarum est, dicendum esse Filium ignorare illud cuius cognitionem non accepit à Patre; & non esse imaginem Patris quoad hoc, quod ponitur esse in Patre; & habere aliquid citra generationem. Neque talis scientia per terminos relatiuos exprimi posset, neque esset aliquid sapientiæ vt genitæ, & non omnia communicata

essent. Neque si quid faciendum est, posset Pater dici facere hoc per filium.

Habetur tandem ex dictis vnitas harum trium Personarum formalis, id est, ex vi relationum. Cùm enim per cognitionem, cognitum sit aliquid cognoscentis, & cognoscens ponatur in specie & essentiâ cogniti; clarum est, & Patrem in Filio, & Filium in Patre formaliter, ex vi suarum relationum esse. Similiter cùm relatio Spiritus Sancti sit vnionis ad rem amatam; palam est, & Patrem & Filium esse in Spiritu Sancto, & eum in illis ex vi talis vnionis, inter conformia.

Ex quo habetur ratio illius phrasis, quâ dicuntur Personæ procedentes singulæ esse Deus de Deo: quæ significat & vnitatem communis naturæ, & deriuationem naturæ in Personas distinctas, sine præiudicio vnitatis naturæ; vnde cùm ly *de* significet & vnitatem quasi materiei, & distinctionem, est ex dictionibus minimè improprijs quæ diuinis applicari possunt.

Spiritus Sancti verbum quaſi enunciantis, vel potiùs in eo, quàm eius. Quælibet autem alia prioritas, ſicut non impedit hanc vnionem ſic neque impedit Spiritum Sanctum intelligere verbo, non quaſi *à quo* ſit verbum, quod proprium eſt Patris, ſed vt qui ab in exiſtente verbo quaſi informatus efficiat conformia ipſi.

Ex his accipitur prædicatorum communium appropriatorum duos eſſe ordines, vnum eorum quæ per tranſlationem accommodantur ex corporeis, v. g. ſpecies, lumen &c; alium eorum quæ traducta ſunt ex naturâ rationali; & ſunt ex ſeſe propria; ſed fiunt communia per circuminſeſſionem Perſonarum, quæ ſunt illa quæ pertinent ad eſſe, cognoſcere, & velle; quæ propterea appropriantur, quia facta ſunt communia, cùm radicem in proprijs habent.

Dices: ſi ea quæ pertinent ad eſſe, ſunt propria Patris; ea quæ ſcientiæ, Filij; & ea quæ voluntatis, Spiritus Sancti; nihil remanet commune tribus, niſi per circuminſeſſionem: & per conſequens non datur aliqua ra-

tio Deitatis & eſſentiæ, in qua habeant identificationem tres Perſonæ. Reſpondetur ea quæ ſpectant ad eſſe, poſſe conſiderari & in ſe, & vt facientia cognitionem Dei veram: primo modo, quia nihil relatiui includunt, ſunt communia, & pertinent ad eſſentiam prout abſtrahit à Perſonis; prout autem ſuis ipſorum quidditatibus verificant cognitionem, quæ eſt Filius, ſic pertinent ad Perſonam Patris. Quia autem cognitio & Amor non poſſunt abſtrahi à relationibus, idcirco ex neceſſitate ſunt propria. Quod intelligendum eſt de cognitione & Amore primarij obiecti. Relatio enim ad reliqua cùm non faciat oppoſitionem ad intus, eſt communis.

Replicabis dictum ſuprà cognitionem & amorem non poſſe pertinere ad eſſentiam prout abſtrahit a perſonis, quia ſcilicet includunt intrinſecè relationes ad ſua obiecta. Neque reſponderi poteſt hoc eſſe verum tantummodo reſpectu primariorum obiectorum: cùm Pater per Filium creet mundum, & *Spiritu* Sancto

Dices, cognitionem diuinam, & amorem diuinum, ex necessitate includere relationes subsistentes, & per consequens Personalitates. Respondetur, concedendo relationes & Personalitates in nominibus cognitionis & amoris includi; sed negando has relationes referre omnes in quibus sunt, sed solùm suppositum sibi immediatũ, seu per relationes constitutum: Vnde fit proprias esse has propositiones, Pater & Filius amant Spiritu Sancto, Pater & Spiritus Sanctus intelligunt verbo, Filius & Spiritus Sanctus existunt existentiâ Patris vel à Patre; & quidem easdem quæ forent si Personarum nomina supprimerentur; sed non propterea inferri posse Patrem esse Filium &c, sed Filium esse in Patre &c. Sicut ex eo quod homo dicitur ense ferire, non dicitur ensis, sed habens ensem.

Obijcies, si Spiritus Sanctus intelligat verbo, Filium esse verbum Spiritus Sancti. Cùm enim verbum sit enunciatio, & enunciatio sit enunciantis, & Spiritus Sanctus sit enuncians, verbum erit verbum Spiritus

Sancti. Respondetur, relationem verbi (prout transfertur in diuina) esse illam quæ est ad obiectum, non eam quæ est ad enunciantem: quæ est relatio vnionis, non distinctionis. Proprietas autem Spiritus Sancti in ratione obiecti, non est ipsum obiectum, sed aliquid eius. Neque potest tantumdem de Patre dici. Cùm enim cognitio per se feratur ad formalitatem illam, in qua omnia Dei prædicata virtualiter insunt, relatio quæ sequitur seu est *ipsum esse cognitum*, est relatio Patris; & per consequens, Pater non est cognitum virtualiter præhabitum, sed ratio cogniti ad cætera per Patrem deriuatur.

Verùm adhuc manet difficultas, quomodo cùm Spiritus Sanctus sit posterior verbo, verbum possit esse ipsius cognitio, & quasi verbum. Respondetur, quòd sicut supradictum est, relatio verbi ad enunciantem, est relatio quædam vnitatis. Vnde cùm Spiritus Sanctus sit Amor, id est, coniunctio quædam sui ad amatum; euidens est, ex eo quòd verbum est amatum, est in hoc sensu

tionaliter, neque Spiritus Sanctus amor Dei possent dici, si esset alia sapientia, in eodem sensu, & alius amor. Neque dici posset Pater non creare nisi per Filium; cùm aliam scientiam creatiuam haberet; & cùm sapientia in hoc sensu deberet poni communis, distingueretur in Filio à propriâ scientiâ Filij. Et similia congeri possunt quæ supra attulimus: ex quibus apparet dicendum non esse alium amorem vel intellectionem in diuinis, præter Filium & Spiritum Sanctum, qui per circuminsessionem sunt in Patre, & sese inuicem.

Obijcies, per dicta tolli ipsum mysterium Trinitatis; nam nullum est mysterium quod Deus nouerit & amet semetipsum: in quo, secundùm hanc explicationem, collocatur tota ratio mysterij: Rursus totum mysterium naturali consequentiâ deducitur, & perinde non est mysterium. Respondetur mysterij vim in eo collocatam, quòd cognoscere se constituat oppositas Personas, quæ sint Pater & Filius &c: quod longè

aliud est quàm Deum cognoscere se, licet ex eo deducatur. Necesse autem est, quæ sunt in Deo, naturali consequentiâ ad se inuicem sequi; cùm sint connexa & identificata: sed has consequentias patere humano generi, non sine reuelatione contigit; & propterea mysterium dicitur, & est.

LECTIO VIII.

De vsu nominum in hoc mysterio.

EX dictis reddi potest ratio vsus nominum circa hoc mysterium. In primis enim nomina concreta, clarum est supponere pro personâ; cùm nomen concretum, ex naturâ suâ, confundat omnia quæ sunt in significato, præter formam explicatam Vnde non potest sumi pro formâ solâ; & per consequens, semper accipitur pro supposito; putà, cùm habet vicem subjecti; non enim nunc de prædicatis agitur.

Quare cùm dicimus Deus creat,

Sancto diligat & sanctificet electos. Quare etiam relatio ad creaturas est Personalis. Respondetur cognitionem & Amorem, prout præcisè ad creaturas referuntur, non ponere in Deo aliquam relationem realem, & per consequens non vniuocè & in eodem sensu dici cognitionem & Amorem, cum cognitione & amore suiipsius. Neque refert de allatis locutionibus. Pater enim per filium creat, & per Spiritum sanctificat, quatenus scientia essentiæ est scientia cæterorum, & amor sui amor electorum: etsi vis relationis non transeat vltrà suppositum, & sic sit in alio sensu (licet eadem scientia) scientia cæterorum, quam primarij obiecti.

Deducitur hanc propositionem, Pater est sapiens sapientiâ genitâ, non esse propriàm; cùm esse sapientem non sonet relationem, sed qualitatem permanentem Personæ in quâ est; sapientia enim licet pro materiali significet scientiam, tamen eam significat quatenus hominem in quo est reddit actionis peritum. Significat itaquè magis effectum quemdam

ſcientiæ in ſubiecto, quam ordinem ad obiectum; & propterea de communibus prædicatis eſt. Sed magis attribuitur Filio propter connexionem cum ſcientiâ. Sed cognoſcere vel amare non tantùm verbo, vel Spiritu Sancto, ſed etiam non niſi verbo vel Spiritu Sancto, locutiones ſunt, vt in hâc materiâ, propriiſſimæ. Cùm non poſſit poni cognitio verbi vel amor Spiritus Sancti eſſe inadæquatus Patri, & eſſe plus cognitionis vel amoris in Patre quàm in illis. Nihil enim cognoſcitur à Deo quod non in eſſentia, id eſt, in Patre cognoſcitur, & propterea cognitio creaturarum eſt relatiua, non quia eſt creaturarum, ſed quia eſt Patris. Deum enim cognoſcere creaturam (ſi definiatur) eſt Deum cognoſcere ſeſe vt præhabentem creaturam. Et ſi cognitio transferatur ad Deum reſpectu creaturarum, non habebit veram rationem cognitionis; vt ſupra dictum eſt. Et cum proportione ad hæc de amore loquendum eſt.

Sed neque Filius ſapientia Dei no-

Si quæ verò nomina essentialia prædicantur de pluribus Personis, non potest ijs addi terminus pluralis: Cùm enim prædicatum non includat subjectum in sese, necesse est terminum numeralem numerare formam; quare si dicatur Pater & Filius sunt duo omnipotentes; significabit habere duas omnipotentias; Ly enim *duo*, non potest multiplicare Personas, cùm personæ se teneant à parte subjecti: absolutè itaque dicendum est esse vnicum omnipotentem.

Adde, quòd nomina adjectiua significant formam accidentaliter inesse subjecto; & sic non rectè applicantur ad diuina, vbi omnia sunt essentialia: vnde hæc propositio, Deus est omnipotens, est quidditatiua, sicut, Homo est animal; & duo omnipotentes significabunt duos substantialiter omnipotentes.

Vnde patet etiam quòd terminus *solus*, rectè addatur prædicato essentiali, cùm de vnâ Personâ dicitur. Cùm enim non dicatur de subjecto, non excludit plura subjecta ab illo

prædicato; ſed excludit pluralitatem à prædicato: ſic Pater dicitur ſolus immortalitatem habens: Filius ſolus altiſſimus. Senſus itaque eſt, Deum ſeu immortalem & altiſſimum eſſe vnicum, & Patrem vel Filium eſſe illum. Si autem ſignificaret Patrem eſſe ſolam Perſonam Deitatis, eſſet falſa.

Neque obſtat dictis, quòd ſubſtantiæ ex ſeſe habeant ſingularitatem & pluralitatem; formæ verò & accidentia à ſubiectis. Hoc enim nihil efficit, niſi termini numerales applicentur ſubjectis: vt ſi dicatur, Pater & Filius ſunt duo; vel, hi duo ſunt immortales. Sin ponatur poſt copulam, neceſſe eſt vt numeret quod ibi eſt. Præterea, ſi hæc non ſic ſeſe haberent, aſſignandum eſſet aliquod ſignum in vocibus cur in Symbolo Athanaſij accipiantur ſubſtantiuè potiùs quàm adjectiuè, & in alijs adjectiuè potius quàm ſubſtantiuè, ne regula Eccleſiaſtica prorſus confundatur.

Petes, pro quo ſupponant prædicata eſſentialia, cùm dicuntur cum qualificatione

vel est omnipotens &c: vel sumitur pro personâ absolutâ; sicut Iudæi & Philosophi intelligebant; vel pro Personâ Patris, inter Christianos. Cùm enim esse sit primò, & non ab alio, in Patre; etiam actio speciali quâdam quasi authoritate procedit ab eo: Vnde fit, nomina essentialia quasi antonomasticè supponere pro ipso; vt patet ex vsu Ecclesiæ, quæ cùm incepit orationem per essentialia, concludit sic, *Per Dominum nostrum &c:* quod declarat Patrem intellectum esse per nomen essentiale.

Ex quo patet, has propositiones, Deus genuit se Deum, vel Deum qui est Deus Pater; et similes, omnes esse falsas. Cùm enim Deus supponat pro Personâ Patris, etiam relatiua referent Personam. Sed hæc, Deus genuit alium Deum, non est tam falsa, quàm periculosa & vitanda; cùm possit, immò naturaliter significet alium, qui etiam sit Deus. Sed quoniam in creatis, non inuenitur alietas cum identitate fundamenti, idcirco videtur sonare alietatem naturæ; & vitanda est.

Rursus, nomina abstracta non possunt supponere pro Personis: cùm enim Persona includat, seu confundat plures notiones ex modo significandi; abstractum autem ita determinet vnam, vt ex modo significandi excludat quascumque alias; euidens est nomen abstractum, non posse cum proprietate sermonis, supponere pro personâ. Vnde patet hanc propositionem, essentia est res generans, in rigore esse falsam: cùm *res* confundat plura, quæ nomine essentiæ non continentur.

Ex quibus rursus patet, similes propositiones, Deus est Deitas &c: non esse ex vi significandi, sed ex necessitate loquentium veras; qui aliter simplicitatem Dei explicare non poterant contra proteruos: & eodem modo quaslibet similes propositiones posse verificari; vt essentiam generare, Paternitatem spirare, si necessitas cogat; immo & Patrem esse Filium: Sensus enim erit, ens quod est Pater, esse item Filium; essentiam esse eandem Patri qui generat, &c.

lificatione vnitatis de pluribus: &, an in masculino, an neutro genere, sint efferenda: verbi gratia, an dicendum, Pater & Filius sunt vnus existens; an vnum existens. Respondetur, supponere prosupposito absoluto; & posse efferri & rectiùs in masculino in rigore; quia vnitas ponitur quasi qualitas; prædicatum enim est vnum personaliter: sed quia etiam neutrum genus nihil includit repugnans Personalitati, etiam rectè effertur in neutro genere; atquè adeò secundùm genus prædicati cui coniungitur. Et quia relatiuæ differentiæ habent quidpiam magis conueniens dignitati Personæ, ex eo capite genus masculinum iudicatur ijs magis proprium.

Conficitur ex dictis, quòd si aliquod prædicatum de Deo, non dicat aliquam determinatam formam, tali prædicato possit adiungi & signum numerale, & signum vnitatis. Tales autem sunt *Res, Aliquid, Quod est*. Possunt itaque dici & esse tres res in Deo, & esse vnicam: seu has tres esse

vnam: esse tria *aliqua*, vel tria *quæ sint*, & vnicum *aliquid*, vel *quod est*. Cùm enim non explicent hi termini quicquam, eadem est ratio de illis ac de nomine suppositi, vel Personæ, de quibus tantundem declaratum est.

Petes, quomodo possibile sit aliquid esse tres res & vnam rem; cùm vnitas & pluralitas includant in sese oppositionem; & per consequens, contradictioné. Respondetur, quod oppositio vel cõtradictio non potest esse, vbi non est forma vel quidditas. Res autem nonexplicat aliquam formam; neque valet ampliùs quàm *quicquid sit*; quod commune potest esse positiuis & negatiuis, vt minimũ quibuslibet positiuis, Proinde rem esse vnam, potest in vno sensu quodlibet dici, & res esse plures in alio, sine vllâ oppositione, sicut supra est explicatum.

E diuerso, non potest in Deo poni pluralitas entium, nisi in sensu æquiuoco, pro pluralitate rationum eiusdem entis; cùm ens nominet

existentiam vel capacitatem existendi. Multo minùs plures existentiæ vel essentiæ. Neque interest addi *relatiuas*. Vel enim hæc additio tollit esse verè existentias, vel non: si non, existentia vt communis vtriusque erit absoluta, & aliquid absolutum plurificatum. Si tollit, iam non ponuntur plures existentiæ; & sola æquiuocatio committitur.

Præterea, relatio cùm non habeat ex sese aliquam essentiam, neque rationem entis potest habere, nisi ex ratione fundandi: quare cùm ratio fundandi sit vnica, necesse est rationem entis esse vnicam, & non tres. Sed & si haberent rationem entis vniuocè, plus foret de ente in duobus vel tribus, quàm in vno; ac proinde perfectiores essent tres Personæ, quàm vna.

Sed & quid impediet dicere tres æternitates relatiuas, si sint tres existentiæ? Sed & totidem omnipotentias, & quæcumque alia prædicata absoluta? & tandem cùm nihil aliud sit Deitas, quàm hæc prædicata,

consequens erit esse tres Deitates relatiuas, & tres Deos relatiuos: sicut enim vnum prædicatum positiuum additâ qualificatione relatiui multiplicatur, sic quodlibet aliud potest.





INSTITVTIONVM SACRARVM Peripateticis inædificatarum.

LIBER TERTIVS.

De mysterio Sacrosanctæ Incarnationis.

LECTIO I.

Quod in Christo sit unica existentia, nempe Diuina.

PORrò si Deus homo factus est, est vtique quòd est factus. Est itaque homo. Et si Deus est homo, etiam homo est Deus. Et si Deus homo, & homo Deus; certè ille homo est idem

quod Deus; & Deus idem quod ille homo. Vnum itaque ens erit Deus & homo. Et cùm ens sit quod habet existentiam, vnum ens erit quod habet vnam existẽtiam. Dei itaque & illius hominis, vnica erit existentia. Sed si vnica est existentia Christi Domini, neque Deus mutabilis est, vt suam non habeat, vel possit existere per alienam existentiam; Christi Domini existentia est ipsamet Dei; & humana natura per eam existet: neque habebit talem, qualis cæteris humanis naturis ex ordine causarum naturalium competit.

Obijcies, quòd cùm existentia diuina sit ens subsistens & in sese completum, non potest esse forma alterius entis, neque effundi super illud vt communicet illi effectum suum formalem. Quare cùm causa formalis nõ possit suppleri; non poterit natura humana existere per existentiã Dei. Adde, quòd Deus non potest venire in compositionem alterius rei; quare neque Christi quasi pars erit.

Respondetur, quòd in formâ quâlibet potest considerari quod est

perfectionis, & quod est imperfectionis; communicare autem alteri suam virtutem, est perfectionis; quod autem indigeat comparte est imperfectionis: effusio autem formæ supra subjectum; quæ commemoratur in argumento; est ex indigentiâ compartis: significat enim formam quasi non habentem proprios terminos, eos à subjecto accipere. Quare cùm existentia diuina habeat quod est perfectionis, poterit communicare rationem existendi humanæ naturæ, absque eo quòd effundatur supra illam.

Quod verò dicitur Deus non venire in compositionem alterius entis; significat nullam esse imperfectionem in Deo, per quam indigeat comparte; neque vllum esse in illo ordinem ad aliud quodlibet ens; & tandem si aliud ens assumatur ab ipso, desinere esse ens ex sese, & deuenire aliquid Dei; ita vt ens resultans sit semper Deus, & non aliquid tertium. Sicut cùm in arborem vnius naturæ surculus insititius adoptatur, non desinit totum esse arbor quæ priùs fuit;

vel si adnascatur sextus alicui digitus, non propterea totum desinit esse homo qui prius.

Ex quibus est euidens, ex parte humanitatis Christi reperiri quendam defectum, seu potentialitatis rationem. Cùm enim vnitas sit indiuisio, & quod constituit aliquid diuidat illud à cæteris; vbi plura sunt constitutiua, non potest reperiri ratio vnitatis; oportet itaque ad hoc vt vnum sit ex pluribus, alterum eorum constitutiui, alterum constituibilis rationem habere. Quare cùm ratio essendi se teneat ex parte Dei, ratio nati esse, seu potentialitatis ad existendum, erit ex parte humanitatis.

Neque hæc potentialitas est actualis tantummodo, quasi humanitas nata foret habere aliam existentiam, sed hanc acceperit ex vi causarum accidentalium; verùm habitualis, & intrinseca humanitatem constituentibus. Cùm enim compositum debeat esse vnum in facto esse ex vi suarum partium, si partes non forent appropriatæ sibi inuicem, vnitas ex

ijs non resultaret; neque totum ex sese vnum foret.

Adde quòd cùm causæ non agant nisi in humanitatem, si illam non appropriarent, non essent efficaces ad effectum producendum, quia mediante solâ humanitate vim habent in ipsum totum. Præterquam quod communis influxus Dei, quo omnibus rebus infundit existentias creatas, creatam existentiam humanitati infunderet, si foret capax & determinata ad illam.

Dices, materiam primam ex sese esse capacem cuiuslibet ex infinitis formis; & tamen ex vi causarum, introduci vnam certam, non obstante hâc indifferentiâ. Respondetur indifferentiam materiei esse quandò secundùm sese consideratur; prout autem materia consideratur hîc & nunc, eandem esse determinatam ad hanc vnicam formam; adeò vt ex materiâ, prout est in priori instanti naturæ, non possit nisi hæc vna forma educi.

Obijcies rursus, impossibile esse aliquam creaturam habere ordinem &

proportionem ad exiſtentiam diuinam, propter infinitam diſtantiam; & ſi quæ haberet talem ordinem, certè non poſſe eſſe in eâdem ſpecie cum aliâ naturâ creatâ; cùm ordo ad exiſtentiam ſit eſſentialis & primaria cuilibet enti; & per conſequens, ſaltem tantam differentiam quanta eſt inter exiſtentiam ſubſiſtentem & inhærentem, ex neceſſitate facere, vel genericam diſtinctionem.

Reſpondetur, verum quidem eſſe creatam naturam non habere proportionem cum exiſtentiâ diuinâ; ſed neque hæc requiritur; ſed oportet vt habeat aliquid in ſe excedens proportionem ad exiſtentiæ cuiuſlibet creatæ poſſibilem rationem; & hoc poſito, cùm non ſit alia exiſtentia ei propria, ſi cauſæ ad eam determinant, exiſtentiæ diuinæ ſupplemento exiſtet talis res: ſicut anima rationalis creatur, ex eo quòd cauſæ ſecundæ determinant ad formam earundem vim productricem excedentem.

Sed non propterea non erit rationalis talis creatura; ſeu non habebit

conuenientiam cum alijs creaturis in ratione communi, quæ ſecundùm noſtrum vſum & conſiderationem eſt ſpecifica illis, ſeu primò eſſentialis. Quia hic exceſſus quem poſuimus, competit illi ex aliquo accidente concurrente ad rationem indiuidualem ſeu inferiorem; vnde cùm ratio communis ſalua ſit, non erit ex eo ponenda differentia generica inter Chriſtum & reliquos homines. Adde quòd ordo animæ non ſit poſitiuè ad exiſtentiam quatenus eſt diuina; ſed tantummodo ad exiſtendum aliquo particulari modo, qui non ſit exiſtentiæ creatæ proprius.

Neque refert quòd ratio exiſtentiæ ſit illa, quâ diſtinguuntur ſubſtantiæ. Diſtinctio enim ſubſtantiarum ſecundùm perfectionem & imperfectionem, accipitur ex amplitudine quâ exiſtentiam recipiunt. Hæc autem appropriatio humanitatis non eſt maior capacitas exiſtentiæ, neque fit Chriſtus per illam nobilior angelo; ſed eſt particularitas quæpiam, quæ quaſi magis detorquet à creatâ, quàm applicat ad ſubſiſtentem.

Dices, rationem formalem existentiæ subsistentis esse differentem à ratione formali existentiæ inhærentis, neque vniuocè conuenire: quare Christus non in eodem sensu erit existens, in quo cæteri homines. Immò cùm existentia det esse hominem, non erit vniuocè homo. Respondetur concedendo assumptum, & primum consequens; scilicet quòd existentia Christi non dicatur vniuocè cum existentijs cæterorum hominum; sed negando posteriorem consequentiam, quia denominatio hominis sumitur ab animâ, non ab existentiâ.

Accipitur consequenter, naturam humanam in Christo, non habere appetitum vel capacitatem ad aliam existentiam; & per consequens, non esse in statu violento: Immo neque futuram, si haberet potentiam ad aliam existentiam; cùm potentia illa foret indifferens; & æquè actuata per diuinam quàm per humanam.

Dices rursus: cùm existentia diuina sit supernaturalis respectu animæ humanæ, non potest ex parte animæ,

vel humanitatis, esse aliqua exigentia vel determinatio ad existentiam diuinam. Respondetur, rationem supernaturalitatis, in sensu in quo sumitur ab arguente, nullam esse: & si foret, non fore possibilem incarnationem. Dicitur itaque supernaturalis, ex eo quòd non sint in serie causarum secundarum, sufficientes causæ ad eam efficiendam: quod non impedit quò minus Deus talem exigentiam & determinationem possit per alias causas in naturâ humanâ ponere; qualiter esse necessariam dictum est.

LECTIO II.

Quod solus Christus existat existentiâ diuinâ; & habeat duas naturas in uno supposito.

VLteriùs conficitur, quòd quoniam existentia hominis Dei, est ipsa existentia subsistens, Christus per prius subsistit secundùm animam, quàm secundùm corpus, aut

totam humanitatem : Cùm enim existentia, ex eo quòd subsistens, intelligatur non effundere se super subiectum ; necesse est subiectum quasi erigi & applicari ad existentiam ; quod autem erigitur ad aliquid, primò attingit illud secundùm partem sui altissimam ; quæ in homine est mens vel anima. Patet itaque existentiam diuinam per prius communicari menti ; & mediante ipsâ, corpori & toti.

Prætereà, cùm videamus naturæ progressum ad hoc conari, vt existentia (quæ in nobis primò est totius) fiat in morte solius animæ; palàm est secundùm intentionem naturæ, existentiam esse priùs animæ, quàm corporis. Cùm itaque existentia diuina sit plenitudo existentiæ, necesse est quà capacissimum est subiectum sese communicare ; & per consequens cùm anima sit capacior existentiæ, quàm ipsum totum ; illam primò reddere existentem. Adde quòd ipsi dispensationi & ministerio Christi, qui doctor & exemplum venturus erat, conueniebat, & per-

fectum esse secundùm animam, & infirmum esse corpore: & per consequens, habere effectum existentiæ pleniùs in animâ, quam in corpore; & per consequens, etiam per prius.

Dices, existentiam competere omnibus corporibus ratione formarum; non itaque hoc est aliquid speciale in Christo. Respondetur, formam quidem esse rationem omnibus corporibus cur existentia sit in ijs; sed primum subiectum vt quod, seu sufficiens, esse ipsum totum in reliquis substantijs corporeis præter hominem; sic vt non sit aliud sufficiens quàm ipsum totum; in homine verò animam sic esse sufficiens, vt vsque ad mortem sit secundarium; in morte demum fieri primarium; sed in Christo ab ipsâ conceptione fuisse primarium.

Ex his agnoscimus cæteros homines à perfectione naturæ esse inuersos; & (quasi arbores) os ad terram, vnde natiuitatem & alimentum hauriunt, habere inuersum: solum Christum esse rectum; & non habere animam conuersam ad terram, sed erectam

ad Deum. Et quoniam hoc competit ei præuiè ad existentiam, hoc ipsum pertinere ad indiuiduationem ipsius. Habet itaque Christus indiuidualem hanc proprietatem à cæteris omnibus differentem, & longè superiorem: vnde secundùm ipsam humanitatem, non est adeò minoratus ab Angelis, quàm cæteri homines.

Et quoniam hæc proprietas contingit ipsi ex eo quòd erigitur ad existentiam subsistentem; palam est, nullam existentiam creabilem, natam esse reddere Christum Dominum existentem connaturaliter, ad indiuidualem hanc proprietatem ipsius. In quo consistit necessitatio illa, quâ necessitat existentiam diuinã ad actuationem seu assumptionem sui.

Clarum proinde est, cæterorum indiuiduorum naturæ humanæ nullum posse assumi ad existentiam diuinam; cùm talem proprietatem necessitãtem non habeant; & Christum esse generis humani exemplum & ideam. Et quoniam vnicum potest esse in vno genere exemplum & regula, (si enim plura forent, ex eo

quòd

quòd differrent, nullum eorum haberet rationem exempli) euidens fit, nullum aliud indiuiduum possibile in humano genere, esse assumptibile ad consortium diuinæ existentiæ.

Adde quòd cùm hæc arrectio ad Deum, sit ex detorsione animæ ad corporalia (quæ est in cæteris) quasi emendatâ; in spiritibus verò nulla possit esse similis detorsio ex vi naturæ; (cùm nulla sit compositio naturarum, quasi contrariarum) efficitur existentias Angelicas suis essentijs esse semper pares & conformes; & per consequens, naturam Angelicam non esse à Deo assumptibilem. Sed neque inferiorem & merè corporalem; tum ex eâdem ratione; tum ex eo quòd nihil est in corporeâ creaturâ, quod erigi possit immediatè versus Deum, seu aliter quàm mediante spiritu aliquo creato, ad quem immediatè dirigatur.

Ex dictis vlteriùs accipitur, esse in Christo duas naturas; diuinam & humanam. Cùm enim ratio existentiæ sit extra naturam creatam, & quasi accidentalis illi; palam est,

naturam humanam non fieri aliam, ſeu non immutari quoad rationem naturæ, per coniunctionem ad exiſtentiam. E diuerſo autem cùm exiſtentia ſit de ratione naturæ diuinæ, immò principalis, vel totalis quodammodo ipſius ratio, (ex eo quod eſſe ſit maximè proprium nomen Dei) palam eſt naturam quoque diuinam in Chriſto reperiri.

Conſequens eſt, has duas naturas in vnum ſuppoſitum conſpirare: Cùm enim in quolibet ente ſeu compoſito, non reperiatur niſi natura, & habens naturam, ſeu ſuppoſitum, ſiue vt vocant res naturæ; palam eſt, quodcumque enti ineſt, & non pertinet ad naturam, pertinere ad ſuppoſitum. Has itaque, quæ in eodem ente ſunt, & aliquo modo vnum ſunt, & non ſunt vnum in naturâ, hoc eſt, non ſunt partes eiuſdem definitionis, eſſe vnum ſuppoſito, hoc eſt, pertinere ad diuerſas definitiones ſeu notiones eiuſdem ſuppoſiti vel rei; ſicut verbi gratiâ eſſe Policletum & muſicum, vel ſtatuarium, ſunt diuerſæ notiones eiuſdem rei.

Ex quo intelligas, ſequiùs & præter Logicam explicari myſterium hoc ab ijs, qui putant eſſe vnum naturâ, vel ſuppoſito, non ſignificare aliud, quàm vnionem factam eſſe immediatè inter naturam & naturam, vel inter naturam & notionem quandam, quam vocant ſuppoſitalitatem. Præterquam enim quòd clarè non intelligunt terminos quibus vtuntur, diſcedunt prorſus à ſenſu ſanctæ Eccleſiæ in hoc myſterio, qui eſt, duas naturas ſibi immediatè vnitas eſſe; & ſic conſtituere vnum ſuppoſitum, remanentibus naturarum proprietatibus, non obſtante vnione.

Clarum quoque eſt, fingentes entitatem, cuius ratio ſit eſſe ſuppoſitalitatem, hîc æquè ac in myſterio Trinitatis prodere fidem Chriſtianam; & de omnibus alijs magis loqui quàm de hoc myſterio. Quoniam enim nullum eſt talis entitatis in naturâ veſtigium, ſit homines nunquam impoſuiſſe nomen ſuppoſiti, ad ſignificandam talem entitatem. Cùm itaque Eccleſia neque didicerit, neque tradiderit hoc myſterium niſi

per nomina ab auditoribus intelligibilia, patet traducentes nomen ad æquiuoca, non de hoc mysterio loqui, neque declarare vel defendere mysterium, sed confiteri secundùm consuetas nominum significationes, esse inintelligibile & irreconciabile cum ratione.

Patet quoque ex dictis, quare natura humana in Christo non sit suppositum; quia scilicet neque est rationalis naturæ jndiuidua substantia. Cùm enim jndiuidua, seu prima substantia, significet subiectum per sese existentiæ, seu cui debetur propria existentia; humanitas autem Christi ex indiuiduatione suâ habeat non posse habere aliam existentiam quam diuinam, hoc est, existentiam alterius naturæ, & cui sustētandæ per modum compartis ipsa sit impar; fit euidens, eam nullo modo esse primam substantiam seu personam.

Obijcies, vnitatem in personâ esse veram vnitatem substantialem; sed vera vnitas non consistit cum pluralitate actuali partium: verè itaque non erunt in Christo duæ naturæ ac-

tu. Respondetur naturam prout distinguitur contra suppositum siue personam, sonare incompletionem: vnde duas naturas esse, non significat duo entia esse; sed duas partes vnius entis. Quare sufficit vt duæ naturæ sint, quo modo partes natæ sunt esse: partes autem dicuntur in quas resoluitur totum vel ex quibus componitur totum. Vnde suum esse actuale non habent, nisi vel ante compositionem, vel post resolutionem: durante autem composito, sufficit vt operationes & proprietates earum sint actu distinctæ & diuisæ. Quod dictum esto in communi, non enim plus requiritur ad hoc vt partes dicantur esse in toto. Sed aduertendum est, aliquas partes nullam habere subsistentiam extra totum; & hæ speciali modo dicuntur esse actu dum sunt in toto: quia cum nusquam natæ sint esse magis actu, simpliciter sunt, & actu sunt cum sunt in toto; non comparatè ad totum, quasi habentes terminos suos in toto; sed comparate ad hoc quod sunt extra totum; vbi sunt magis in

potentiâ. Sic dicuntur duo puncta terminantia esse actu in lineâ, cum continuatiua sint dumtaxat in potentiâ: sic sex superficies sunt in cubo actu, infinitæ in potentiâ; in sphærâ verò est vnica superficies actu. Et quæ sunt hoc modo in actu, definitiones eorum aliquo modo prædicantur formaliter de toto, & æquè propriè atque rationes Metaphysicæ communes. Et in hoc sensu in homine dicitur esse anima & corpus, & in Christo Domino duæ naturæ: non quod singulæ habeant suos terminos, cùm natura humana terminetur in diuinam; sed quòd terminatio ad aliud, non tollat proprietatem substantialem naturæ humanæ esse in Christo.

Replicabis, in tali compositione neutrum partium verè esse, sed tertium quidpiam ex vtrâque: Quare in Christo neque Deus foret, neque homo, sed quiddam tertium. Respondetur, cùm partes sunt quodammodo æquales & imperfectæ, sic contingere; sed cùm altera pars est perfecta, & adæquatum subjectum exis-

tentiæ ex ſeſe, tum illam partem manere; ſicut cùm ſurculus arbori inſeritur, vel digitus homini adnaſcitur. Reliqua verò pars non manet actu hoc quod extra compoſitionem, cùm habeat aliquam terminationem ex vi compoſitionis, & aliam ex eo quòd ſeparata eſt; ſed hæc varietas non tollit quin in compoſitione ſit humanitas, & ſeruet proprietatem naturæ ſuæ.

Applicando verò hanc doctrinam noſtro ſubjecto, cùm humanitas quælibet in compoſitione cum exiſtentiâ creatâ ſit verè vna cum ſuâ exiſtentiâ, neceſſum eſt, ex conjunctione trahere etiam quoad propria certam modificationem à qualitate exiſtentiæ, quam proinde cum aliâ exiſtentiâ non haberet, & per conſequens extra compoſitionem. Similiter itaque humanitas Chriſti eiuſmodi modificationem trahet ab exiſtentiâ diuinâ, quam extra compoſitionem non retineret: ſed hæc modificatio non trahit ipſam extra ſpeciem naturæ humanæ.

Dices, non poſſe negari quin poſt

Incarnationem Deus ſit homo, quod non fuit ante; ſed neque dubitari poteſt, quin humanitas ſit intimè coniuncta Deo, cùm verè Deus ſit homo. Non poteſt itaque negari quin Deus ſit intrinſecè & intimè mutatus. Reſpondetur nullum eſſe inconueniens concedere Deum mutatum eſſe extrinſecè, ſiue per additionem alicuius quod nullatenus pertinet ad naturam ipſius; & talis eſt humanitas Chriſti, quæ non tollit diſpoſitionem aliquam naturalem Dei.

Neque refert quòd ſit coniuncta intimè Deo, & in eo tanquam in ſuppoſito: Patet enim creata, quoniam genere & differentia continentur, & ſibi inuicem opponuntur, non poſſe vnam aliquam differentiam habere, ſine excluſione reliquarum. Vnde ſi aliquid eis addatur, neceſſario perdunt terminationem quam habebant; ſicut triangulum, vt fiat quadratum, perdit eſſe formaliter trigonum; & propterea per additionem ſemper mutantur: Deus autem per puram additionem non mutatur, quia nihil ei decedit.

LECTIO III.

In quo consistat Vnio Hypostatica.

EX dictis infertur, non esse necessariam entitatem specialem, cuius ratio sit esse vnionem hypostaticam, ad explicandum hoc mysterium: Cùm enim euidens sit, ex parte humanitatis esse negationem seu priuationem actualitatis, quæ dicitur existentia; fit non esse actum aliquem excludentem existentiam; & quod sequitur, non esse diuisionem seu qualitatem diuisiuam contra existentiam: In his autem quæ habent rationem partium ad inuicem, vnitas est, non esse diuisas, seu esse indiuisas. Non itaque requiritur alia entitas ad faciendas eas vnum.

Præterea, cùm entitas, quæ dicitur vnio, ponatur ad facienda non vna, formaliter seu per exhibitionem sui vnum, palam est vnionem esse idem quod talem vnitatem, puta vnitatem compositionis: Sed confessum est

vnitatem non diſtingui ab ente quod dicitur vnum. Impoſſibilis itaque eſt ſpecialis entitas, cuius ratio ſit facere vnum.

Adijce, quòd cùm partes ſecundùm hanc poſitionem ſint ex ſeſe plures, & non perdant ſuam conſtitutionem per quam fiunt plures, per additionem entitatis quæ dicitur vnio; non minùs remanent plura poſt compoſitionem, quàm ante. Immo, cùm ponatur vnio eſſe tertia entitas, ipſa habet ſuos terminos, per quos numerum cum cæteris faciat: quare loco vnius, facta ſunt tria entia.

Ad hæc, vel hæc entitas eodem modo afficit diuinitatem quo humanitatem; & tunc per illam mutatus erit Deus, æquè atque humanitas: vel afficit Deum duntaxat per extrinſecam denominationẽ. Sed cùm Deus & homo ſint verè & propriè vna res, de quâ verum ſit eſſe eandem ſibi, prorſus impoſſibile eſt, vt per extrinſecam denominationem hoc valeat contingere vel explicari.

Neque obſtat quod dicant vnionem eſſe alligationem vel intimam

coniunctionē vnius partis ad aliam; euidens enim est, quòd coniunctio quæ requiritur in præsenti est coniunctio in genere substantiæ, cuius effectus sit vt vnum partium in concreto dicatur de altero, seu sit idem ipsi, & per consequens totum ipsum, etsi compositum, tamen sit verè & rigorosè vnum, & non cumulus quidam seu aceruus distinctorum entium.

Ex quibus patet, hoc modo explicantes mysterium, reipsâ ponere tria entia; hoc est, tria supposita, vel etiam quatuor in Christo Domino, puta diuinitatem, vnionem, animam, & materiam; & fortassis etiam quintum, quod sit vnio animæ ad corpus: Cùm enim singula horum habeant proprias existentias, (quod est esse substantias & supposita) quantumvis strenuè negent se tot supposita in Christo ponere, re tamen ipsâ inscientes faciunt.

Infertur vlteriùs, vnionem quæ sit relatio, esse duntaxat rationis, non verò realem; Cùm enim relationes habeant inter sese oppositionem, non possunt esse nisi inter entia, seu sup-

nem incarnationis erat necessarium.

Palam quoque est, partes non fuisse assumptas separatas; si enim anima vnita fuisset existentiæ diuinæ in separatione, ex vi talis vnionis corpus non extitisset. Corpus verò separatim non potuit suscipi, quia neque materia sola est capax existentiæ; neque cum aliâ formâ quàm humanâ susceptibilis; quare neque corpus humanum susceptum fuisset ex vi talis susceptionis, cùm non potuerit suscipi ex vi animæ.

Tandem concluditur terminos vnionis, prout est relatio rationis, ex parte Dei esse naturam diuinam quatenus est existentia; ex parte verò humanitatis esse primariò ipsam mentem, secundariò corpus, adæquatè totam humanitatem; & hanc quidem principaliter, proximè animam, tertiò corpus.

LECTIO IV.

De vsu vocum circa Personam Christi.

EX hactenus expositis constare poterit, qui sint proprij modi loquendi de personâ Christi, quique ex necessitate admittendi vel reijciendi: In primis enim cùm euidens sit esse compositionem in Christo; & eam esse in personâ: & tamen eam non esse necessariam ad habendam existentiam; fit hanc propositionem, Persona Christi est composita, esse materialiter vel accidentaliter veram; formaliter autem falsam.

Rursum, cùm dicitur Christus esse diuinitas & humanitas; vel, deitas, anima, & corpus; sensus quidem loquentium est verus; cùm non aliud velint dicere, quàm hæc inesse eo modo quo partes natæ sunt esse in toto. Sola itaque diuinitas quæ non immutatur per compositionem actu

ineſt, & habet totius rationem; cæ-
tera per modum partium: non ta-
men diuinitas dicitur compoſita, ſed
Deus; neque ipſe formaliter, ſed
materialiter & accidentaliter, vt
dictum eſt de Perſonâ.

Quod verò dicitur ex tribus natu-
ris vel ſubſtantijs conſtare vel com-
poni Chriſtus; intelligendum eſt ſy-
necdochicè, pro hoc quod eſt ex
partibus naturarum vel ſubſtantia-
rum, quantùm ad corpus & ani-
mam (vt ex ſeſe patet.) Quoad di-
uinitatem enim ipſa rectè dicitur
natura vel ſubſtantia. Similiter pro-
nunciandum eſt cùm dicitur Chriſ-
tus eſſe plura; eſſe hoc & illud; eſſe
aliud & aliud; vel certè hæc eſſe in
Chriſto. Cùm enim conſtet, in eo
quod eſt verè vnum non poſſe eſſe
veram pluralitatem, conſtat item has
omnes propoſitiones eſſe falſas in ri-
gore. Quo non obſtante, neceſſariò
ſunt vſurpandæ, præſertim apud vul-
gus, propterea quod veritas & incon-
fuſio naturarum aliter ei explicari
non poſſit; præſertim contra perti-
naces myſterium apud vulgus diffa-
mantes.

Conſequentèr, etſi Chriſtus habeat duas vitas, humanam & diuinam; non propterea dicendus eſt duo viuentia; neque ſi duæ humanitates coniungerentur Perſonæ diuinæ, forent duo homines: cùm enim viuens & homo ſint concreta, terminus numeralis non eſt verus, niſi concretum multiplicetur; concretum verò eſt ens ſeu prima ſubſtantia, ſeu per ſe ſubiectum exiſtentiæ. Vnde cùm hoc ſemper vnicum foret, vnum viuens, & vnus homo diceretur.

Obijcies regulam Logicorum, quod ſubſtantiæ multiplicantur ſecundùm formas: ſed & vſum Theologorum, docentium in Deo non reperiri plura, ſed plures tantùm; quia natura ſeu forma eſt vnica, licet Perſonæ ſint plures. Non itaque negandum eſt in Chriſto eſſe plura viuentia, etſi vnus ſit viuens in genere maſculino.

Reſpondetur, regulam Logicorum fundari in eo, quod in creatis, ex quibus ipſi regulam formauerunt, vnicuique formæ ſubſtantiali compe-

tit propria existentia; & sic ipsa supposita multiplicantur per formas substantiales. In diuinis verò, quod facit ens aut substantiam primam formaliter, itidem vnicum est, ipsa scilicet existentia diuina; cui quodammodo accidentales sunt proprietates distinguentes Personas: Et hinc est, quòd in genere neutro non dicuntur plura, neque entia; sed in masculino tantùm; quia proprietates ad dignitatem videntur pertinere, & propriè ad personam.

Ex his rursus clarum est, prædicata propria vnius naturæ posse attribui alteri naturæ sub nomine concreto, non autem abstracto; quoniam reverâ non attribuitur nisi Personæ. Sic itaque Deus dicitur nasci, mori, pati, crucifigi, &c: Et homo condidisse cælum & terram, esse æternus. Non tamen dicendum est, diuinitatem esse passam, natam, &c, nisi fortè ex necessitate ad explicandum diuinitatem & Deum esse indiuisibiliter eadem; vt supra dictum est in simili. Longè minùs humanitatem creauisse Angelos, esse ab æterno, &c.

quoniam non ſubeſt eadem indiuiſi-bilitas, quæ nos cogat ad ſimiles lo-cutiones.

Neque minùs patet inter propoſi-tiones de ſubiecto contreto, hanc eſ-ſe differentiam; quòd cùm diuina de homine prædicantur, propoſitiones ſunt eſſentiales, ſeu in quid: cùm ve-rò humana de Deo prædicantur, ſunt de quinto prædicabili, & accidenta-les; quantumvis prædicatum ſit quid, & ſubſtantia, in ſeſe conſideratum; Euidens enim eſt ſuppoſitum, ratio-ne cuius verificantur, eſſe eſſentiali-ter Deum, per accidens verò, & ex tempore, hominem. Huic itaque quæ-ſtioni, Quid eſt Ieſus? reſpondendum eſt, Deus, non verò homo.

Neque propterea ſequitur, Chri-ſtum non dici hominem vniuocè cum cæteris hominibus: vniuocatio enim conſiſtit in eo, quòd definitio vocis ſit eadem in pluribus; ſic autem contingit hominem ſignificare ani-mal rationale, tum in Chriſto, tum in Petro. Quod autem eſſe animal ra-tionale competat ei primariò vel ſe-cundariò, ſeu det illi primum eſſe,

vel ſecundarium, non pertinet ad vniuocationem.

Ex quibus protinus patet differentia inter has propoſitiones, Chriſtus eſt Deus humanatus, ſeu potiùs humanus; &, Chriſtus eſt homo dominicus, diuinus, deifer &c. Priores enim ſunt manifeſtè veræ, quia Deo accidentale eſt eſſe hominem; & ideo benè per vocem adjectiuam explicatur. Poſteriores verò ſunt falſæ, quia homini, qui eſt Chriſtus, eſſentiale eſt eſſe Deum; & per conſequens, male explicatur nomine adjectiuo, quod ſignificat conjunctionem per accidens.

Sequitur ex his nullum nomen proprium humanitatis poſſe de Chriſto dici ſimpliciter, hoc eſt ſine reduplicatione ſeu reſtrictione, præter illa quæ talem reduplicationem in vi ſuâ afferunt: vnde hæ propoſitiones, Chriſtus eſt creatura, incepit eſſe, eſt mortalis, eſt ſubjectus Deo, minor Patre, Filius adoptiuus, ſeruus &c; abſolutè ſunt propoſitiones falſæ, niſi addatur quatenus homo, aut aliquis ſimilis terminus, qui de-

terminet & restringat propositionem.

Veruntamen quoniam sicut crispus, cæcus, claudus, in ipsâ suâ significatione includunt secundum capillos, oculos, tibias; sic propria hominis includunt respectu sapientium vim reduplicationis *In quantum homo*; efficitur, has propositiones, vbi non est periculum subuersionis infirmorum, neque suspicio erroris in personâ loquente, posse simpliciter vsurpari; sed propter hujusmodi occasiones esse sæpe vitandas.

Consequenter, non propriè dicitur Christus ens actu quatenus homo; quia neque existentia est humana, neque humanitas sufficiens subjectum existentiæ per se: quare neque dici potest hoc aliquid, quod tantundem sonat; quia tamen aliquo modo habet existentiam, dicendus est quatenus homo esse aliquid; quia vox *aliquid*, confundit potiùs significationem, quàm explicat vel rem, vel modum rei. Ens autem, propter æquiuocationem inter ens simpliciter & ens entis, non æquè fæliciter de

Christo vt homine prædicatur; sed explicandum foret esse ens entis..

Tandem Christus quatenus homo, non est Persona; quia etsi in termino homo, includatur Persona; tamen hoc materialiter & confusè includitur: reduplicatio autem non nisi circa determinatum aliquid versatur. Præterea, si quatenus homo esset Persona, etiam quatenus homo foret Deus, & confunderentur naturæ, saltem quoad explicationem & vsum loquendi. Similiter neque quatenus Deus vel Persona, potest dici Persona humana; quia esse hominem non dat illi esse personam; quia humanitas non est sufficiens subjectum suæ existentiæ.

LECTIO V.

Christum & secundùm animam, & secundum corpus, esse perfectissimum.

PRogrediendo protinus occurrit, quòd quoniam animæ Christi

competit propiùs quàm corpori, & immediatè existere per existentiam diuinam; consequens est, ipsam non factam esse secundùm necessitatem materiæ, seu qualem corpori ex serie secundarum causarum generato habere conueniebat; sed qualem electio diuina iudicabat suo fini aptissimam.

Cùm itaque ex parte bonitatis diuinæ nulla possit esse limitatio, quin semper optimum agat; sed neque ex parte finis, puta salutis generis humani, possit fingi cur optimus homo non sit aptissimus ad talem effectum producendum; palam est animam Christi animarum in specie humanâ possibilium, esse perfectissimam, & quasi Ideam vel exemplum.

Dices, in ijs quæ sunt in materiâ; nihil esse optimum; cùm diuisibilitas quantitatis & ipsius multiplicabilitas vtraque sit sine termino. Præterea, Ideas esse res imaginarias: sic enim videmus eos qui deformant ideas boni Regis, Oratoris, Ducis perfecti, & similium, ea postulare quæ nunquam in aliquo homine

fuerunt, vel ſecundùm naturalium cauſarum ſeriem exiſtere poſſunt.

Reſpondetur contrà accidere, formas quidem rerum in materiâ exiſtentium, omnes eſſe indiuiſibiles; vt patet in figuris, numeris, & alijs ſpeciebus quantitatis: & quanquam cauſæ materiales non valeant ex ſemetipſis deſignatam formam introducere, ſed duntaxat fortuitam aliquam propinquam; hoc tamen non excedit virtutem angelicam, nedùm diuinam.

Prætereà, Ideæ quas homines imaginantur, nunquam ſunt iuſtæ; ex eo quòd homines non ſunt capaces deſcendendi ad omnes particularitates ſubjecti conſiderati; & plerumque ad majorem illuſtrationem operis, magis excedunt quàm deficiunt; & inde eſt quòd requirunt conditiones prorſus impoſſibiles. Quod ſi quiſquam perfectè ſciens pingeret Ideam vel Regis, vel Oratoris, &c; propiùs ad naturæ vires accederet; ſed vbi natura deficit, nihil obſtat quin ſuperior aliqua vis poſſit iuſtam indiuiſibiliter menſuram tribuere.

Pro-

Protinus dilucet, corpus quoque Christi (postquam aptum sine dubio animæ effici debet) etiam ipsum perfectissimum esse; & in indiuisibili consistere; cùm vnicum possit esse optimum, & quælibet differentia aliam proportionem efficeret; & quoniam corpus animæ necessarium est propter scientiam & operationes eam consequentes, quæ à sensibus proficiscuntur; fit corpus Christi perfectissimum esse, quod in genere sensitiui seu animalis effici possit.

Dices, cum vnica sit anima humana possibilis, quæ nata sit habere existentiam in prima sui creatione independenter à corpore; & vnicum corpus ei aptissimum; ponique possint alia corpora imperfectiora tali corpore in quolibet minori & minori semper gradu; ijsque corporibus necesse sit animas aliquas esse proportionatas; sequetur animas ex necessitate corporis introductas esse, quantumlibet proximas animæ Christi; & per consequens, non esse magnam excellentiam Christi supra eas.

Respondetur, quòd sicut in ele-

mentis, ſic in cæteris ſubſtantijs, neceſſum eſt euenire, vt ſubſtantiæ non ſint ſibi immediatæ ſecundùm omnem diuiſibilitatem quantitatis; ſed ſit aliqua latitudo competens cuilibet ſubſtantiæ; & per conſequens non quælibet mutatio ab indiuiſibili optimo corpore, faciet aptitudinem ad aliam animam; & in hoc particulari neceſſum eſt eſſe inſuperabilem latitudinem; cùm anima Chriſti habeat adeo excellentem modum ſibi proprium; ſed & inter eas diſpoſitiones quæ poſſunt conſiſtere cum hac animâ, cauſæ corporis Chriſti ex neceſſitate electuræ ſunt potiorem, ſiue eam quæ indiuiſibiliter optima eſt; quia ſola illa primæ conſtitutioni idonea eſt.

Petes, cur non poſſit fingi animo ſine contradictione implicatâ, eſſe plures animas humanas ita excedentes vim corporis, vt ipſæ ſint priùs naturâ capaces exiſtentiæ quàm compoſita; & tamen habeant exiſtentias creatas: vnde fiet acceſſus proximè ad animam Chriſti, & dignitas ipſius (exclusâ diuinitate)

non erit infinitè ſuperior cæteris hominibus. Reſpondetur, quod ſi ponatur exiſtentia creata, id eſt, non ſubſiſtens, eſſe ex naturâ rei primò vnius ſubjecti, non poteſt eadem intelligi deriuari ad aliud, quod non ſit incluſum in primo: eſſentialiter enim fertur & dicitur ſeu habet ſpecificationem reſpectu primi ſubjecti, & eſt modus ipſius, & comprehenſa ab ipſo, & terminata ab ipſo, & terminis ipſius. Vnde ſicut accidens vnius ſubjecti non poteſt eſſe accidens alterius, ſic neque exiſtentia. Neque par eſt de exiſtentiâ diuinâ; quæ cùm ſit ſubſiſtens, non accipit terminos à ſubjecto.

Dices, exiſtentiam pueri extendere ſe ad ſubſtantiam viri. Præterea, cur non poteſt æque extendere ſe exiſtentia creata, quam poteſt ſeſe retrahere; ſicut videmus contingere, cùm in morte hominis exiſtentia quæ fuit totius, fit exiſtentia ſolius animæ. Reſpondetur, quòd exiſtentia compoſiti, non requirit materiam propter ſe, ſed quia eſt terminus formæ; & propterea non poteſt eſſe in for-

ma solâ, quia non est terminata, neque definibilis sine materiâ. Quare posito formam accipere terminos proprios, vt contingit in separatione animæ à corpore, iam existentia inuenit subjectum suum in solâ animâ, cùm eandem inexistendi rationem cum alijs terminis inueniat. Neque tamen propterea Anima separata sit ens completum; propterea quod modus operandi ipsius, & per consequens essendi, est imperfectus; vt suo loco explicandum manet. Extensio verò existentiæ pueri ad existentiam viri, cùm tantummodo sit ad majorem quantitatem, id est, mensuram seu modum substantiæ, & in definitione nihil mutatum inueniat, non est extensio ad subjectum nouum; & sic non pertinet ad hunc locum.

Ex quibus vlteriùs conficitur, Christum fuisse perfectissimum hominem secundùm corpus in ratione animalis; Adamum verò perfectissimum hominem secundùm corpus in genere vegetabilis: cùm hic ad propagandum genus humanum secundùm cor-

pus, ille ad ſapientiam propagandam protoplaſtus fuerit. Et quoniam anima ex Deo, corpus de terrâ eſt; Adamus de terrâ terrenus; Christus ex cælo cæleſtis eſſe meritò agnoſcitur & dicitur.

Et quoniam anima eſt forma animalis; animal autem inſtrumentum ad operationem applicabile; patet ad corpus animalis, & ad informationem animæ, pertinere cunctas partes quæ quoque modo perficiunt rationem talis inſtrumenti, ex intentione naturæ, quouſque manent coniunctæ quantitatiuè cum ipſo trunco animalis. Quæcumque autem pertinent ad animam, per conſequens etiam pertinent ad vnionem cum Deo, & eius exiſtentiâ exiſtunt, quantùm exiſtunt.

Vnde efficitur, ſanguinem & reliquos humores, non ſolùm in quantitate neceſſariâ, ſed integrè exiſtere exiſtentiâ diuinâ; ſed & excrementitios humores, ſi reiecti ſint non propter intemperiem, ſed propter abundantiam; immo ſi etiam propter intemperiem, quæ non ſit deſtructiua

naturæ, sed compossibilis, antequam reijcerentur extitisse existentiâ diuinâ. A fortiori capillos, vngues, & si quæ aliæ sunt partes ex sese proficuæ, & solâ exuberantiâ incommodæ, ad eandem existentiam pertinebunt.

Sed quoniam corpus quidem propter semetipsum suscipitur; quia pars est hominis, qui est terminus assumptionis principaliter intentus, & ipsius existentiæ immediatum subiectû in facto esse, etsi in fieri anima sit naturâ prior; huiusmodi autem tantùm suscipiuntur quatenus aliquid corporis sunt, aut accidentia & determinationes corporis, & non per se subiecta existentiæ; fit huiusmodi partes (& tantundem est de brachio, vel crure, si decisum à Christo viuente fuisset) per puram separationem perdituras fuisse existentiam diuinam: integrum verò corpus seu compagem eorum membrorum in quâ saluatur ratio corporis humani, non nisi per talem destructionem, quæ rationem corporis humani tollat.

Petes, qualis sit prioritas quâ existentia diuina priùs afficit mentem

Christi quàm corpus, siue totam humanitatem? Et rursus, totum corpus quàm partes ipsius? Cùm enim constet non esse actualem aliquā distinctionem, non videtur posse intercedere prioritatem naturæ inter eandem rem & semetipsam. Si autem dicatur esse prioritas rationis, vnde est quòd habeat reales effectus, quales supra descripsimus? Respondetur, quòd cùm ea quæ componuntur inter sese, sic sint vnum actu, vt sint plura in potentiâ, fit vt qualitas eorundem, dum sunt actu vnum, possit considerari in ordine ad hoc quòd possunt esse per diuisionem; & sic inuenitur quòd eadem res, prout est in potentiâ vnum, sit dignior vel immediatior quàm secundùm quod est in potentiâ aliud: vnde secundùm hunc ordinem, qui de facto est tantùm rationis, accidentibus causis vel diuidentibus vel comparatis ad rem in potentiâ, reales effectus diuersi nati sunt sequi. Est itaque hic ordo actualiter tantummodo rationis, sed fundata sic in naturâ obiecti, vt possit dici virtute vel potentiâ realis.

LECTIO VI.

De actione Incarnationis.

EX hoc porrò quòd anima intelligitur aliqualiter præexiſtens corpori, conſequitur actionem per quam Chriſtus accipit eſſe, incipere ab animâ, & continuari ad corpus; & hoc in ipſo ordine executionis, vt fieri corporis ſit conſequens ſaltem ordine naturæ, modo explicato, ad fieri animæ. Et quoniam anima eſt naturaliter forma, neque poteſt connaturaliter propterea accipere primum eſſe extra corpus; conſequens eſt, exiſtente realiter animâ, eo ipſo corpus quoque habere eſſe. Quare cùm actio circa animam ſit inſtantanea, tota actio circa Chriſtum erit inſtantanea, & corpus Chriſti non ſucceſſiuè præparatum, ſed indiuiſibiliter factum.

Poſito è diuerſo corpus eſſe præparatum priùs tempore ante animam; vel tota præparatio facta erit ante

ante infuſionem animæ, ſicut in alijs corporibus; vel pars aliqua diuiſibilis defuerit: Si hoc, ergo ſaltem aliqua ſucceſſio facta eſt, vel ſuppleta potiùs in inſtanti; & æquè benè tota ponetur ſuppleta in inſtanti: Si prius, cùm corpus aptum factum fuerit animæ, Deus determinatus fuerit dare eſſe ex vi cauſarum ſecundarum; & non iam anima præintelligetur ante corpus, ſed totum primò habere eſſe; & in viâ executionis, à corpore itum eſſe ad animam.

Ex hoc rurſus conficitur, actionem hanc quoad vim effectricem, in ſolum Deum eſſe refundendam, ſine miniſterio cuiuſlibet creaturæ corporalis vel ſpiritualis: Cùm enim mutare localiter in inſtanti, vel rarefacere ad certum gradum in inſtanti, excedat vim Angelicam; palam eſt corpus Chriſti, ſi in inſtanti formatum eſt, à ſolo Deo eſſe profectum.

Et è diuerſo, ſi ponatur in tempore formatum eſſe; eo ipſo Angelicis operis hoc actum eſſe; cùm Deus non niſi influendo eſſe, quæ actio inſtantanea eſt, operari natus ſit: ex quo ſe-

quitur Angelum aliquem suppleuisse ministerium Patris carnalis erga Christum; & per consequens, non incongruè dici posse Christi Patrem secundùm generationem carnalem.

Quid, quod si creaturæ alicuius ministerium adhiberi debuerat, nullius magis quàm sanctissimæ Matris; & per consequens illa debuisset concurrere quomodo solent matres ad conceptionem infantis; puta per resolutionem seminis; quæ cùm naturaliter non fiat sine delectatione, etiam delectatio adhibenda erat; cùm hæc sine peccato esse possit; quæ tamen minùs congruunt summæ illi integritati quam de illâ profitetur Ecclesia.

Sed & ipse consensus Sanctæ Virginis, arguit instantaneam fuisse operationem: Cùm enim verborum vis sit in significatione; significatio autem indiuisibiliter sit in ipsis verbis; causatio ex vi verborum, est instantanea, modò effectus natus sit esse in instanti, id est, sit permanens: quare cùm Christus sit ens permanens, secutus erit instantaneè con-

sensum Virginis virtute diuinâ.

Et ipsa quoque verba hoc videntur indicare; dicente beatâ, neque *faciam*, neque *facias*, sed *fiat*; indicans neque suo ministerio, neque Angelicæ naturæ patrandum esse mysterium, quod Angelus nunciare venerat, sed diuino, seu virtute superuenientis Spiritus Sancti; quod est secundùm verbum Angeli fieri, quod in ipsâ non ab ipsâ fiebat.

Ex hoc rursus infertur, actionem hanc non esse mediam inter terminum à quo & ad quem; sed per modum creationis, etsi creatio non sit, cùm sit ex materiâ præsuppositâ, puta ex sanguinibus Virginis: vnde maximè propria propositio in hâc materiâ, incipiendo à naturâ humanâ seu pertinentibus ad illam tanquam à subiecto, est sanguinem virgineum factum esse Deum; etsi etiam ista sit defectuosa, ex eo quod sanguis virgineus non sit propriè ens actu, sed pars entis: vnde fortasse rigorosiùs beata Virgo quoad sanguines facta est Deus.

Hæc autem, Deus factus est homo, vel, homo factus est Deus; vtraque

ſic intelligenda eſt, vt ſignificent factum eſſe vt Deus ſit homo, vel homo Deus. Nam Deus quidem etſi præexiſtat, non tamen eſt qui poſſit fieri, id eſt, eſſe ſubiectum factionis: Homo autem non præfuit, vt poſſet eſſe aliud quàm terminus. Neutra itaque rigoroſa, ſed minùs impropria, homo factus eſt Deus, ſi homo non ſupponat pro hoc indiuiduo, ſed pro naturâ humanâ ſecundùm ſe.

Sed neque rectè dicitur, homo factus eſt, ſed factum eſt vt homo ſit; cùm homo pro ſuppoſito accipiatur, quod non eſt factum neque incepit eſſe, quod eſt conſequens ad fieri. Quod autem dicitur, Deus eſt incarnatus, vel humanatus, eodem modo intelligendum eſt, quomodo eſſe factum hominem.

Petes, qualis ſit hæc actio? Reſpondetur eſſe ſpecialem, quæ habeat à conuerſione habere materiam communem; à creatione verò, non habere ſubiectum niſi denominationis, hoc eſt, terminum, non ſubiectum. Quod intelligendum eſt de actione quaſi Phyſicâ: ſi enim moralis actio

consideretur, sic consensus matris est vera successiua actio; iuxta quod canit Ecclesia, *Verbo concepit Filium.*

Patet vlteriùs, hanc actionem, respectu matris, esse generationem, id est, processionem viuentis à viuente, &c, tantummodo in facto esse, non autem in fieri; cùm exhibitio sanguinum per quam & propter quam dicitur mater, sit instantanea, & primo instanti in facto esse, & nunquam in fieri.

Dices, ergo non est vniuocè mater cum cæteris matribus; maximè cùm Physici doceant in matribus æquè atque in patribus esse semen; & per consequens vim effectiuam, secundùm quod conuenit semini: quare si talis actio negetur sanctissimæ virgini, non erit mater neque hominis, neque Dei.

Respondetur reperiri in mulieribus humorem quendam seu sanguinem album, & similem semini virili, sed quòd non sit semen, sed naturæ proximè dissimilis semini: cùm enim seminis ratio consistat in eo quòd sit prolificum, & constet fœminas cùm

habeant & locum & materiam aptam, tamen non esse ex sese prolificas; pariter constat dictum humorem nō esse semen, sed sanguinem purissimum, & cætero sanguine magis excoctum; quique citra resolutionem exhibitus est à beatissimâ virgine in generatione Christi.

Attribuere autem aliam actionem ipsi efficientem, est attribuere illi monstrositatem defectuosam, qualis reperitur in imperfectis creaturis, & exulat à genere humano, & perfectis animalibus, propter perfectionem ipsorum, quæ requirit instrumenta magis distincta & particularia, quàm naturæ imperfectiores. Metaphysicæ autem actiones, quas aliqui comminiscuntur, cùm non fuerint notæ imponentibus nomen Patris & Matris, non pertinent ad explicationem huius mysterij, & propositum nostrum.

LECTIO VII.

De Patre & Matre Christi in generatione temporariâ.

NIhilo tamen minùs clarum est, Beatam Virginem Dei Matrem esse, non tantùm materialiter, quatenus Deus quoad humanitatem assumptam ab ipsâ materialiter procedit; verùm etiam formaliter, quatenus humanitatem existere existent iâ diuinâ in genere causæ materialis ab ipsâ procedit: Cùm enim existentiam afficere hum[anitatem] ex eo sit, quòd humanitas non est capax alterius existentiæ, & hoc ex determinationibus materiæ procedat, palam est quòd à Matre originem trahit.

Dices, tales dispositiones in materiâ non procedere à Matre, quæ præcisè subijcit materiam, sed ab efficiēte: vt autem causa causæ sit causa causati, requiri vt faciat facere, quod hîc non occurrit. Respondetur, causam materialem non posse aliter fa-

cere, quàm ſuſtentando diſpoſitiones: Cùm itaque Mater ſit cauſa paſſiua, ſufficit ad rationẽ Matris, quod materia ab ipſa exhibita, ſuſtentet diſpoſitiones quæ determinant actu ad formam.

Si autem Mater Chriſti eſt formaliter Mater Dei; à fortiori cauſa illa quæ hanc neceſſitatem inducit effectiuè, & vicem carnalis Patris supplet, eo nomine Pater Dei erit in eâdem ratione; cùm ipſe formaliùs longè exiſtentiam diuinam introducat in humanitatem: quare Chriſtus quoad temporalem generationem erit Deus à Deo.

Quid, quòd actio hæc eſt per modum creationis; creatio verò incipit ab exiſtentiâ; vnde primus quaſi effectus huius actionis erit ſuper ipsâ exiſtentiâ diuinâ, quaſi quædam expreſſio fœcunditatis ipſius, & extenſio ad ſubjectum alienum. Quare hæc actio videtur primitùs circa ipſam eſſentiam diuinam; & per conſequens, talis vt nulli creaturæ poſſit competere.

Ex his infertur Chriſtum, etiam

ſecundùm generationem temporariam, eſſe Deum de Deo; & hoc quoad interna; & per conſequens Perſonam in quâ ſit vnio naturarum, neque eſſe Perſonam abſolutam, neque eſſe Patrem, ſed vnam earum quæ habent eſſe à Patre, & ſunt Deus de Deo.

Obijcies, hanc operationem eſſe temporariam & externam; & per conſequens procedere indifferenter ab omnibus, vel quâlibet Perſonâ: Non poſſe proinde ex hoc capite deſumi differentiam aliquam Perſonarum; neque vel hoc argui, quòd non ſit communis Perſona quæ carnem aſſumpſit.

Reſpondetur effectum partim eſſe temporarium, partim æternum; quatenus enim dicit extenſionem exiſtentiæ diuinæ, quæ eſt quædam quaſi proprietas exiſtentiæ diuinæ (qualis eſt determinatio intellectus vel volitionis diuinæ ad objectum contingens) ex neceſſitate eſt æterna, ſicut determinationes intellectus & voluntatis; & habet effectum in tempore, ſicut etiam illæ. Vnde

cùm ab alio ſit, ex eâ poteſt concludi Perſonam incarnatam eſſe Deum à Deo, ſeu Perſonam procedentem.

Ex his iterum concluditur, Perſonam in quâ fit vnio, eſſe Perſonam Filij: cùm enim ſubjectum cui exiſtentia communicanda eſt, ſit mens indigens exiſtentiâ, id eſt, imperfecta & perfectibilis; exiſtentia autem ſeu eſſentia diuina prout determinata & particulariſata ad cognitionem, id eſt, perfectionem mentis, ſit verbum ſeu Filius; patet per ſe & proprium actum talis ſubjecti eſſe Deum vt Filium; & quod ſequitur, formalem vnionis terminum eſſe ſecundam Perſonam.

Eâdem operâ conficitur, neque Patrem, neque Spiritum Sanctum, neque Perſonam abſolutam, poſſe aſſumere creaturam aliquam in ſui communionem: Cùm enim ex neceſſitate creaturæ ſit quòd exiſtat exiſtentiâ diuinâ; talis autem neceſſitas non contingat, niſi vbi partes ex quibus componitur creatura, ſunt quodammodo oppoſitæ, & ſic inuerſæ, vt naturalis exiſtentia eis non poſſit

competere : hoc autem non nisi homini, & quidem secundùm mentem competat; palam est non nisi verbi diuini necessitatem creaturæ posse competere, & quod sequitur, solum verbum diuinum posse incarnari, & immediatè vniri creaturæ.

Obijcies, quòd cùm diuinitas sit simplicissima, & vnio hæc realis, & non secundùm rationem; impossibile esse, vt vnio fiat ad vnam Personam, & non ad omnes. Respondetur, vtcumque sit simplex deitas, tamen eminentiam habet super vniuersas creaturas: vnde si vna creatura applicetur, non communicabitur ei effectus nisi proportionatus ipsi; sic itaque adiuncta menti, non faciet nisi mentem existere. Quod considerans ratio, de eâ loquitur, vel vocem accommodat secundùm mensuram effectus, & dicit vnita est quatenus nata facere mentem existere; & excludit ex suis conceptibus reliquas eminentias. Et hoc est vniri secundum Personam Filij, & non aliam.

Ex his quoque clarescit, actionem incarnationis specialem respectum

habere ad Patrem vt à quo. Cum enim extēsio existentiæ sit prima pars acti; hæc autem hebeatur à Patre; Pater autem à Filio, & per consequens ab effectu, sit realiter distinctus; patet inter effectum & Patrem esse realem relationem; & per consequens, rationem causæ & effectus esse perfectiorem, quàm vbi est identitas (vt cum Filio) vel certè à quo specialiter non procedit (vt à Spiritu Sancto): Quare euidens est hominem Deum speciali modo à Patre pendere.

Obijcies, quòd cùm inter Patrem & Filium non sit ratio causæ efficientis & effectûs, quæ tamen est inter Deum & temporarium effectum, non posse esse specialem rationem actionis inter Patrem & Christum quoad generationem temporalem. Adde, quòd cùm idem sit existentiam Dei esse extensam ad humanitatem, & humanitatem existere per existentiam diuinam; si non sit ratio causæ & effectus inter Deum & extensionem existentiæ, neque posse esse inter Deum & τὸ humanitatem existere.

Reſpondetur, quòd cùm reſpectu Patris ſit proceſſio directa ſecundùm naturam actionis; ſit etiam alietas & ratio effectûs; non intereſſe quòd ratio efficientis deſit reſpectu Filij, cùm non deſit reſpectu effectûs integri. Reſpectu autem Spiritus Sancti deeſt proceſſio, & reſpectu Filij, & proceſſio & alietas. Vnde non poteſt inueniri ratio vera actionis, niſi reſpectu Patris, reſpectu cuius, propter diſtinctionem, datur vera ratio effectus, quæ facit veram rationem cauſæ, quæ deficit inter Filium & Patrem.

Dices, hunc effectum eſſe præuolitum à Deo; & per conſequens, procedere à Spiritu Sancto, qui eſt volitio Dei. Sed & ſpecialiter procedere ab ipſo, patet ex eo quòd Chriſtus dicitur conceptus de Spiritu Sancto; & quod natum eſt in Virgine eſſe à Spiritu Sancto; & obumbrationem Spiritus Sancti, & deſcenſionem, præcedere conceptionem Virginis; quæ omnia indicant ſpecialem cooperationem tertiæ Perſonæ.

Respondetur, effectum quidem esse integrè volitum, sicut & ipsam generationem diuinam, quæ est quodammodo pars huius effectus. Sed præuolitum tantummodo esse ex parte, quatenus humanitas existit, non quatenus existentia extensa est; sed hanc præuolitionem non esse actionem; quia actio procedit per extensionem ad effectum, & non è contra; volitio verò incipit cùm respicitur creatura, vel potiùs illic incipit esse præuolitio, quæ respectu extensionis erat volitio concomitans.

Nomine verò Spiritus Sancti in illis locis intelligitur Pater; vt patet ex eo, quòd Angelus dicit Christum ex hâc ratione vocatum iri, id est, futurum esse Filium Dei. Sed & notum est appellationem Spiritus Sancti transferri ad alias Personas. Adde quòd ex vsu veteris testamenti sint hæ locutiones: vnde Spiritus Sanctus non significabit nisi Deum, vel Deum Patrem; vnde dicitur etiam virtus altissimi; qui terminus, Deo, vel Deo Patri, solet attribui. Tandem cùm dicitur *de*, vel *ex*, signifi-

cat materiam præexiſtentem ; quod non poteſt verificari niſi de Patre, in quo ſolo natura diuina præexiſtit Filio.

Infertur vlteriùs, hanc actionem eſſe miſſionem : Cùm enim famulum ab hero mitti dicamus, cùm abit ad diſtantes ex vi cognitionis ſeu dictaminis mouentis ipſum, ex eo quòd ab alio hanc virtutem habente procedit : & Filius per hanc actionem accedit ad homines, ex cognitione, quæ eſt eſſentia ipſius, & impellit ipſum ex eo quòd eſt à Patre; euidens eſt, omnia requiſita ad mittentem eſſe in Patre, & ad miſſum eſſe in Filio ; & per conſequens, hanc actionem, videlicet Incarnationem eſſe miſſionem.

Patet itaque eſſe miſſionem in diuinis ; hoc eſt, vnam perſonam mitti ab aliâ ; & miſſionem includere proceſſionem à perſonâ originante, & peruentionem ad extrinſecum, puta homines ; & quaſi ex his duabus partibus componi. Miſſio itaque non pertinet niſi ad perſonas quæ ſunt ab alio. Sed neque Filius mittitur ad

Spiritum Sanctum; quia non est distans, sed coniunctus: Spiritus verò Sanctus, si communicatur hominibus, mittitur à Patre & Filio. Et si mittitur ab vtroque, ab vtroque procedit.

Euidens quoque est, quicquid à Personâ missâ agitur apud distantes, ex vi missionis & mandati fieri; quandoquidem missio includit mandatum. Cùm enim agatur ex vi cognitionis seu volitionis acceptæ ab originante; hæc autem extendit sese ad omnia, & omnes circunstantias, singula & omnes singulorum partes ex vi talis mandati necessariò peraguntur.

LECTIO VIII.

De scientiâ Christi vt Hominis.

QVibus non obstantibus, clarum est in Christo Domino, etiam secundum naturam humanam, repertos fuisse scientiæ thesauros. Cùm enim homo vt homo sit cognoscitiuus,

tiuus; & cæteris magis Christus, propter eminentem modum existendi animæ ipsius; palam est, nisi scientiam conformem suæ naturæ haberet, vanam esse & mutilam in eo naturam humanam, quæ non habeat operationem ad quam nata est, & propter quam solam nata est produci.

Sed neque profuisset Christo Domino quatenus homo est esse Deum; cùm non frueretur bono suo, neque illud omnino haberet, neque per intellectionem, neque per voluntatem, quomodo habentur quæ ab hominibus habentur. Quare neque illud neque aliud vllum bonum haberet; sed foret omnino quasi truncus desertus & inutilis, diuinitate habente hominem, sed homine vt homine non habente diuinitatem.

Quid, quod neque nobis profuisset humanitatem esse susceptam; neque mysterij finis obtineretur. Non enim Christus exemplum nobis posset dare nisi fictitiè, & collusoriè, (quo modo dedecet Deum). Sed neque doctor foret, cùm non intellige-

ret mente quod ore diceret. Sed neque Deus homo nobis appareret & apprehenderetur à nobis; cùm hominem non intelligamus nisi talem qui discurrat & intelligat.

Adijce quòd neque ratio animalis vel entis naturalis ei satis constaret; cùm neque sensus haberet, sicut cæteri homines, cùm sentire in homine sit cognoscere; neque media congrua sese alendi & sustentandi haberet, cùm homo sine cognitione sit impotens ad hæc omnia, cùm ex vsu & non ex naturæ dictamine hæc omnia habeat. Quare non foret ens naturale, qualiter nos entia naturalia concipimus.

Nihil minùs certum est, Christum scientiam suam operâ sensuum accepisse. Cum enim anima rationalis propterea corpori indatur, quia ex suâ specie propriâ non est idonea scientiæ colligendæ, vt pote quæ sit pura potentia; & hæc sit differentia animæ ab intelligentijs: palam est animam Christi non futuram fuisse animam humanam, si non nata fuisset pati quasi scientiam ab obiectis,

mediantibus ſenſuum organis.

Rurſus, cùm anima humana non ſit ex naturâ ſuâ ens, primum ipſius obiectum etiam in ſtatu ſeparationis non eſt ipſamet, ſed homo ex quo reſoluta eſt. Quare tantundem de Christo aſſerendum eſt, primarium ipſius obiectum non eſſe ipſam animam, ſed hominem: & quod alioqui genere differret à cæteris hominibus; vt cuius primaria operatio foret diuerſa. Quare cùm corpus mediante ſenſu agat cognitionem, indubium debet eſſe, etiam Chriſti animam ab obiectis eſſe informatam.

Tandem cùm vſus ſenſuum perficiatur in ſenſu communi ſeu imaginatione; neque imaginatio poſſit moueri in homine abſque impreſſione in animam, quæ vna eſt cum phantaſiâ, patet vel dicendum eſſe, quòd neque viderit, neque audiuerit, vel aliâ ſenſatione vſus ſit, ſed finxerit ſeſe audire, & moueri, &c. vel dicendum, quòd per operationem ſenſuum acceperit ſcientiam.

Quibus tamen non obſtantibus aſ-

ſerendum eſt, Chriſtum in primo inſtanti conceptionis ſuæ habuiſſe integram ſcientiam omnium rerum præteritarum, præſentium, & futurarum. Cùm enim anima ipſius ſuſtineat eſſe independenter à corpore, & priùs illo, clarum eſt quamlibet impreſſionem in eam factam, eſſe perfectam, & patefacere quicquid per conſequentias ex primo per eam cognito educi poteſt. Quod cùm ſeſe ſic extendat ad omnia, vt nihil plenè ſit cognitum niſi cæteris omnibus cognitis, patet per impreſſionem factam in conceptione, Chriſtum ad cognitionem omnium exiſtentium peruenire potuiſſe, & perueniſſe, cùm in eâ aliquid cognouerit.

Dices, Chriſtum non potuiſſe habere omnium ſcientiam, niſi haberet ſpecies omnium ſubſtantiarum; neque potuiſſe habere ſpecies omnium ſubſtantiarum mediantibus ſenſibus, niſi in longo tempore; quare ſi habuerit ſcientiam omnium rerum in primo inſtanti, habuiſſe ſpecies earum à Deo impreſſas, & non mediante corpore: quare ex illo

capite plusquàm hominem fuisse, & participasse de naturâ Angelorum.

Respondetur, scientiam humanam non esse per impressionem specierum, sed per collectionem consequentiarum; nullius enim substantiæ ratio habetur per impressionem speciei alicuius, vt notum est, cùm nullo sensu percipiantur. Sed neque accidens aliquod vere per impressionem speciei cognoscitur: Si enim comparemus definitionem caloris, humiditatis, dulcedinis, &c: ad impressiones quas faciunt, cernimus omnino dissimiles, & diuersæ naturæ esse.

Oppones, non posse negari similitudines accidentium esse in animâ; experimur enim in sequentibus cognitionibus nos ijs vti, vt si de calore vel humiditate inquiramus, pro subiecto vtimur; *quod facit talem passionem in sensu.* Manifestum itaque est, ipsam passionis similitudinem, & quod sequitur, obiecti esse in ipsâ animâ in qua est propositio, atque adeo subiectum atque prædicatum.

Respondetur, hoc non efficere si-

militudinem accidentis esse in ipsâ animâ, sed duntaxat esse in phantasiâ: Cùm enim anima sit interiùs & indiuisibilis, nihil deciditur ab eâ, quod possit iteratò percutere phantasiam, & facere se cognosci: quod est in causâ cur in hâc vitâ non videamus neque animam, neque actus ipsius in semetipsis, sed in causis & effectis ipsorum. Quid itaque sit in ipsâ animâ, non possumus experimento, sed ratiocinatione concludere.

Euidens autem est, secundùm rationem, quòd formalis similitudo entis diuisibilis siue permanentis, siue successiui, non valeat esse in animâ, cùm anima sit indiuisibilis: Non est enim quomodo partes quantitatiuæ explicentur in re indiuisibili; & tamen formalis similitudo quanti, sine partibus nullo modo consistere potest. Cognitio itaque formalis non fit per assimilationem vniuocam.

Præterea, si non sit aliud cognoscere, quàm habere similitudinem objecti in sese per modum qualitatis; quæ ratio reddi potest, cur pannus vel charta coloribus imbuta, non cog-

noſcat; & multò magis ſpeculum, quod cenſetur à ponentibus entitates quas qualitates nominant, puris qualitatibus affici; ſiue lumen ſiue ſpecies intentionales colorum imbiberit.

Palam autem eſt vnitatem cogniti ad cognoſcentem non conſiſtere in vnitate, qualem qualitates habent ad ſubjecta ſua; cùm hoc primum ſit in cognitione, vt rem eſſe ſit in animâ: niſi enim cognoſcat rem eſſe, non eſt ſubjecta veritati vel falſitati cognitio, id eſt, neque eſt bona neque mala; & per conſequens, neque cognitio. Eſt itaque vnitas cognitionis, vnitas entis exiſtentis ad præexiſtens; & per conſequens, magis per modum membri vel inſtrumenti, quàm qualitatis.

Et ſi reflectamus, omnia cætera prædicamenta adijci ſubſtantiæ ſecundùm notiones ab intellectu comparatiuo dependentes, (Quantitas enim comparat ſubjectum ad cætera corpora; Qualitas ad ea quæ ſunt ſuæ ſpecialis naturæ; Relatio ad corpora his affecta; Vbi, Quando, A-

gere, Pati &c: ad ſpecialia quædam corpora, ſpeciales rationes ad ſubjectum habentia) Immo ipſas ſubſtantiæ ſpecies per diuiſiones & limitationes conſtitui: reperiemus in omni cognitione noſtrâ, ſolam rationem τῶ *eſſe* variè virtute noſtrâ comparatiuâ variatum. Vnde nulla ſimilitudinum apparet natura.

His ſi adijcimus, primum cognitum eſſe noſtrum ipſorum eſſe, patebit omnem cognitionem noſtram non eſſe aliud, quàm quandam acmodationem noſtri ipſorum eſſe in intellectu noſtro: & cognoſcere omnia cætera, non eſſe niſi cognoſcere noſtrum ipſorum eſſe, alio & alio modo; verbi gratia, cognoſcere quomodo dependeat à cauſis, quomodo influat in effecta, & ſimpliciter & ſecundùm quid. Vnde non eſt vlteriùs difficultas quomodo ſine ſpeciebus anima poſſit omnium cognitionem acquirere.

Verùm ipſa quoque acceptio ſpecierum in vitâ futurâ per infuſionem, inconuenienter ponitur: cùm natura tantùm vnum modum perficiendi

ſeſe

ſeſe ſingulis entibus tribuat. Et quoniam hæc vita data eſt, vt præparet nos ad futuram, non minùs ex naturâ eſt, vt in futurâ ſint aliquæ imperfectiones, quàm vt in hâc vitâ fuerit impoſſibilitas acquirendi perfectionem. Sed & cùm Deus non influat eſſe nouum animæ in ſeparatione, neque qualitates ei influere conueniet.

Tandem vniuerſa hæc doctrina de cognitione per ſpecies, ſupponit naturam cujuſdam entis conſiſtere in hoc quòd ſit ſimilitudo; rurſus diſtingui entitatiuè qualitates à ſubjecto; & tandem eandem indiuiſibilem entitatem habere efficientiam ſuper ſemetipſam: quæ omnia ſunt à Philoſophiâ alieniſſima.

Neque vetat hæc ſcientiæ plenitudo in primo inſtanti Incarnationis, quin Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore profecerit in ſcientiâ, non cumulando noua objecta, ſed confirmando & corroborando ſcientiam de objectis præacquiſitam; ſicut per iteratam cognitionem in nobis accidit. Vnde non ſolùm per ſenſationem,

ſed etiam per diſcurſum (phantaſiâ objecta prout magis conueniebat ordinante) potiora obiecta magis fortificabat.

LECTIO IX.

De Viſione beatificâ, & Virtutibus Chriſti Domini.

VLteriùs infertur, Chriſtum in primo inſtanti conceptionis ſuæ habuiſſe claram Dei viſionem : cùm enim habuerit omnem ſcientiam, & rectum iudicium, non potuit non habere ſummam charitatem. Cùmque ex aliâ parte habuerit ſtatum animæ in quo ſcientia non eſt alligata ad phantaſmata, & per conſequens anima eſt capax in primo inſtanti omnis ſcientiæ, cuius capax eſſe poteſt ex parte ſuâ; ſequitur (quoniam ex Dei parte non poteſt eſſe defectus) abſolutè Chriſtum viſionis beatificæ in primo inſtanti fuiſſe compotem.

Creſcit neceſſitas ex eo quòd ex

naturæ vi prima cognitio fertur circa ſemetipſum; & quod ſequitur, cùm Chriſtus intrinſecè ſit Deus, primam cognitionem Chriſti verſatam fuiſſe circa Deum, ex ipsâ naturæ inclinatione: vnde ſi non potuerit ſemetipſum clarè videre ſicut cætera; palam eſt ingens non naſci deſiderium in Chriſto Dei videndi non potuiſſe; & quaſi mutilum eſſe primum actũ abſque adiutorio viſionis beatæ. Non potuit itaque non hanc à Deo accepiſſe cum ipſo ſuo eſſe.

Patet quoque viſionem Dei totâ vitâ in Chriſto augmentum accepiſſe per ſingulos actus Chriſti: cùm enim ſcientia creuerit in Chriſto, charitas autem non poſſit non creſcere, ſicut ſcientia; (cùm in Chriſto præcipuè nulla ſcientia non fuerit diſpoſitio ad charitatem) neceſſum quoque ſit quo major eſt diſpoſitio, majorem quoque eſſe viſionem, cum non poſſit eſſe ex parte Dei defectus: fit, ſecundùm augmentum charitatis, in Chriſto creuiſſe viſionem beatificam.

Obijcies eſſe contra naturam comprehenſoris creſcere; & rurſus con-

tra naturam beatitudinis; cùm non ſit aliquis verè beatus, quamdiù reſtat aliquid deſiderandum: Viſionis autem beatificæ palam eſt quemlibet gradum & minimum augmentum eſſe deſiderabile ſuper omnia. Adijce, quòd dum Chriſtus adhuc viueret, poterat minus bonum agere; & per conſequens, non ex neceſſitate habiturus erat talem gradum. Non itaque beatus cenſeri poterat, ſi viſio beatifica in eo poterat creſcere.

Reſpondetur, rationem cur comprehenſioni repugnet creſcere in cæteris, eſſe quia iam ſunt in ſtatu permanentiæ, & quòd non vltra habent vel agentium materialium incurſationem, vel multiplicitatem actuum; ex quo conficitur in Chriſto debere eſſe augmentum; cum & ſenſuum percuſſiones, & multiplicitas actuum ſimul reperiantur cum viſione clarâ Dei. Similiter deſiderium quod opponitur beatitudini, eſt quod affligit; videlicet, vel quia conjunctum eſt cum incertitudine, vel cum indigētiâ; quarum neutra in Chriſto fuit, ſed omnimoda certitudo quod ha-

biturus esset quod ei adhuc deerat; & plenitudo secundùm præsentem capacitatem. Quamquam enim posset Christus ex potentiæ secundùm sese consideratæ imperfectione, minus bonum agere; non tamen poterat ei contingere vt minus bonum ageret; & hoc ei certum erat. Vnde non potuit esse sollicitus, ne summum gradum amitteret.

Conficitur ex his, geminam fuisse in Christo charitatem; puta aliam patriæ, aliam viæ. Cùm enim charitas vel dilectio non distinguatur à scientiâ, vel certè illam includat; fit ex geminâ Christi de Deo scientiâ, geminam item oriri charitatem: quarum quæ abstracta seu obscura est, sit dispositio ad claram visionem, & eam charitatem, quæ cum eâ coniuncta est: attamen minima sit major quàm cuilibet puro homini viatori inesse possit; cùm oriatur ex plenissimâ omnium creaturarum cognitione, & etiam Dei, quantùm ex illis cognoscibilis est.

Accedit vtrique harum charitati, inesse conditionem quandam quæ

excedat naturam cuiuslibet puræ creaturæ; puta quòd sit dilectio Dei vt suimetipsius. Cùm enim amor etiam vltimi finis & purissimus, oriatur ex eo quòd objectum sit cõforme nostro appetitui seu iudicio nostro; neque possit aliter euenire aut fieri amor; cùm voluntatis objectum, super objectum intellectus, quod comprehendit omnes qualitates rei, addat respectum ad voluntatem conformitatis, & in eo consistat quod sit volibile: in Christo conuenientia hæc non est vnius ad alterum, sed eiusdem ad semetipsum; quod necesse est amorem faciat longè ardentiorem.

Cùmque voluntas vt voluntas sit appetitus non cuiuslibet partis, sed totius suppositi; fit amorem Dei in Christo fuisse naturalem, siue secundùm primam & intimam propensionem ipsius voluntatis humanæ: vnde non potuit non totis viribus amare Deum; neque poterat ex spirituali naturâ esse aliqua repugnantia vel impedimentum tali amori.

Cùmque etiam hoc euidens sit ex

dictis, corpus Christi immediatè è manibus diuinis exiluisse, sine adiutorio creaturæ alicuius; pariter perspicuum est, fuisse metaphysicè aptissimum animæ ipsius; &, quod sequitur, nullam inordinationem ex corporis contactu in animam Christi potuisse promanare. Nulla proinde suspicio esse potest de contractione peccati originalis; quod consistit in habituali detorsione ab vltimo fine.

Nulla quoque difficultas esse potest, quin in Christo Domino fuerint omnes virtutes morales, vel formaliter, vel eminenter. Cùm enim tanta sapientia & tanta charitas fuerit in animâ Christi, quanta in nullo prætereà homine, & ex parte corporis cuncta facta ad obedientiam animæ; palam est operationes ipsius processisse ex constanti principio, quod ex rationis regulâ agere natum erat; quod est certè eminenter habere virtutes morales.

At postquam per frequentationem actuum, & animus roboratus magis est, & corpus assuefactum, & quasi

induratum ad tales operationes ſecundùm præſcriptum rationis exequendas; palam eſt, neque rationem habitus in mente, neque in corporeis virtutum inſtrumenta deeſſe potuiſſe; ac per conſequens, virtutes morales etiam formaliter in Chriſto fuiſſe.

Petes, qualiſnam fuerit conſtitutio corporis Chriſti? Reſpondetur, quòd cùm anima ſit eſſentialiter potentia ad ſcientiam; & anima Chriſti inter animas prima; & corpus aptiſſimum animæ; ex conſequenti aptiſſimum ſcientiæ fuit. Scientia autem ex ſenſibus pẽdet; & hi ex tactu; & tactus in moderatione ſeu refractione primarum qualitatum, maximè in neruis & ſpiritibus animalibus conſiſtit; & hi à cerebro ortum habent: neceſſe itaque fuit, cerebrum liquidiſſimum & placidiſſimum Chriſto fuiſſe; & cætera membra, præſertim viſcera, huic accommodata.

Attamen fides in Chriſto nequaquam fuit. Cùm enim duo ſint fidei objecta, Deus, & Dei opera; Dei viſionem claram poſſidebat; creato-

rum verò demonſtrationem non poterat non habere, propter plenitudinem ſcientiæ ſuæ. Cùmque de ratione fidei ſit obſcuritas & viſioni & demonſtrationi oppoſita; clarum eſt Chriſtum de neutro objecto fidem habuiſſe.

Dices, motiua fidei validiora ad perſuadendum eſſe, quàm ſit demonſtratio; quare nihil obſtat in Chriſto eſſe fidem, quantumuis fuerit demonſtratio à poſteriori. Adijce etiam reſpectu Dei, eſſe demonſtrationem à poſteriori in Chriſto non obſtante viſione, & efficere in Chriſto charitatem viæ, nihil obſtante viſione.

Reſpondetur, obſcuritatem fidei, quâ opponitur demonſtrationi, ſitam eſſe in eò, quòd non appareat obiectum, ſeu non oſtendat ſeſe in accidentibus naturalibus, ſed in cognitione alienâ. Vnde euidens eſt, neque hanc obſcuritatem, neque adeò fidem poſſe eſſe in eo, qui habet demonſtrationem à poſteriori: hoc tamen nõ impedit à motiuo fidei confirmationem animi accipi; ſicut non obſtante viſione, demonſtratio à po-

ſteriori confirmat Chriſtum, & facit in eo charitatem viæ præuiam ad charitatem patriæ.

Quod autem in argumento dicitur; motiuum fidei eſſe validius motiuo demonſtrationis; videtur fundari in eo quòd verbum Dei ſit motiuum fidei: & ſi verbum Dei internum eſſet obiectum fidei, non poſſet dubitari. Si autem accipiatur de verbo externo Dei, cùm reuelatio per opera ſit à Deo & Dei vox, æquè atque reuelatio per voces, non eſt omnimodis verum: quamuis ex eo quòd voces magis immediatè, & per pauciores conſequentias pertingunt ad obiectum creditum, habet ſuam veritatem; ſed differentia non eſt multum conſiderabilis, præſertim in Chriſto.

Conſequenter aſſerendum in Chriſto non fuiſſe ſpem; neque de principali obiecto, puta viſione Dei, quam actu poſſidebat; neque de alijs obiectis creatis, verbi gratia, de gloriâ corporis: ſpes enim non eſt ſpes niſi cum dubietate & timore ſit commixta. In Chriſto autem erat ple-

na certitudo de omnibus bonis quæ postea habiturus erat; & per consequens, nullus spei locus.

Quamuis autem charitas & cæteræ virtutes, quæ in Christo sunt secundùm speciales gradus & eminentias, (quas non est dubium in Christo fuisse) faciant cæteros homines facilè mobiles à Spiritu Sancto, & eatenus dicuntur dona Spiritus Sancti; tamen neque hunc effectum, neque nomen in Christo habent; cum Personæ sit agere; & Persona Christi neque accipit agere à Spiritu Sancto (cùm non procedat ab eo) neque potest vti Spiritu Sancto quasi medio inter sese & humanitatem, vt per ipsum regat Christum; cùm regi & moueri sit Personæ, æquè atque agere.

Si tamen nomine Spiritus Sancti intelligatur Pater, sic non malè intelligitur moueri á Spiritu Sácto. Quomodo videtur explicandum quòd Spiritus Sanctus visus est in columbæ specie descendere super Christum; vt scilicet columba significet virtutes Christi, quæ de cælo, id est, à Patre in Christo sunt. Neque officit

quòd creaturæ poſſint Chriſtum mouere; earum enim actiones ſunt inſtrumentales; neque ſignificantur quaſi cum authoritate: & propterea neque tales poſſunt attribui Deo, & quæ attribuuntur Deo in alios, in Chriſtum non niſi Patri attribui natæ ſunt.

Eodem modo intelligendus eſt timor Domini eſſe in Chriſto, id eſt, Patris; non enim ad aliam Perſonam poteſt habere reſpectum quaſi inferioris. Timor enim dicit reuerentiam ſeu æſtimationem poteſtatis in ſemetipſum. Quod autem ſpecialiter dicitur repletus Spiritu timoris, ſignificat cætera dona eiuſmodi eſſe, vt in certis operationibus adhiberi nati ſint; timorem autem ad omnia opera pertinere, & totam vitæ œconomiam replere.

LECTIO X.

De ſanctitate ſeu impeccabilitate Chriſti.

EX dictis facilè colligitur, Chriſtum ſecundùm humanitatem Sanctum fuiſſe; & quidem in eminentiſſimo gradu. Cùm enim ſanctitas nominet confirmationem in operationibus, quæ ſecundùm regulam charitatis, ſeu rationis ad æterna motiua attendentis fiunt; eam habet Chriſtus in tantâ menſurâ, vt non ſolùm ſit ſimpliciter impeccabilis, ſed etiam ſemper ex neceſſitate agat quod optimum eſt, tum formaliter tum materialiter; & hoc ex pluribus capitibus & principijs.

In primis enim plenitudo ſcientiæ, quando non ſolum eſt pura ab errore, ſed etiam proportionatæ intenſionis ſecundùm merita obiectorum; tribuit non ſolum ſcire quid in ſingulis occurrentijs ſit agendum, ſed etiam illud actu agere: cùm quòd

non actu agatur, ab eo qui scit quod agendum est, procedat ex eo quòd scientia ipsius sit improportionatè menti indita. Quare ex hoc capite Christus non habet solùm rectè agere formaliter, sed etiam materialiter, vt quod verè optimum est semper agat.

Rursus ex præexistentiâ illâ virtuali animæ ante corpus, accipit anima talem eminentiam supra corpus, vt violentia corporis comparata ad fortitudinem animæ, sit quasi nullius roboris. Vnde fit vt si anima semel in veritate & rectitudine circa vltimum finem sit constituta, non possit tota passionum & phantasiæ turba eam facere deuiare. Cùm itaque Christus acceperit à Deo rectitudinem animæ in ipsâ creatione; consequens est, non potuisse eum in totâ vitâ suâ ab illâ deuiare & deflecti.

Sed & charitatis illud priuilegium, quòd sit erga Deum vt semetipsum, securos nos facit, peccatum non posse cadere in Christum; cùm non possit cadere in humanam naturam, vt verè intendat malum sibi: (vnde ipsimet qui sese interimunt, appre-

hendunt carentiam mali esse bonum sibi, & ex charitate erga semetipsos operantur) necesse fuit itaque Christum ex hoc principio, nihil posse agere, nisi quod Deo bonum existimaret; hoc est ex charitate; cum quâ non consistit peccatum.

Beatifica deinde visio, ex eo quòd sit summi boni possessio, saturantis videlicet, & totum hominem totaliter rapientis; necessitat etiam ipsa hominem beatum ad nihil agendum quod appareat quocumque modo oppositum beatitudini, & obiecto beatificanti. Quare etiam ex hoc capite in Christo Domino ponenda est addictio ad illud, quod videtur maximè conforme Deo beatificanti, & beatitudini ipsi, id est, quod est maximè secundùm regulam charitatis.

Tandem ex eo quòd humanitas existit existentiâ diuinâ, necesse est deitatem habere eam rationem ad actiones cæterorum hominum. Sed existentia est tota virtus entis in quo est, & à quâ accipitur ratio effectus, & tantummodo quasi limitatur ab essentiâ: sic itaque in Christi actio-

nibus necesse est spectare Deitatem tanquam ipsam virtutem agendi; & per consequens patet singulas actiones esse adeò perfectas, quàm ratio naturæ humanæ patitur; hoc est, circa optimum tam formaliter, quàm materialiter.

Ex his clarum est, sanctitatem non consistere in formali participatione alicuius entitatis quæ sit forma aliqua, sed in quâdem necessitate seu in impedibilitate ad operandum. Vnde qui volunt Christum Dominum formaliter sanctificari secundùm humanitatem ab ipsâ delibutione & quasi effusione deitatis, conuincuntur nunquam examinauisse in quo consistat ratio sanctitatis.

Præterquam quod non sit intelligibile, quem alium effectum possit diuinitas tribuere humanitati, quàm vt faciat eam Deum seu aliquid Dei; id est, faciat eam vnam cum Deo. Vnde conari inuenire sanctitatem ex copulâ diuinitatis in humanitate quasi condistinctâ contra Deum vel diuinitatem, est huiusmodi; atque si quis conetur asserere parietem albedine

dine esse album exclusâ albedine; quod est eodem Spiritu vtramque partem contradictionis asserere.

Grauiùs adhuc est hanc sanctitatem non diuinitati, sed relationi Verbi attribuere, appellando sanctitatem relatiuam. Præterquam enim quòd superioris sententiæ crimina participat, viam præterea facit, ad omnia prædicata Dei absoluta, additâ hâc voce *relatiua*, approprianda Personis; & multiplicandi, verbi gratia, æternitatem, omnipotentiam, & quæ à cæteris non differt nisi quòd sit earum collectio, deitatem. Vnde habebimus statim plures Deos relatiuos.

Sed neque sanctitas potest vnioni (vt loquuntur) hypostaticæ attribui, & per eam humanitati, etsi in formâ consisteret, & talis vnio distincta foret entitas à compartibus; cùm secundùm hæc asserentium principia, non vnio albedinis faciat parietem album, sed albedo; neque vnio animæ sed anima constituat animal. Denique formalis effectus non est nisi ipsa forma exhibita.

Obijcies, humanitatem Christi, præter hoc quod est existere Deum, accipere esse humanitatem, vel facere Christum hominem ab existentiâ diuinâ. Cur itaque non poterit aliud prædicatum communicare effectum limitatum humanitati, & diuersum ab eo quod est facere Deum? vt sic humanitas possit esse sancta sanctitate limitatâ, vel illimitatâ, modo diuersa ab eâ quâ formaliter Deus est sanctus?

Respondetur assumi falsum: existentia enim diuina non facit humanitatem existere; & si faceret, faceret eam esse Personam distinctam à Personâ verbi; sicut facit Patrem & Spiritum Sanctum Personas distinctas; non enim aliud est persona, quàm natura rationalis in indiuiduo existens. Non facit itaque humanitatem aliter esse, quàm esse Deum, vel aliquid Dei; quo modo & cætera attributa ei communicat, vel magis illam illis; cùm illa sint Deus & immutabilia, ipsa, creatura & mutabilis.

Petes num à loco intrinseco repug-

net ex vi vnionis hypoſtaticæ Chriſtum eſſe peccatorem? Reſpondetur quòd cùm repugnantia à loco intrinſeco non poſſit in præſenti quæſtione aliud ſignificare, quàm formaliter, ſeu immediatè, ſeu non per accidens etſi neceſſariò fluens; dicendum eſt vnionem hypoſtaticam non repugnare peccato per locum intrinſecum: Deus enim formaliter ad ſubſtantiam pertinet, peccatum ad operationem; quæ cùm ſit vt à ſubſtantiâ, patet repugnantiam ex neceſſitate eſſe mediatam; & per oppoſitam actionem, puta charitatem. Vnde neque ſi per impoſſibile Chriſtus poneretur peccare, ſolueretur vnio ex loco intrinſeco, ſed conſequenter.
Vnde patet quæ obijciuntur, pleraque non attingere quæſtionem; vtpote quæ vrgent malam rerum gubernationem, & ſimilia: quæ cùm per plura media ſequantur, nihil faciunt contra veritatem aſſertam. Similiter quæ procedunt ex denominationibus communicatis, vt quòd Deus foret imprudens, peccator &c: clarum enim eſt, hæc dici ſecundùm

quid; ſicut quòd ſit mortalis, paſſibilis, trimeſtris. Item quòd Pater odiſſet Filium, quòd falſum foret, & plura huiuſmodi, quæ facile eſt congerere.

LECTIO XI.

De libertate Christi Domini.

VErumenimverò contra impeccabilitatem Chriſti explicatam afferri ſolet, quòd infringat libertatem ipſius; cùm propter hanc Chriſtus non poſſit non optimum facere. Reſpondetur libertatem non poſſe omnino conſiſtere, abſque eo quòd liber ſit determinatus ad aliquem finem, ex vi cuius eligat; quare non magis officit libertati vt Chriſtus ſit determinatus ad optimum agendum, quàm vt alius ſit determinatus ad communem rationem boni; cùm ſub vtrâque determinatione, maneat homo determinabilis ad hoc vt videat hoc eſſe optimum vel bonum; & in eo conſiſtit vis libertatis,

vt determinet ſeſe ad hoc: quo viſo ſi manet indeterminatus, talis indeterminatio non eſt libertas, ſed contingentia & defectus libertatis, & infirmitas quâ poſſit contra ſuam inclinationem agi.

Premitur fortius hic articulus, obijciendo Chriſtum ex obedientiâ & vi mandati opera ſua feciſſe; maximè mortem obijſſe; quod operum ipſius eſt maximum. Quare cùm quod mandatur, ex vi ipſius mandati cognoſcatur (non enim habet vim mandati, donec ſit intimatum) cùmque Chriſto impoſſibile fuerit eſſe inobedientem, ex neceſſitate, & non liberè opera ſua patrauit.

Reſpondetur, hanc difficultatem ſupponere factum fuiſſe mandatum aliquod à Deo Chriſto vt homini, & non in qualitate Filij naturalis; quod eſt diſtinguere perſonam hominis à Perſonâ Dei. Cùm enim allocutio ſit reſpectu perſonæ, non poteſt intelligi aliqua allocutio facta à Deo Chriſto vt homini, abſque eo quod Perſona ſecunda alloquatur humanitatem; quod eſt dare illi qualitatem Perſonæ.

Prætereà, non conuenit Christo etiam vt homini, accipere mandatum à Deo, in rigore dictum, prout inter homines intercedit: cùm mandatum non detur nisi vel ad manifestandum incognitum, vel ad flectendam voluntatem non promptam; vnde dicitur quod *Lex non est posita iusto*: Sed Christus & plenitudinem scientiæ habebat, quâ quid foret agendum sciret, & voluntatem ad optimum faciendum determinatam: non itaque conueniens erat ei mandatum ponere.

Rursus ex parte Dei inconueniens erat ponere mandata Christo: Tum quia Deus non habet voluntatem, cuius impletio pendeat ab alio, quod est imperfectionis: Tum quia non est dignum Deo obligare creaturam ad quicquam operandum, nisi ex naturâ ipsius, id est, quia ipsi bonum est: Nisi fortè creatura non est capax intelligendi, vel conformandi se bono suo; & propterea indiget sic gubernari.

Est itaque mãdatum respectu Christi nomen personale, (quale est mis-

sio) & includit processionem Filij à Patre, & scientiam creatam Christi, prout à dictâ processione pendet; & vt dependens ab ipsâ habet vim gubernandi Christum in quantum est homo. Et sic patet reuerâ nullam esse maiorem difficultatem de libertate Christi ratione mandati, quàm sine ipso; tota enim determinatio Christi non est nisi ad faciendum optimum; sicut sine mandato; cum ipsum mandatum non sit nisi declaratio quid foret optimum: & hæc declaratio non aliud, quàm discursus, vel alius sciendi modus, quo innotescit Christo quid sit optimum, hoc est, non aliud quàm ipsa determinatio Christi ad hoc agendum.

Ex his patet, non esse necessum recurrere ad hoc vt substantia mortis imperata sit absque circunstantijs; Tum quia falsum est, singulæ enim circunstantiæ includuntur in mandato æquè atque ipsa mors. Tum quia non soluitur difficultas; mors enim secundum substantiam non erit obita liberè, sed tantummodo materialiter, vel secundum accidens; quod

respectu naturæ intelligentis, quæ distinguit rationes, est Christum non esse mortuum liberè.

Minùs recurrendùm est ad hoc vt Christus potuerit recusare mandatum. In primis enim hoc & Deo indignum est, vt sic proponat mandata; & Christo vt etiam sic propositum non statim acceptet. Et prætereà loco huius vt ostendat libertatem consistere cum mandato, ponit mandatum non esse; dum enim mandatum non obligat nondum est, & donec potest non obligare pro tempore impletionis non obligat. Et quando impletur in hâc explicatione ex necessitate impletur, saltem præsenti; prior enim saltem naturâ est acceptatio mandati quàm impletio. Præterea tam absurdum est Christum posse non acceptare mandatum, quàm posse non obedire; & eadem prorsus difficultas.

Sed neque saluatur libertas, ex eo quòd humanitas liberè acceptauerit mandatum mortis. Cùm enim in primo instanti sui esse, corpus habuerit mortale; & quidem prauiè ad primum

num actum, qui sequitur constitutionem substantiæ; clarum est mortem ei determinatam fuisse à dante corpus; & non ipsius voluntati permissam. Sed & in hâc sententiâ omnes actiones Christi ex necessitate præsenti, & libertate præterita, putante acceptationem, ponendæ sunt fieri; qualis foret libertas illius qui non posset exire ex puteo, in quem sese liberè coniecisset.

Obiicies voces Christi ad Petrum, quibus docet se posse rogare patrem; & patrem in eo casu eum saluaturum. Respondetur ex occasione verborum illorum, satis constare sensum esse, tantam esse sui dignitatem, vt leue esset imperare legionibus Angelorum, si conueniret. Vnde illud *posse*, non pertinet ad potentiam libertatis, sed ad potentiam naturæ.

Petes, saltem in casu mandati talis per impossibile, an Christus foret liber? Respondetur primò, liberum futurum à coactione, seu seruitute, cùm necessitas hæc adueniat ipsi ex principijs internis & naturalibus; & hoc satis esse, vt dicatur ipse po-

nere animam suam, & eam non auferri ab eo; & modum quidem esse nobiliorem quàm libertatis: sicut intentio finis, etsi necessaria, est nobilior quàm electio mediorum.

Respondetur aliter, quòd quoniam facere bonum est naturale objectum voluntatis humanæ; & Christus mandatum à Deo faciebat, quia bonum erat, seu per determinationem sui ad obediendum mandato ex principio priùs habito; per consequens liberè implebat mandatum Dei; sicut facere mandatum acceptabat liberè. Quod enim à liberè resoluto pendet dum agitur, liberè etiam ipsum fit.

Et hoc fortassis est, quod alij dixerunt, qui Christi libertatem explicuerunt in eo consistere, quod in sensu diuiso poterat contrarium facere; puta antequàm intelligatur esse determinatus ad hoc, vt quod Deus mandauit, faciendum iudicaret; non tempore, sed naturâ. Item quod alij dixerunt, libertatem Christi consistere in eo, quod vnio ad diuinitatem non mutauerit naturalem

operandi modum: licet hic modus loquendi videatur potiùs innuere Christum duntaxat ex æternâ Dei prouidentiâ, & non ab intrinseco fuisse impeccabilem.

LECTIO XII.

De speciali qualitate Actionum Christi Domini.

EX supra dictis deducimur ad hoc, quòd omnes Christi operationes fuerint theandricæ seu theurgicæ, hoc est, tales, vt in qualibet minimâ earum, reluceret Deum vt Deum esse authorem talis actionis; etsi non solum, sed simul etiam hominem; adeò vt qui comprehenderet minimam actionem Christi, posset ex eâ demonstratiuè colligere ipsum fuisse Deum; seu Deum cum eo esse.

Cùm enim Christus non habeat aliam existentiam quàm diuinam; & tota virtus actionis ex necessitate debeat ab existentiâ nasci; & effectus magis assimilari potiori causæ; pa-

lum est, quamlibet actionem Christi, ei qui penitus introſpicere valeret, magis oſtendere ipſum eſſe Deum, quam eſſe hominem; etiamſi tota externâ facies actionis appareret quaſi hominis. Ergo ſi Chriſtus comedebat, non ſicut nos paulò plus vel minus, ſed mathematicè quantùm conducebat accipiebat. Si ambulabat, paſſum non temerè, ſed mathematicè vbi congruebat collocabat; quæ homo purus non poteſt.

Dices: etiamſi verum ſit purum hominem non poſſe ſic mathematicé ſuas actiones regere, poſſet tamen homo ab Angelo directus. Non ergo ex hoc patebat eſſe Deum; ſed à mente aliquâ abſtractâ gubernari. Vel ſi addas, hoc etiam poſſe demonſtrari, non ab intelligentiâ profectam eſſe actionem, ſiue aſſiſtente hypoſtaticè vnà cum homine; ſaltem per accidens, & non ex ſpeciali qualitate actionis, in qua reluceat proprietas Dei, hoc conuincetur: cùm tamen argumentum videatur plus poſtulare.

Respondetur, concedendo in explicatis nihil esse, ex quo proprietas Dei per se elucescebat; sed in ipsis operationibus quendam modum fuisse, quem creaturæ non possint imitari; videlicet quòd cùm intelligentia non nisi applicando actiua passiuis, mediante rarefactione, effectus naturales faciant, Christo sufficiebat dicere, aut velle; & causæ secundæ immediatè obediebant, & faciebant quod iubebat; verbi gratia, dæmonium exibat, ventus conticescebat, mare desidebat; non ex aliâ causâ, quàm quia voluntas ipsius erat voluntas Dei. Sic itaque etiam in actionibus supra adductis, cùm procederent ex phantasmatum motu, qui aliquo modo ab animâ dependebat; si ex directione Angeli procederent, comprehendens actionem, modum aliquem proprium Angelicæ motioni in ijs deprehenderet; & per consequens, quoniam à solo Deo, etiam aliquis modus Deo proprius in ijs relucebat.

Dices, Deum non operari quicquam immediatè, nisi solam existen-

tiam vel substantiam. Cùm itaque voluntas, vel verba Christi, ex sese non contingant, neque vim habeant in creaturas, non poterunt effectus sequi; sequerentur enim ex jmmediatâ operatione Dei, quod est impossibile.

Respondetur, quòd Deus non agat immediatè nisi existentiam, non esse ex defectu potentiæ, seu virtutis actiuæ, (cùm sit plenitudo entis) sed ex defectu determinationis, & ex remotione seu dissimilitudine ad rem faciendam: ex coniunctione verò cum humanitate, fit Deum esse similem cuicumque homo est similis; & determinatum ad omnia ad quæ homo est determinatus, & propterea ad quemcumque effectum applicatur ex vi humanitatis, eum potest efficere.

Dices, humanitatem, cùm non habeat actionem supra creaturam, non posse applicare diuinam virtutem ad ipsam. Respondetur, euidens esse effectum qui procedit à Deo, ideo esse, quia voluntas Dei est vt sit; per hoc itaque præcisè quòd voluntas huma-

ra Christi sit vt effectus sit, fit vt sit etiam voluntas Dei: & sic manet voluntas Dei applicata. Sed quia homines suam voluntatem applicant ad alia mediantibus vocibus, etiam per eas, cùm opus esset, Christus poterat voluntatem diuinam applicare.

Ex his constat omnipotentiam simpliciter fuisse in Christo vt homine, sed non simpliciter; id est, potestatem quidem ad quidlibet faciendum; sed non tanquam foret causa principalis, sed duntaxat vt causa instrumentalis. Cùm enim in suâ potestate haberet applicare voluntatem diuinam; palam est nihil excessisse potestatem ipsius. Cùm tamen hoc faceret per applicationem naturæ, non suæ, patet non ex suâ vi, atque adeò tantùm instrumentaliter, omnipotentiam exercuisse.

Dices, Christum non habuisse permissionem à Deo quidlibet faciendi; ac proinde non potuisse applicare omnipotentiam nisi ad certos effectus; & per consequens, non habuisse simpliciter omnipotentiam. Respondetur, Christum non habuisse

aliam prohibitionem, quàm sapientiam sibi inditam; & per consequens, verum est, si Christus voluisset vel mandauisset creari nouum mundum, fuisse futurum. Defuit enim sola voluntas, non potestas.

Ex quo rursus euidenter concluditur, quòd Christus gratiarum gratis datarum plenitudinem habebat; sed neque gratis datam, sed connaturalem: vnde respectu ipsius non habebant rationem gratiæ; sed neque rationem gratiarum; vt quæ non inessent secundùm particulares rationes, secundùm quas reperiuntur in hominibus sanctis; sed secundùm vnam rationem communem omnipotentiæ.

Hinc infertur, non potuisse esse in Christo voluntatem absolutam cuiuscumque voliti, quæ non foret impleta. Nam neque sapientia permittebat eum absolutè velle, quod non erat congruum factu; neque potestas non fieri, quod absolute volebat. Si autem hoc circa cætera sic sese habebat, maximè certè circa proprium corpus. Corpus itaque ipsius erat

subditum ipsi simpliciter ad omnia, sed secundùm regulas sapientiæ, ad ea omnia quæ fieri conueniebant.

Ad quæ sequitur, neque intemperiem aëris, neque violentiam externam, siue hominum siue aliarum creaturarum, vim vllam habuisse contra Christum; non solùm quia ex plenitudine sapientiæ ea omnia poterat præuenire; sed etiam quia vel ipsis creaturis poterat mandare, ne quid facerent in corpus suum; & ipsi corpori mandare, ne quid ab eis pateretur; sed vel resisteret, vel sese penitùs sine noxâ præstaret.

Rursus patet voluntatem quâ rogauit Patrem vt passionem transferret, & si quæ similes in Christo fuerunt, non fuisse absolutas, sed conditionatas; vt ipsa verba declarant: similiter motus appetitus sensitiui fuisse & præuisos, & permissos; & quod sequitur, nullatenus inuoluntarios; neque propriè passiones; cùm non fuerint coacti, sed magis actiones ipsius Christi.

Petes, abstrahendo à copulatione diuinitatis ad humanitatẽ ex præcisis,

creatis dotibus humanitatis, num Christus potuerit impedire hos motus appetitus sensitiui? Respondetur quòd cùm anima Christi coniuncta sit corpori ad scientiam acquirendam, verè pars fuit humanitatis; & per consequens, non habuit virtutem imperandi toti, sed tantùm adiuuandi totum, velut pars principalis; neque poterat impedire corpora alia in suum agere; nisi sicut cæteri homines, quantumuis in gradu excellentiori.

Hinc fit, non potuisse impedire motum phantasiæ, nisi opponendo phantasmata phantasmatibus, & spiritus spiritibus; quos propter naturæ excellentiam & longam assuetudinem habebat copiosè subseruientes rationi, vt nunquam deessent. Sed & plenitudo scientiæ faciebat vt si vellet, omnes omnino spiritus applicare potuisset; atque adeò vim aduersam prorsus eneruare. Ex eâdem fiebat vt nulla concussio iudicij, neque obliuio, aut erroris species ei subrepere posset. Adde, quòd cùm appetitus non posset præuenire ratio-

nem, motus eius ex ſeſe non niſi à ratione præueniente proueniebant.

Et hoc modo rem peractam eſſe, patet ex ſtupendâ agoniâ & ſudore ſanguineo; qui arguit tantam ſpirituum animalium copiam exudauiſſe, præ tantâ compreſſione & accenſione ſpirituum, vt ijs deficientibus, ſucceſſerint ſpiritus vitales, & ipſi exudauerint quoque; & cùm ad frigus nocturnum concreſcerent, in ſanguinem, non priùs ſatis immutati, redijerint. Ex quo patet multitudine ſpirituum rem geſtam eſſe, & non virtute omnipotentiæ.

Hinc quoque neceſſe fuit, vt Angelus confortaret eum; ſcilicet cùm ſpiritus ei deficerent; neque poſſet anima alligata corpori, adeo breui ſpatio, quod ad paſſionem & effuſionem ſanguinis reſtabat, reparare hoc deliquium; Angelico miniſterio, ſicut olim ad ſuggerendos panes, ſic nunc ad ſpiritus ex circumſtante aëre progignendos, Chriſto opus erat; vt conuenienter ad humanæ infirmitatis leges, totum Paſſionis myſterium adminiſtraretur.

His nihil vetantibus, non fuit aliqua voluntas in Christo alij voluntati contraria: & per consequens, nulla pugna voluntatum, puta spiritualium quæ consequūtur iudicium: patet enim vim spiritalem quæ in verbis discernitur nunquam perductam fuisse ad volitionem absolutam non moriendi, sed tantummodo ad conditionatā, vt clarum est ex ijs vocibus *si possibile est, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*; per *meam*, significantibus animam sensitiuam.

Ex quo rursus clarum est, nullam esse difficultatem quomodo tristitia & fruitio beatifica potuerint simul consistere; cùm subiecta habuerint æquè diuersa, ac sunt duæ partes continui, quarum vna potest esse alba & frigida, altera nigra & calida. Sic itaque fruitio in animâ spirituali erat, quæ doloris non erat capax; tristitia in appetitu sensitiuo, in quo non erat gaudium.

Denique omnibus consideratis, patet Christum neque à suâ carne tentatum esse; quandoquidem ex propriâ dispositione caro in Christo sese ra-

tioni subiiciebat; & si quid contra di-
ctamen animæ materialiter videba-
tur facere, totum illud non ex suâ
propensione, sicut in nobis; sed ab
externarum causarum violentiâ erat;
vel ex imperio spiritalis animæ (no-
stri exempli & doctrinæ causâ) spiri-
tus sic agitante; sicut cum aqua ca-
lefit, vel ipsa caro Christi vulnerata
effundebat sanguinem. Nulla itaque
inter carnem & carnem pugna erat.

Dices in horto nullam fuisse cau-
sam externam quæ posset impellere
carnem Christi: quare necesse est ab
ipsâ carnis infirmitate processisse
hanc pugnam. Respondetur, nullam
quidem fuisse causam quæ imme-
diatè carnem secundùm sensum affli-
geret; sed propinquitatem passionis
fuisse, quæ per phantasiam ageret in
carnem, & eam commoueret quasi
obiectum præsens. Neque refert ad
hoc vt sit ab extrinseco, vt agat palam
in sensum, an latenter.

Quibus saluis, patet hoc certamen
fuisse maximum, non solùm quod vn-
quam fuit inter carnem & rationem,
verùm etiam quod esse possit confor-

miter ad leges humanæ naturæ. Cùm enim quò magis ſenſitiuus eſt homo, tantò ſit doloris capacior; Chriſtus autem hominum poſſibilium maximè ſenſitiuus fuerit; ſequitur obiecta pœnalia & viuiſſimè fuiſſe propoſita, & ſenſibiliſſimè fuiſſe in animam Chriſti ſenſitiuam impreſſa. Quare ex parte ſubiecti non potuiſſe eſſe maiorem pœnæ capacitatem.

Sed & ex parte obiecti, quæ maximè affligunt hominem intelligentem, ſunt pœnæ, quæ copiam ſpirituum congregant, & ſic ſunt grauiores ijs quàm alijs; & mors quæ omnia vitæ amabilia vno ictu truncat. Ex parte verò animæ (quoniam ſapientia & virtus lædi non poſſunt) ſunt honor qui ſequitur intelligentiam, & amicitia quæ comitatur virtutem; quæ læſa maximè affligunt hominem.

Sed in Chriſto pœnæ capiti, manibus, & pedibus, & vniuerſo corpori, quà ſenſu tactûs præditum eſt, ingeminatæ ſunt, quæ ſenſum affligerent: Irriſio, contemptus, improperia priuatim & publicè, ab omni genere

hominum, Iudæis, Gentilibus, Sacerdotibus, Principibus, militibus, vilissimo popello, priuatis, vniuerso simul populo congesta sunt. Amicorum, qui tradebat, qui negabat, qui fugiebat: cæteri afflicti & dolore transfixi sunt.

Quare cùm amor virtutis & sapientiæ fuerit incomparabiliter in Christo maior quàm in quolibet alio homine possibilis sit, pœnarum quoque susceptibilitas & actiuitas extra proportionem. Si quis prætereà affectus erga temporalia, vel etiam erga proprium corpus & vitam rationabiliter habetur, eodem modo maximi erant; fit impugnationem Christi fuisse eam, cui in genere humano nihil simile aut secundum possit contingere.

Vnde consequenter habetur, Charitatem quam Christus habuit in fine vitæ, non solùm secundùm speciem, verum etiam secundùm gradum fuisse maximam, quæ in genere humano possit haberi. Cùm enim anima sit forma corporis; & charitas dispositio animæ; non potest reperiri gra-

dus charitatis, cui non correspondeat aliqua dispositio corporis. Cùm itaque hoc certamen seu victoria Christi fuerit summa quæ humanæ naturæ competere potest, etiam charitas ad eam requisita maxima fuerit.

Similiter necesse est subjectionem corporis Christi, id est, virtutes morales Christi, tempore obitûs, maximas fuisse, quæ in humanâ naturâ reperiri natæ sint: cùm maxima impugnatio quæ à naturâ fieri potuit, nullam impressionem in animam spiritualem facere potuerit, sed ipsa contra suffecerit ijs reijciendis. Quare Christus consummauit quæ ad Personam suam spectabant.

Habetur etiam, quòd etiamsi humana anima secundùm genus suum sit inferior Angelis; & per consequens, charitas humana secundùm eam disparitatem subjecti, non possit æquare charitatem Angelicam; quia tamen charitas Christi eam superat in eâ conditione, quòd sit amor Dei vt suimet; & hæc conditio sit voluntatis, prout addit super intellectum, & per consequens, formalior quàm illa,

illa, quâ Angeli ſuperant homines; charitas Chriſti eſt ſimpliciter maxima charitatum poſſibilium.

Quare concluditur humanitatem Chriſti, quantùm creatura poteſt dici digna Deo, fuiſſe maximè idoneam quæ ſuſciperetur ab ipſo; & conſequenter creaturarum digniſſimam & nobiliſſimam; & officio ſuo, videlicet ad regendùm mundum ſub diuinitate, & reparandam naturam humanam, talem, vt nihil in eo deſiderari, nihil ſuperaddi natum ſit. Cęteras verò quorumcumque Sanctorum naturas, tam longè inferiores & remotas ab ipſius humanitate eſſe, vt nullo modo ad ſuſceptionem diuinitatis idoneæ reputari aut comparari valeant.



IN
S

L

Q



perfe
tia c



INSTITVTIONVM SACRARVM

PERIPATETICIS inædificatarum.

LIBER QVARTVS.

De admirando legis gratiæ sacrificio.

LECTIO I.

Quòd vnicum, & quodnam, sit legis gratiæ sacrificium.

HViusmodi cùm fuerit Deus homo, & ad hoc missus, vt naturam humanam repararet; nihil dubium quin id perfecerit: nam neque tanta sapientia quomodo patrandum foret igno-

rare; neque tanta potentia in operando deficere; neque tanta mentis rectitudo non voluisse, vllo modo credi potest. Sciuit itaque, & potuit: potuit, & voluit. Quare nihil ambigendum, quin, vt oportuit fieri, peregerit.

Reparatio autem humanæ naturæ nulla est, nisi, sicut in statu innocentiæ, ex vi status, peccatum erat in paucioribus, plerique verò ad finem, ad quem facti erant, peruenturi; sic multò major hominum pars ad beatitudinem sit per Christi reparationem peruentura. Quòd cum in vna hominum ætate, quantumuis omnes salui forent, effici non possit; necesse est, ad reparationem humanæ naturæ, vt hæc fælicitas per plura sæcula sit duratura.

Cùm itaque mortalia, non nisi suffectis nouis indiuiduis, plura sæcula occupent; neque successionem sine vi quâdam seminariâ reperiant; consequens est, talem à Christo Domino naturæ nostræ inditam esse, in ordine ad bonam vitam, per quam ad beatitudinem peruenitur. Bonam

autem vitam ciuilem legum præscriptis, & præfectorum legum obseruationi vigilantiâ perpetuari experimur.

Hoc igitur in operibus diuinis cùm cernamus inuiolatum, vt secundùm rerum naturas omnia administrētur, vt quæ propter semetipsarum, & non propter Dei indigentiam creata sunt; sit & leges, & præfectos legum, Christianæ vitæ necessarios esse, atque adeo existere. Et cùm præsides homines non nisi ad externa aduigilare nati sint, necessum quoque est corporalia & externa opera præcepta esse, per quorum curam spiritus recto Christianæ vitæ tramite dirigantur.

Hæc, quatenus eiusmodi sunt, quæ indifferenter omnium saluti sunt necessaria, vt communiter quoque obseruentur, ab illo vno, cui omnes voluntates subjectæ esse debent, institui debebant. Sunt itaque à Christo instituta quædam exteriora opera, cuius effectus sint interiores, atque adeò Christianæ vitæ perfectio; quæ ab omnibus Christianis obseruari de-

beant publicitùs; & prælati eorum obſeruationi inuigilare teneantur.

Quoniam verò totius Religionis, ſeu vitæ Chriſtianæ, & principium & terminus eſt Deus; palam eſt præcipuum & indiſpenſabile eiuſdem opus, eſſe agnoſcere Deum, atque adeò primam actionem publicam, naturæ reparatæ à Chriſto imperandam, eſſe publicam teſtificationem quòd Deus ſit eſſendi & omnis perfectionis author; quòd, conſuetâ loquendi inter homines formulâ, dicitur eſſe vitæ neciſque Dominum & authorem.

Hoc vt non volatilibus & fugacibus tantummodo verbis, ſed etiam ſpectabili ſolemnitate, & verè per fideles oculos animæ imprimatur; humano more, ſuppoſitione alienæ vitæ vice noſtræ ipſius, peragi ſolet. Inde ſacræ animalium cædes: ſacrum enim dicitur quod Deo appropriatum eſt; & quia quod occiſum eſt, non vltra eripi dominio Dei poterat, & ipſius ſolius poſtmodum poteſtati eſt ſubjectum, quod ſic occidebatur, fieri ſacrum; & actio, ſacrificium dicebatur.

Neque siue spectetur quid homo debeat, vel quid Deo conueniat, & quid summa sapientia instituere debeat, dubitari potest quodnam animal Deo sacrum fieri debeat: omnibus enim titulis venit summum, hoc est, ipse homo. Neque minùs dubitari potest, quin ipsæ primitiæ, & siquid eminet in nostro genere seponendum sit ad tale ministerium: atque adeò nihil esse ex sese optimum sacrificatu, præter ipsum Christum Dominum primogenitum totius creaturæ.

Rursus, si vtilitatem humanæ naturæ spectemus, & hostiam aliam quamlibet ad hanc comparemus, & hanc ipsam ad nostram; fit è vestigio perspicuum, admirationem, deuotionem, reuerentiam, humilitatem, & quæ aliæ virtutes sacrificio interuenire natæ sunt, tantò subliminùs eleuari ex contemplatione talis hostiæ, vt alia quælibet incomparabiliter præcedatur, & quasi mortua appareat, in comparatione ad tam dignum & sublime sacrificium.

Idem expectari etiam inde potest,

quòd cùm ſacrificium ſæpiùs repeti natum ſit, habiturus ſit populus Christianus Deum nobiliori modo præſentem, quàm olim fuit in Synagogâ ſuper arcâ propitiatorij, cui præſens præſenti preces, oblationes, ipſas ſuas miſerias repræſentet. Quod quantæ deuotionis & fames & eſca ſit, norunt qui vim phantaſiæ noſtræ ſuper animam, & præſentiæ obiecti ſuper phantaſiam attentè vel experti ſunt, vel contemplati.

Sed cùm ſacrificium hoc concomitantèr habeat vt ſacrificantes participes fiant, & comedant de ſacrificio, & quaſi de eâdem mensâ cum Deo; quos charitatis feruores non excitabunt? quas extaſes & liquefactiones animarum non prouocabunt hæc cogitata? Deum ipſum ſuâ nos carne paſcere, ſuo nos ſanguine potare, in ore, in pectore geſtari, coram adorari, ſpectari, tangi, miſerias noſtras non horrere, ad negligentias & peccata conniuere, & ſimilia; quæ aſſueti, cuius ſint efficaciæ, quotidie experiuntur.

Tandem cùm miniſtri qui Deum tractant,

tractant, & pro cælesti arbitrio dispensant, dantes & negantes quibus sic conuenit, ijdem sint qui etiam euangelica præcepta populo tradunt; quantam & in semetipsis sanctimoniam, & à populis reuerentiam inde colligere nati sunt? Quare cum reuerentia & æstimatio prædicatorum sit cardo credulitatis populi, & gubernationis animarum; palam est, vtilitatem Ecclesiæ inæstimabilem ex hoc capite oriri.

Harum itaque conditionum quamlibet si mente tuâ vni Ecclesiæ adijcias, alteri demas; & attentè sequelam morum & differentiam sanctitatis, quatenus ex tali capite proficisci nata est, consideres; non poteris non vnam viuam, alteram mortuam; vnam cælo lapsam, alteram nihil vltra humanam inuentionem sapientem æstimare: adeo singulæ conditiones necessariæ sunt, & nulla sine ingenti lacunâ deficere potest.

Cùm itaque totius diuinæ æconomiæ, ab vsque ipsâ conditurâ mundi ad consummationem sanctorum, cernamus regulam esse vtilitatem ge-

neris humani ; eamque præſertim quæ conſtituitur in formali præparatione animorum ad æternam beatitudinem ; nullus ſupereſt ambigendi locus, quin ſacrificium quo immoletur Deo in Eccleſiâ ipſe Chriſtus Dominus, ab ipſomet ſit inſtitutum; ipsâ eius vtilitate conuincente poſſibilitatem; poſtquam omnis poſſibilitas à bonitate Dei ortum habet.

Ex his patet, vnicum eſſe à Chriſto inſtitutum ſacrificium ; neque aliud Chriſtianæ legis poſſe à quoquam inſtitui. Cum enim hoc ſacrificium tale ſit, vt omnium poſſibilium ſacrificiorum virtutes & conditiones in ſeſe contineat ; ſed & ſacrificium ſit ex naturâ ſuâ præcipuus externus actus Chriſtianæ Religionis; palam eſt neque quenquam præter Chriſtum poſſe inſtituere ſacrificium legis Chriſtianæ ; neque aliud vllum eſſe neceſſarium; neque quicquam aliud dignum quod in ſacrificium aſſumatur.

LECTIO II.

In quo consistat & materialiter, & formaliter, ratio huius sacrificij.

EVidentissimum protinùs est, nihil indignius esse, quàm vt ea quæ in sacrificijs nata sunt fieri, Christo Domino nostro fiant in propriâ suâ specie. Cùm enim statutum sibi cursum consummauerit, & corpus suum subjecerit animæ perfectè, (quòd est viatorum pensum) reliquum est, vt secundùm ipsum corpus ad statum quietis deuenerit, neque ipsum corpus vlteriùs mutationi subjaceat. Nō itaque ei competere potest, sacrificari secundùm propriam speciem.

Et, si non repugnaret ex parte corporis Dominici, quandoquidem tamen ad honorem & admirationem eiusdem, & amorem super omnia erudimur, omnino foret contra intentionem vitæ & legis Christianæ, ea in ipsum exercere, quæ in nequissimos & vilissimos homines non abs-

que auersatione & horrore fieri conspicimus, & facientes odio habemus & execramur. Quæ tamen necesse foret fieri à sanctissimis viris, & spectari ab vniuerso populo, si Christus deberet in propriâ specie sacrificari.

Adde, quòd cùm ad sacrificij rationem consequatur participatio, id est, manducatio hostiæ vel reliquiarum; sit autem contra charitatem naturalem, & supremus impietatis & barbariei gradus, vesci humanis carnibus: nihilominùs, si Christus in propriâ specie sacrificaretur, etiam in propriâ specie manducandus foret; & loco pietatis, ad crudelitatẽ & extremam nequitiam in mensâ Dominicâ erudiremur.

Quoniam itaque Christus non in propriâ specie sit sacrificandus, attamen in specie manducabili, & eâ quidem toti humano generi gratâ & acceptabili: nihilque ex rebus vescis vel tam vniuersale sit, vel minùs repugnans dispositioni singularium hominum, quàm panis: esto in specie panis sacrificandus. Sed quo-

niam legitima manducatio non ex ſolo maſticabili, id eſt, calido & ſicco ſed etiam ex humido & frigido, id eſt, liquido conflatur; vt ex omnibus elementis quibus conſtamus etiam nutriamur; neque quicquam ſit quod in conſortium oblationis cum Chriſto venire mereatur: Ipſemet etiam ſub vini quoque formâ eſto ſacrificandus.

Sed hæc veſtitio Chriſti ſpeciebus alienis non poteſt per puram alterationem perfici: cùm ſic ſpoliaretur ſuis; neque remaneret perfectus homo; ſed, quantum ad facultatem operandi corporaliter, magis panis quàm homo; cùm operatio ſequatur qualitatem accidentium. Adde quòd (vt dictum eſt) violaretur in eo ſtatus quietis corporeæ, & termini, in quo iam collocatus eſt, ſi ſubiaceret mutationi ſuorum accidentium.

Eâdem operâ concluſum eſt, non fieri additionem ſolius quantitatis qualificatæ cæteris accidentibus, ad corpus Chriſti; ſic enim, ex eo quòd proportio quãtitatis ad corpus Chriſti foret major quàm priùs, ſequeretur corpus Chriſti eſſe rarefactum, id

eſt, alteratum. Præterea cùm cæteræ qualitates intrinſecè includant, & ſupponant certum gradum raritatis & denſitatis, totum corpus Chriſti à naturali ſuâ diſpoſitione foret remotum.

Conſequenter neque corpus Chriſti aſſumit ſibi materiam, quaſi per creationem, quæ non fuerit priùs, in quâ has ſpecies alienas ſibi induat. Cùm enim materia ex ſeſe ſit indiuiſibilis, ſimul creata eſt (quantum creari poteſt) & tota quantitati ſubjecta; vnde non poteſt aſſumi ad vnum corpus, niſi detrahatur ab alio. Adde quòd ſi foris deſumeretur, aut mundus ampliari deberet ad recipiendum augmentũ corporis Chriſti; vel alia corpora cõdenſari ad faciendum ipſi locum; quorum neutrum rerum naturæ accommodatum eſt.

Confectum itaque eſt, Chriſto indui has ſpecies ex conuerſione alicuius alterius corporis in corpus Chriſti, ex quâ conſequitur, corpus Chriſti habere virtutem ſuſtentandi ſimiles ſpecies, abſque vllâ mutatione earum qualitatum, quæ

eum ex naturæ humanæ ratione consequuntur. Cum enim non possit habere eas, absque eo quòd virtus alterius corporis in eum transeat, palam est, tale corpus neque ampliùs esse; cùm virtus ipsius sit substantia eius; neque interiisse, cùm ea virtus in Christo maneat. Palam igitur est, esse conuersum in corpus ipsius.

Rursus manifestum est, hanc conuersionem non esse formalem, per quam naturali modo vnum corpus transmutatur in aliud. Talis enim fit per hoc, quòd qualitates corporis mutati, mutãtur in qualitates corporis in quod fit cõuersio; hic autem è contra corpus in quod fit cõuersio, absq; iacturâ suarũ qualitatũ, coassumit sibi qualitates corporis in sese conuersi.

Liquet ad hæc, substantiam corporis conuersi non esse sub speciebus ijsdem cum corpore Christi: corpus enim conuersum non manet in suâ specie. Præterea easdem qualitates esse duorum corporum, prorsus inintelligibile est; cùm non sint nisi determinationes & fines substantiæ. Adde quòd ipsa præsentia seu locali-

tas consequitur quantitatis rationem; vnde absque eo quod eadē sit vtriusque quantitas, non potest vtrumque esse hîc. Tandem non vnum ens, sed vnum ex pluribus, id est, nullum, designaretur sensu & pronomine *hoc*. Præterquàm quòd quâ vnitate duo hæc corpora sint vnita, non est intelligibile.

His confectis non superest nisi vt indiuidua seu prima substantia corporis conuersi, siue panis, immediatè conuertatur in corpus Christi, manentibus accidentibus ijsdem: vndè fiet vt corpus Christi sit sub speciebus panis. Cùm enim hæc actio sit conuersio, & non accidentalis, quia accidentia manent; neque partialis seu formalis, cùm materia non appropritur alteri formæ, quod fit per mutationem accidentium, & per consequens non separentur materia & forma: non restat nisi vt vtraque simul conuertatur indiuisibiliter in materiam & formam Christi. Quæ actio imposito, ab Ecclesiâ nomine, dicitur *Transubstantiatio*.

Hic meminerimus, destructionem

animalis fieri per hoc, quòd ſanguis, & reliquum animalis, quæ vnum quidpiam erant in animali, ſeparentur & fiant & loco & ſubſtantijs plura; ſicque ſublatâ vnitate non vlteriùs remaneat entitas animalis: & conſiderato, quòd ſi corpus Chriſti ſubijciatur ſpeciebus panis, & ſanguis Chriſti ſpeciebus vini, verè corpus & ſanguis fiant hoc & hoc, id eſt, plura; euidens fit, deſtructionis Chriſti rationem non deeſſe, quòminùs Chriſtianum ſacrificium integretur.

Dices, æquiuocè ſumi rationem huius & huius: cùm enim naturale ſit hominibus per accidentia jndiuiduantia deſignare & determinare jndiuidua; quodcumque habet diuerſa accidentia jndiuiduantia, meritò dicetur aliud hoc. Verum hoc non obſtat quin indiuiduum verè dicatur jndiuiduum per vnitatem ſubſtantialem præuiam accidentariæ huic denominationi; quæque eadem eſt in corpore Chriſti ante & poſt ſacrificium; & ſic verè non fiunt corpus & ſanguis hoc & hoc.

Reſpondetur, quòd formaliter lo-

quendo, aliud est Christus, & aliud corpus Christi; & ex specie realis actionis posse contingere, vt operetur circa idem corpus secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam; sicut ignis calefaciens aquam, non tollit formaliter humiditatem, sed tantùm frigus. Sic itaque contingit transsubstantiationem versari circa ens quod est Christus, non quatenus Christus, sed quatenus corpus Christi est; & sic effectum, quatenus dependet ab hâc actione, non esse Christum, sed corpus Christi; quod (quoniam actio est substantialis) facit ipsum effectum esse substantialiter alium sub speciebus panis; quàm sub speciebus vini.

Quare τὸ *Hoc* post consecrationem est quidditatiuè corpus, non autem quidditatiuè Christus; cùm Christum esse corpus, vel corpus esse Christum, non sit magis formaliter verum, quàm animal esse manum vel pedem, aut è contrà, pedem esse animal.

Petes, in quo consistat hæc substantialis differentia Christi in se, &

Christi in sacrificio? Respondetur, in hoc quod Christus vt in sacrificio sit formaliter aliud genus entis quàm in cœlo; & quòd si quæratur, quid sit hoc ens in sacrificiò, qui velit in rigore logico respondere, dicere debeat, esse corpus Christi; & si velit alias differentias addere, nunquam debeat addere quòd includat sanguinem, vel vitam, vel aliud quod non possit competere corpori mortuo. De Christo autem in cœlo, prædicata quidditatiua directa omnia debent significare ipsam totius rationem.

Et quoniam ens est naturale secundùm officium & locum quem habet in naturâ; & corpus vel sanguis Christi non habet officium viuentis in naturâ secundùm hunc modum existendi, sed secundùm diuersum; dicendum est Christum in cœlo, & corpus Christi in sacrificio (etsi sint materialiter idem ens, & tantùm differant ex eo quòd ex vi positionis quod est directum in vno sit indirectum in alio) ex vi suarum positionum constituere duas species seu essentias en-

tis naturalis; & ſimiliter etiam corpus & ſanguinem condiſtinctas eſſe naturalium entium ſpecies: quare illa per hanc actionem facta eſſe verè hoc & hoc, ſeu diuiſa.

Si itaque per adiunctas preces hæc actio determinetur, vt ſit in teſtimonium & honorem deitatis facta; patet nihil ad ſacrificij rationem deeſſe. Immò etſi ex ſolo modo agendi aliud foret ſanguis, aliud corpus; ſalua foret ſacrificij ratio; quæ non conſiſtit in re factâ, ſed in ipsâ actione; cùm teſtificatio ſit primò in verbis, & in actione tantùm vt idem oculis repræſentante, quod voces per aures infundunt. Vnde ratio manentis poſt actionem finitam, eſt accidentalis rationi ſacrificij.

Facilè ex his oſtenditur, quomodo hoc ſacrificium ſit repræſentatio ſacrificij crucis, ſeu paſſionis Dominicæ: cùm enim nihil repræſentet niſi quod eſt ſimile; & ſimile ſit quod formaliter eſt vnum, materialiter diuerſum; euidens quoque ſit ex explicatione factâ, ſacrificium hoc cum morte Chriſti conuenire in formali,

puta in ſeparatione corporis & ſanguinis; differre quoque in materiali, puta quòd maneant non idem; conficitur hoc ſacrificium eſſe expreſſiſſimam repræſentationem paſſionis Chriſti.

Patet etiam non poſſe conſiſtere rationem ſacrificij, in eo quod eſt eſſe purè repræſentationem paſſionis. Quia cùm jmago non ſit prototypum, ſi non aliunde haberet rationem ſacrificij, niſi quia repræſentaret, non eſſet niſi æquiuocè ſacrificium; ſicut pictus homo eſt homo. Præterquam quòd ſpecies panis & vini, imperfectiſſimè repræſentant corpus & ſanguinem, nedum formalem eorum ſeparationem. Deinde ipſum prototypum non habet perfectam rationem ſacrificij: longè itaque minùs repræſentatio poteſt ex eo habere rationem ſacrificij.

Verum nihilominus eſt, in ipsâ ſacrificij huius ratione, includi quod ſit repræſentatio paſſionis; cùm ex ipsâ vi verborum (in quibus potiſſimè reſidet teſtificationis vis) exprimatur relatio ad paſſionem: ſed & ipſa

actio, ex vi jnstitutionis & formæ ipsius, non sit aliud quàm positio ipsius passionis, absque illis conditionibus quibus reuerentiæ & amori generis humani in Christum detraheretur.

Ex his patet, rationem sacrificij non rectè explicari per hoc, quod dicatur ex pane, quod est corpus non mactatum, fieri corpus mactatum; nisi valde formaliter accipiatur, pro hoc quod est, fieri corpus ex mactatione: sed etiam tunc non est panis transmutatio in quo consistit ratio sacrificij, vt videtur hæc explicatio insinuare, sed corpus Christi non mactatũ, quod fit mactatum. Et sensus quidem explicationis videtur ad hoc tendere; vt corpus mactatum, significet crucifixum; quod non potest ingredi rationem huius sacrificij: similiter, quòd corpus Christi redditum sit manducabile ex non manducabili, formaliter non pertinet ad rationem sacrificij; cùm neque omne manducabile sit sacrificium; neque omne sacrificium sit manducabile. Materialiter tamen accipiendo quod

viuum corpus non manducetur, ſed occidatur vt manducari poſſit; fieri manducabile eſt fieri mortuum; & ſic fieri manducabile eſt ſacrificari.

Eodem modo dicendum eſt, ſacrificij rationem non conſiſtere in deſtructione panis & vini formaliter; ſic enim verè panis & vinum, non Chriſtus Dominus, foret hoſtia. Quatenus tamen per ipſam deſtructionem harum ſubſtantiarum corpus Chriſti ab eiuſdem ſanguine ſeparatur, eatenùs poteſt materialiter dici ſacrificium conſiſtere in deſtructione panis & vini.

Sed quia panis & vinum moraliter non deſtruuntur, ſed mutantur in aliud; verè non eſt hæc deſtructio ſufficiens ad teſtificationem, quæ neceſſaria eſt ad rationem ſacrificij; quæ requirit vt non remaneat ex re ſacrificatâ quidpiam æſtimabile, vt verè deſtructum ſit: In præſenti autem manet aliquid melius ſubſtantijs deſtructis; puta corpus Chriſti. Quod itaque dicantur hæ oblationes aliquando hoſtia, intelligendum eſt materialiter, vt deſignet ea eſſe materiam hoſtiæ, ex quâ fit hoſtia.

Patet conſequenter, hoſtiam ſeu materiam circà quam verſatur ſacrificatio, & terminum à quo eſſe Chriſtum viuum,ſeu prout viuum; ex quo fit Chriſtus mortuus. Ex quo patet non potuiſſe tempore mortis Chriſti fieri ſacrificium : ſicut cæremonia Eccleſiaſtica etiamnum retinet; quia non fit mortuus niſi ex viuo; tunc autem non erat viuus ex quo fieret.

Euidens quoque eſt, conſecratione alterius duntaxat ſpeciei, non fieri integrè ſacrificium; cùm non fiat aliud corpus, aliud ſanguis ; quod neceſſum eſt ad diuiſionem: diuiſio enim facit plura ex vno. Ponitur tamen corpus non poſito ſanguine.Sed hoc non ſufficit ad repræſentationem quæ debet exprimere,non confundere eſſentiam repræſentati.

LECT

LECTIO III.

De significatione vocum, Corpus, sanguis, meum.

EX dictis non est difficile intelligi quid in hoc sacrificio, siue in consecratione ipsius, significatum veniat nominibus corporis & sanguinis; quæ clarum est accipi pro partibus condistinctis, & constantibus Christum Dominum quasi mortuum: & quæcumque dicentur de vno termino, poterunt proportionaliter intelligi de altero, aut certè pleraque, vt non sit opus specialiter de singulis discurrere.

In primis itaque euidens est, nomine corporis, non significari materiam primam, siue nudam, siue vestitam & connotantem accidentia, vt loquuntur: etenim, vt constat ex Philosophiâ, non est actu in composito: sed neque si foret, etiam hoc aliquid foret; vt posset significari per vocem *Hoc*. Et tandem non est ex se-

ſe capax eſſendi, vt poſſit de eâ ſimpliciter dici *eſt*. Et tandem nuda, communis eſt corpori & ſanguini; & non explicat quòd corpus condiſtinguatur contra ſanguinem.

Tantâdem operâ reijcitur eadem materia prima induta formâ corporeitatis, vel formis partialibus membrorum humanorum: cùm enim conſtet paritèr ex Philoſophiâ vnicam poſſe eſſe formam ſubſtantialem vnius entis naturalis; præter communem labem quam habent compoſitionis per partes actu, & cumulationis entitatis ſupra entitatem, id eſt, ſubſtantiæ ſupra ſubſtantiam, imbecillitèr transferuntur ad fidei myſteria declaranda: cùm primò diſputandum ſit, an ſint aliqua talia in rerum naturâ.

Eâdem facilitate agitur contra illos, qui rationem communem corporis, vel certè aliquam rationem, corpori animalis viuo & mortuo cômunem faciunt huius vocis ſignificatum. Cùm enim tum ex voce *hoc*, tum ex voce *meum*, ſit conſtans, ſingulare, & primam quandam ſubſtantiam

esse de quo agitur; palam est non posse in ratione aliquâ communi & indifferẽti ad plura collocari. Adde quòd rationes communes non sunt capaces essendi, nisi in particularibus; & proinde non sunt in inferioribus nisi in potentiâ rationis, in quâ solâ possunt existere separatæ.

Sed neque significare potest corpus Christi prout in sepulchro sine sanguine iacuit; sic enim includit formam cadauericam; neque potest in hoc sensu applicari ad corpus viuum Christi, quale erat in vltimâ cœnâ, vel est in cælo; neque corpus frangibile, vel sanguinem affundendum. Si itaque necesse sit etiam applicari ad corpus viuum, non significat corpus prout excludit sanguinem; cùm vita in sanguine sit; vel certè sine sanguine non possit esse.

Ratio quoque communis corpori viuo & mortuo, etsi apprehẽdi possit, ea tamẽ neque particularis est, vt supra dictum est, vt existere possit; neque determinata ad corpus animalis; quod ita vitam includit, vt animal mortuum æquiuocè dicatur animal;

& tantundem est de oculo, manu, pede viuentis & mortui animalis; & tamen corpus prout distinguitur contra sanguinem, clarè significat corpus animalis quod sit compars sanguini.

Superest ex dictis, materialiter seu entitatiuè loquendo, corpus siue sanguinem non significare aliud, quàm ipsum Christum Dominum: pro formali autem vim seu virtutem illam quam in cõmunes operationes Christi habet substantia corporea reliqua secluso sanguine, vel sanguis secluso corpore: sicut enim pes, aut manus, aut oculus apprehenditur quasi animal quoddam de se, & habens specialem operationem; sic & caro, & os, & totum corpus secluso sanguine, & sanguis seclusis reliquis, proprietatem quandam habent, etiamsi sine alijs ea non possit exerceri, secundùm quam Christus dicatur corpus vel sanguis. Significant itaque corpus & sanguis Christum vt natum facere tales operationes suas, quatenus ab his partibus procedunt.

Cùm enim in composito naturali,

nihil ſit actu præter ipſum compoſitum ſeu totum, clarum eſt non eſſe aſſignandum aliud materiale cuilibet reali prædicato quod ſit in Christo, præter ipſum Chriſtum. Formale autem, cùm eiuſmodi ſit, vt per illud reliquum Chriſti condiſtinguatur à ſanguine; ſit particulare, vtpote quod requirat accidentia determinantia vſque ad vltimã indiuiduationem; poſſitque Chriſtus dici *hoc* & *meum*, ſecundùm illud; & nominis vſurpationi ſit accommodatum; palam eſt eſſe rectè factam nominis declarationem.

Obijcies, hanc rationem explicatam corporis vel ſanguinis, non eſſe talem, vt poſſit ex ſeſe exiſtere; & per conſequens poſſit dici, *hoc eſt*. Reſpondetur, non eſſe rationum exiſtere vel eſſe hæc; ſed ſuppoſitorum ſecundùm rationes exiſtere; & ſic quoniam hæc ratio particularis eſt, ſecundùm eam ſuppoſitum eſt *hoc* & *exiſtens*. Rurſus nulla pars nata eſt exiſtere extra compoſitum eadem quæ in compoſito, ſed diuerſæ qualitatis: & ſic hæc ratio exiſtit in ea-

dauere, ſed cum immutatione aliquâ, & imperfectione propriâ cadaueri.

Dices, ſaltem ſequi eſſe rationem aliquam communem corpori viuo & mortuo. Reſpondetur, nomen corporis dici tantummodo analogicè de Chriſto viuo & mortuo, in hoc vſu vocis corporis; in viuo enim hæc ratio ſignificat virtutem carnis, oſſium, neruorum, &c, ad operationes vitales; in cadauere verò tantùm ad operationes mixti; & dicitur corpus hominis non aliâ ratione, quàm quòd ex homine factum ſit, ſeu reliquum corporis humani.

Neque hoc vetat, ſi Sacramentum corporis Chriſti conſeruatum fuiſſet vſque ad mortem ipſius, quin ex vi verborum, forma cadaueris & cadauer fuiſſet ſub ſpeciebus. Cùm enim ex vi verborum, corpus poſitum fuiſſet tale, vt ex eo natum eſſet deuenire corpus mortuum, & cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, accedentibus circunſtantijs ex vi verborum futurum erat corpus mortuum exiſtere.

Pari modo accipitur, quid ſignifi-

cetur hâc voce *hoc*. Cùm enim clarum sit *hoc* significare hæcceitatem vt loquuntur, hoc est indiuidualem proprietatem; jlla verò & constituitur, & cognoscitur per collectionem accidentium; patet voce *hoc*, exprimi pro formali quod cognoscitur, collectionem accidentium; pro materiali verò & confuso, subiectum in quo sunt.

Neque refert quòd *hoc*, sit vox designatiua; esse enim designatiuam non pertinet ad significationem, sed est per accidens: designare enim significat externo aliquo gestu (vt intento digito) adiuuare vel dirigere phantasiam personæ ad quam est sermo: significatio verò vocis est ad quam ducuntur sensus, & ijs mediantibus phantasia: vnde patet designationis vim esse accidentalem significationi.

Dices, τὸ *hoc* significare substantiam, & esse pronomen, non adiectiuum; quare non accidentia, sed vt minimùm gradus jndiuidualis substantiæ significatur hâc voce. Respondetur, significare quidem sub-

ſtantiam, ſed ſicut omnia adiectiua, in confuſo; ſicut album cùm ſubſtantiuè ponitur; neque alia eſt vis pronominis: palam autem eſt, ſignificare pro formali accidentia; cùm ſignificet rem quatenus ſubijcitur ſenſibus; alioqui non concomitaretur deſignationem.

Ex quibus non tam ſoluitur, quàm perit difficultas prementium vocem *hoc*, dum primò pronuntiatur, ſignificare panem; ac proinde ſenſum propoſitionis eſſe, panem eſſe corpus Chriſti: præterquam enim quòd non ſignificat panem ſecundùm propria, ſed ſecundùm accidentia communia ipſi, & corpori Chriſti; hoc eſt, panem ſecundum quod remanet de pane; & quòd ſit prædicati determinare ſubiectum; dicendum eſt voces noſtras ſæpiſſimè deficere à mente noſtrâ, & tunc non mentem ad voces, ſed voces ad mentem trahendas eſſe. Cùm igitur volens efficere corpus de pane, non poſſet aliter ſeſe explicare, voces ſic intelligendæ ſunt, vt conuenit huic effectui, ſi quâ in parte ſint minùs explicitæ.

Ex

Ex quibus iterum clarum est, non inuertendam esse propositionem; vt ordo sit, *corpus meum est hoc*; sed prout iacet explicandam esse, *hoc est corpus meum*; designatum enim eo ipso habet rationem tum subiecti, tum manifesti; occultum autem de manifesto, & non designatum de designato, pronunciari natum est; & vsu ipso dicimus, *hoc est caro, illud panis*; non è contra, *panis est hoc, caro illud*.

Rursus, *Hoc*, ex naturâ rei est particulare, *corpus* commune ex suâ significatione; & ex vi mysterij etiam *corpus meum*, quod de corpore loquentis, & de eo quod sub speciebus est, prædicabile fit. Quare corpus de *hoc*, non *hoc* de corpore prædicandum est. Adde quòd ex vi propositionis, corpus Christi trahitur ad locum panis, magis quàm panis ad corpus Christi: quare corpus Christi non nisi ex vi τῦ *est*, id est, consummatâ propositione, inest. Post itaque copulam, non ante, construenda est vox corporis.

Non minùs clarum est, per vocem *meum*, significari Personam Christi;

cùm *ego* personæ sit expressio: non tamen propterea persona erit ex vi verborum sub speciebus sacris; quia non ex vi vocis *meum*, est connexio inter corpus est Personam; vt patet cum dicimus meus equus, mea domus; quæ tamen non sunt vbicumque ego. Deinde *meum* est vox adiectiua, & additur designatiuè, vt significet, hoc est corpus, cui accidit esse in meâ personâ, siue de quo quodnam sit ex eo cognoscetis, quia est illud idem quod est in meâ personâ. Non autem exponenda est particula *meum* formaliter, vt significet, hoc est corpus Iesu quatenus Deus est. Neque melius explicatur *meum*, significare corpus meæ naturæ: semper enim meæ naturæ, dicit naturam meæ Personæ. Et rursus natura saltem foret ex vi verborum; & per consequens, sanguis & anima, quæ pertinent ad naturam.

Obijcies, esse de ratione substantiæ vt sic, esse suppositum; quare de ratione corporis; & per consequens, persona est ex vi verborum sub speciebus. Respondetur, non esse du-

bium quin ſit de ratione ſuperiorum, vt differentias habeant; ſed non propterea ipſæ differentiæ ſunt de ratione communium; neceſſe enim eſt communia à particularibus ſolâ confuſione & explicatione diſtingui. Sic itaquè cùm particularitas quâ ſubſtantia eſt ſuppoſitum, non explicetur nomine ſubſtantiæ vel corporis, ipſum ſuppoſitum non erit ex vi earumvocum ſub ſpeciebus. Adde quòd ratio corporis explicata, eſt ratio partis & non totius; & per conſequens, differentiæ propriæ talis rationis non faciunt ſuppoſitum, ſed indiuiduum partis.

LECTIO IV.

Quid ſit eſſe concomitanter ſub ſacris ſpeciebus.

CVm autem quæcumque ſunt in ſubſtantiâ, ſunt idem cum ipsâ ſubſtãtiâ, ex eo quod vnum ſolum eſt actu in eâ; fit vbicũque eſt ſubſtantia, ibi etiã eſſe quicquid in ſubſtãtiâ eſt,

quasi partes cum toto. Et, quod sequitur, quicquid hoc modo in corpore Christi est, etiam sub speciebus esse. Quod solet dici per concomitantiam esse, vel ex naturali connexione partium inter se.

Ex quo patet, sanguinem, animam, diuinitatem Verbi, actus, habitus tum animæ tum corporis, & vno verbo quæcumque sunt in Christo in cælo quasi aliquid Christi, vniuersa esse in speciebus panis ex coniunctione cum corpore; & sub speciebus vini per coniunctionem cum sanguine. Adde esse sub speciebus ipsum sitũ membrorum qui statione vel sessione mutatur; propterea quòd diuersa connexio partium sanguinis, & aliquarum partium corporis in similibus mutationibus eueniat; cùm necessaria sit aliorum musculorum extensio, aliorum laxatio.

Neque specialis est difficultas de quantitate seu extensione Christi, cùm non sit aliud quantitatem esse hic, quàm quantitatem esse quantitatem corporis quod est coniunctum speciebus. Vnde non sequitur, quan-

titas eſt in ſpeciebus, ergo extendit corpus Chriſti reſpectu ſpecierum; vel corporum circunſtantium ſpecies; ſed tantummodo hîc eſſe extenſioné quâ Chriſtus reſpectu cælorum extenditur. Vt patet ſi loco *ſit eſſe hic*, ſupponatur, *eſt coniuncta corpori quod eſt ſub ſpeciebus*. Ex quo non magis ſequitur, extẽdit reſpectu ſpecierum, quàm ſi manus eſt aliquid corporis quod eſt caput, ſequitur extendere digitos in capite.

Dices: ergo ſaltem ſimiliter poteſt dici, pedes per concomitantiam eſſe in pileo, cùm ſint aliquid corporis quod eſt coniunctum capiti. Reſpondetur negando ſequelam; non enim quicquid coniunctum eſt inexiſtenti, ipſum inexiſtit per concomitantiam in eo in quo aliud exiſtit; ſed quod ſic coniunctum eſt inexiſtenti, vt ſit idem inexiſtenti, vel aliquid eius. Pes itaque & caput erunt in eo in quo eſt animal per concomitantiam; non tamen animal erit vbi pes eſt; quia non animal eſt aliquid pedis, ſed pes eſt aliquid animalis; & vbi totum, ibi partes; non autem

vbi pars ibi totum, vel etiam alia pars.

Ex quibus rursus patet, cùm dicitur Pater & Spiritus Sanctus esse concomitanter in hoc Sacramento, concomitantiam dici largiùs; quia scilicet sunt per circuminsessionem in Filio, qui Filius est concomitanter sub speciebus. Cùm enim sint personæ diuersæ à Filio, non concomitantur eum sicut partes & affectiones; sed magis quasi amici. Vnde non possũt de ijs efferri prædicata quæ propter naturalem connexionem dicuntur, vt circumferri, manducari, esse hoc, & similia, quæ de cæteris dicuntur saltem per accidens.

Petes, vtrùm possit dici Christum esse in cælo sub speciebus; hoc est, τὸ esse in cælo Christum, esse sub speciebus; vel è contra, species esse in cælo? Respondetur, voci adiectiuæ competere duas explicationes, formalem, & materialem; sicut cùm dicitur album est dulce, materialiter accipitur τὸ album: non enim quia, vel quatenus album, propterea, vel eatenus est dulce. Cùm autem dici-

tur, album diſgregat viſum, formaliter explicatur; quia ſubiectum hanc operationem ab albedine habet.

Sic quoque cùm dicitur, Chriſtus ſecundùm hoc quo in cælo exiſtit, continetur ſub ſpeciebus, materialiter verum eſt; quia quantitas Chriſti per quam in cælo eſt, eſt ſub ſpeciebus. Formaliter verò ſignificat quantitatem reſpectu ſpecierum exercere hanc rationem formalem ponendi Chriſtum in cæló; quod manifeſtè eſt abſurdum. Par eſt ratio de altero membro, quòd ſpecies ſint in cælo: ſi enim ſenſus eſt eſſe in Chriſto qui eſt in cælo; ſeu Chriſtum, qui habet ſpecies, eſſe in cælo; clara veritas eſt: ſin ſpecies habere relationem ſpecialem ad cælum, æquè clarè falſum eſt.

Dices, cùm Chriſtus quantitatiuè ſit vnum cum cælo, ſequi ipſum cælum propter hanc vnitatem, debere dici eſſe in ſpeciebus. Reſpondetur, quod non dicitur eſſe in aliquo niſi quia eſt in alio, ſi non dicitur eſſe in illo alio, non dicetur eſſe in primo. Cælum autem propter hanc vnita-

tem non dicitur esse in Christo, multò itaque minùs dicetur esse sub speciebus, sub quibus Christus est.

Hinc etiam patet ratio cur non dicatur humanitas Christi esse vbique, æquè atque diuinitas cui conjuncta est: Cùm enim non sit dubium, quin Persona seu homo sit vbique; si humanitatem Christi esse vbique, non significaret aliud quàm humanitatem esse in eo qui est vbiquè, vtiquè diceretur esse vbiquè. Quod itaq; reijcitur, est quia intelligitur per hanc propositionem, quod Christus vt homo sit vbique; id est, quod habeat hoc ex conditionibus proprijs humanitati: & sic apparet propositionem propter periculum erroris reijci; quod plerumque euenit, cùm diuersa prædicata singulis Christi naturis conueniunt intrà idem genus.

Ex dictis facile est distinguere, quid sit Christum esse sub speciebus, ab eo quod est Christum esse præsentem sub speciebus, vel per species. Esse enim sub speciebus, vnitatem ad species dicit; qualem verbi gratia habet substantia ad quãtitatem suam.

Præsentia autem explicat ordinem ad locum specierum : vnde patet species non esse locum corporis Christi ; neq; Christũ in ijs vt in loco ; sed esse in loco ipsarum per ipsas quasi in loco.

Non itaque Christus secundùm suam propriam quantitatem est circumscriptiuè in loco specierum, seu præsens nobis ; quòd esset quantitatem ipsius habere terminos eosdem, qui sunt loci specierum ; sed secundùm quantitatem specierum est quodammodo circumscriptiuè in hoc loco; cùm secundùm eas, habeat terminos quantitatis sub quâ est, communes cum loco, siue eosdem qui sunt loci. Quoniam tamen vox *circumscriptiuè*, videatur inducere quod non sit in alio loco, non solet applicari existentiæ Christi in loco specierum. Similiter patet Christum non esse definitiuè sub speciebus in sensu Sanctorum, qui definitiuè explicauerunt pro eo quod est sic esse in loco, vt non sit alibi : patet enim Christum & sub alijs speciebus, & in cælo, non obstante hâc localitate esse. Moderni verò hanc vocem ad alias significa-

tiones transtulere, neque voci congruentes, neque naturæ; sed falsis eorum hypothesibus dumtaxat conformes.

Patet consequenter quid significet, cætera quæ sunt in speciebus per concomitantiam esse præsentia. Sicut enim corpus Christi est præsens, quia est sub quãtitate quæ facit præsẽtiam, seu ad quam præsentia sequitur; sic cęterorũ ratio præsentiæ, cõponitur ex eorum inexistẽtiâ in corpore Christi, & coniunctione corporis ad locũ. Sic & anima est præsẽs per hæc duo; esse formam corporis, & corpus esse per species hîc. Quantitas propria Christi est hîc, quia est extẽsio corporis, quod per quantitatem specierum est hîc.

Ex toto discursu euidens est, quæstiones quas moderni multiplicãt de modo præsentiæ Christi in hoc Sacramẽto, à Philosophiâ & Theologiâ alienas esse; quia supponunt contradictionem spatij imaginarij; quia oberrant chordâ entitatum fictitiarum; quia non explicant naturam loci, neque mysterij; & quia infinitis difficultatibus intricantur.

LECTIO V.

Quomodo Accidentia panis & vini maneant cum corpore Christi.

VLterius concluditur, quod quoniam actio est transubstantiatiua, hoc est, mutatio substantiæ integræ in substantiam integram, sic vt nihil præter accidentia sit commune; necessum est saltem ipsa accidentia esse communia; hoc est, adeò verè inhærentia in corpore Christi, quam prius in substantia panis; alioqui enim non essent communia: & quod factum foret, esset prorsùs aliud omnimodis ab eo quod fuerat.

Rursus, cùm actio ex eo sit conuersio, quia subjectum, seu, vt vocant, terminus à quo, concurrat materialitèr ad factionem seu positionem termini ad quem; & hoc ablato, terminus à quo annihiletur, & terminus ad quem creetur; euidens fit, nisi corpus Christi existat exui specierum, vel saltem incipiat

existere ex vi illarum, non esse hanc actionem conuersiuam. Nisi autem corpus Christi sit realitèr accidentatum per hæc accidentia, non potest intelligi quomodo accipiat esse ex vi accidentium.

Dices, actionem conuersiuam esse quandam entitatem, de cuius ratione sit, panem amplius non esse; & sic rectè intelligi ex vi desinentiæ panis, incipere esse corpus Christi, absque vlla cooperatione Accidentium. Et si obijcitur, panem non esse in eo instanti in quo corpus Christi primo est, & per consequens non posse concurrere ad efficiendum existentiam corporis Christi nisi per accidentia; respondetur hoc non obstante, desinentiam panis, posse esse conditionem talis actionis; quod sufficit ad propositum.

Respondetur, talem actionem esse entitatem fictitiam, non necessariam; fictam ad modum intellectus & cognitionis. Quid enim est posse respicere rem, quæ nihil ad eam attinet, nisi habere cognitionem & volitionem? Et tandem esse per mo-

dum conditionis, quæ nullam vim vel cauſalitatem habeat, eſt purum ignorantiæ perfugium; & contradictio in terminis: valens quòd requiritur ſeu neceſſarium eſt, & ad nihil requiritur, ſeu non eſt neceſſarium.

Ex ipſis quoque verbis conſecrationis conuincitur accidentia inhærere corpori Chriſti; cum clarum ſit, accidentia eſſe mediantibus quibus, deſignatur corpus Chriſti. Vel itaque faciunt corpus Chriſti *hoc*, vel non: ſi non, clarum eſt ſubiectum propoſitionis eſſe falſum, vel non ſupponens; non enim illud de quo dicitur eſſe corpus Chriſti, eſt *hoc*: neque per conſequens, quod eſt *hoc*, eſt corpus Chriſti. Accidentia enim non poſſunt facere corpus Chriſti *hoc*, niſi communicando ſuas rationes formales.

Dices eſſe æquiuocè *hoc*: ſicut cum dicitur, *hic calix eſt Sanguis meus*. Replicatur: ergo non eſt *hoc*, ſicut panis erat *hoc*: quare vel Chriſtus explicuit ſe Apoſtolis, vel eos decepit: & ſi explicuit, etiam illi no-

bis. Ostendatur itaque vestigium aliquod huius explicationis, vel in scriptis, vel in traditis. Rursus manifestum est, calicem accipi pro vino; & per consequens, ly *hic* propriè de vino dici; vt possit impropriè de calice dici; ne sit multiplicatio improprietatum vsque ad ænigma.

Sed & si ponantur per se existere accidentia, eo ipso facient vnum vel plura subsistentia: Ergo iam vis significationis τοῦ *hoc* erit completa in accidentibus; & non poterit significare corpus Christi omninò, nisi per hoc quod sit præcognitum corpus Christi latere sub iis quasi sub veste. Necesse est itaque Apostolos & Ecclesiam, quibus hæc non sunt prædicta, per τὸ *hoc* intellexisse verè subjectum accidentium, sicut in pane solebant intelligere.

Rursus, vel per vocem *hoc*, aliquo modo significantur accidentia; vel habet omnino significationem ignotam; cum accidentia propria Christi non subijciantur sensui. Si autem significantur & subsistunt, iam ipsa & Christus non facient *hoc*, sed *hæc*:

& erit eadem argumentatio, quæ fit contra ponentes ſubſtantiam panis remanere cum Chriſto: & propria locutio erit, accidentia eſſe corpus Chriſti.

Vox quoque *eſt*, erit æquiuoca in his duabus propoſitionibus, *Hoc eſt panis*; & *Hoc eſt corpus*. Cùm enim dicitur, *Hoc eſt panis*, accipitur eſſe pro denominatione intrinſecâ ſubſtantiali ſuperioris de inferiori. Cùm verò dicitur, *Hoc eſt corpus*, *eſt* ſignificabit denominationem extrinſecam ſubſtantiæ aduenientis alteri ſubſtantiæ; ſicut veſtimentum ſeu habitus accedit veſtito.

Accedit ad hæc, quòd non ſit explicabile, qualis ſit vnio vel connexio inter ſpecies ſubſiſtentes & corpus Chriſti; ſed aſſerenda eſt ſolummodo voluntas Chriſti, ſponte ſeſe componens, & quaſi colluſoriè ad actiones ſacerdotis circa accidentia. Quod cùm non ſit naturale, neque Philoſophiâ vel Theologiâ dignum eſt; & facit ſummum myſterium imperfectum, & Deum in nobiliſſimo opere deficientem, & ſegnem architectum.

Sed neque intelligi potest, quomodo Christus omninò sit cum accidentibus nisi per penetrationem quantitatum, & vbicationum fictitiarum impressiones; quæ non solùm nullum in naturâ fundamentum habent; sed sunt opposita notissimis principijs, & reddunt mysterium impossibile creditu Philosophis, & naturales notiones mordicùs retinentibus.

Consequens quoque est ex accidentium subsistentiâ Christi corpus non videri, non tangi, non ferri, vel moueri; & quæcumque alia dicimus de eo, & quæ sunt ea quæ mouent populum Christianum ad pietatem. Quid enim magnum, albedinem videre, vel quantitatem tangere, vt dignitas sacerdotalis sit inde magna? & sanctitas non requiritur ex eo quod accidentia sunt subsistentia, sed quia sunt corporis Christi.

Maximè, non erit verum manducari corpus Christi; quod tamen est fermè totius mysterij caput, & quodammodò finis: Hoc quod Christus toties inculcauit, in quo posuit tan-

tam vim ad salutem & resurrectionem nostram: & denique quod summam deuotionem mouet in populo Christiano. Vnde apparet eam sententiam deficere admodum in explicando hoc tam grandi mysterio; & reddere illud diminutum & minus æstimabile. Accedunt iam phrases Sanctorum Patrum, mirè quàm efficaces. Accedit fides populi Christiani ab omni æuo; cuius sensus clarus est; nisi vbi ex mixtione scholasticæ disputationis inter prædicationes aliquid quasi speculatiuè innouatum est, sed sic vt non descendat ad praxim. Et tandem professio fidei in pleno Concilio Romano exacta à Berengario: quæ omninò dogmatica fidei Christianæ illius ætatis censeri debet, & proprijssimè expressa.

Quid, quòd in omni antiquitate ante scholasticos Doctores, nusquam esse mentionem aut vestigium subsistentiæ accidentium, demonstratiuum est argumentum, non ex proprijs fidei, sed ex ascititijs ex Philosophicis speculationibus, introductum esse in cathedras hanc opinio-

nem: atque proindè merè ex Philosophicis considerationibus pendere ipsius authoritatem.

Quibus si coniungas, supponere hanc sententiam quæ sunt alienissima à Philosophiâ: vtpote accidentia esse entitatiuè distincta à substantijs; atque proinde verè substantias, & non ampliùs modos & determinationes substantiæ: esse separabiles à substantiâ: posse illis communicari esse simpliciter, quod est fieri substantias: & mille inconuenientia & inextricabiles quæstiones de vnionibus, causalitate materiali, & cæt: quas videmus in Philosophiâ modernâ sinè resolutione cumulatas, apparebit hanc opinionem magis inuoluere & confundere mysterium, quàm explicare.

Obijcies, corpus Christi, cùm sit gloriosum, non posse alterari vt suscipiat hæc accidentia. Imò verò neque omnino eorum esse capax; cùm adeò diuersa sint ab ijs quæ naturalia sunt homini. Respondetur, alterationem includere quod accidentia quæ Christus priùs habuit mutentur; hoc

autem non accidere; & per conſequens, corpus Chriſti non alterari; ſed noua accidentia quaſi per additionem aſſumere.

Quod autem accidentia panis, non ſint propria corporis Chriſti; non eſt inconueniens propter exigentiam myſterij: neque ſecundùm naturam aliquam impoſſibilitatem continet: cum videamus progreſſionem naturæ in generatione eſſe inducere aliena accidentia in ſubiectum corrumpendum. Sicut itaque aliqua poſſunt naturaliter conſiſtere cum formâ oppoſitâ, ſic non inconuenit omnia (quouſque accidentium rationem habent) virtute diuinâ conſiſtere cum ſubſtantiâ alienâ; cùm hæc ſit natura accidentis, poſſe abeſſe ſine ſubiecti interitu.

Replicatur, hæc bene dici in ſententiâ ponente accidentia eſſe entitates aſcititias aduenientes ſubſtantiæ: Sed quoniam exacta Philoſophia hanc doctrinam reſpuit, & accidentia non ſunt verè aliud, quam ipſa ſubſtantia: quomodo poteſt intelligi omnia accidentia eſſe aliena, & ſub-

ſtantiam manere eandem? maximè cum tunc nō ſit ampliùs eadem ſubſtantia; cum non ſit idoneum inſtrumentum ad primariam actionem, quod per aliena accidentia eſſe eſt impoſſibilè.

Reſpondetur, his non obſtantibus euidens eſſe, ſi ſola accidentia ſint mutata, manere ſemper eandem ſubſtantiam; cùm quæcumque abſunt, ex eo quod ſint accidentia, abeſſe poſſint. Sed conſiderandum eſt maximè in animalibus, ita diſpoſitionem ad formam eſſe in toto, vt non ſit in ſingulis partibus. Vnde etiam parte aliquâ corruptâ, non propterea pluſquam accidens corruptum eſt; verbi gratiâ, truncato brachio, vel crure, animal non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter mutatum eſt.

Sic itaque ſi ponatur crus vel brachium gangrænâ, vel paralyſi, vel alio morbo corruptum eſſe, & vitâ priuatum, adeò vt non amplius habeat naturam brachij vel cruris, (modo intra eos terminos, vt poſſit per naturam vel medicinam reſtitui) homo tantummodò ſecundùm quid ſeu

partem, & accidentaliter mutatus est: neque membrum illud propterea fit aliud ens; sed remanet tanquam accidens spurium naturæ humanæ; & est per existentiam totius.

Sic itaque in præsenti, si Christus Dominus non haberet vlla accidentia propria, verè per accidentia panis non posset esse homo. Sed posito quod in cælo habeat propria accidentia, sicut esse sub speciebus est ei accidens, sic tantummodò est accidentale illi, quicquid hoc modo ei aduenit: & sicut verruca in homine, vel cornu (quod aliquando accidit) quod ei agnascitur (etsi non habeat dispositiones corporis humani) tamen est aliquid corporis humani; & dispositiones eorum sunt materialiter dispositiones hominis; sic dispositiones panis in hoc sacramento, sunt dispositiones corporis Christi Domini.

Obijcies rursus, Articulum quendam Ioannis Hus, qui docebat accidentia non posse subsistere, condemnatum esse in Concilio Constantiensi: quare de fide erit saltem pos-

ſe ſubſiſtere accidẽtia ſine aliquo ſubjecto. Cum itaque non niſi ratione huius myſterij illa doctrina ſit reprobata; conſequens eſt, fuiſſe doctrinam Concilij in hoc myſterio ſubſiſtere accidentia; ac proinde etiam hoc de fide eſſe.

Reſpondetur, propoſitionem de quâ agitur, eſſe merè Philoſophicam; poſtquam clarum eſt, myſterium nihilo peiùs, ſtante impoſſibilitate ſubſiſtentiæ accidẽtium, explicari, quàm cum poſſibilitate. Et propterea cenſura Concilij explicanda eſt, ſicut in aliis eiuſdem naturæ. Et ſatis videtur in Philoſophicis (vbi proprius erat locus) ad hanc difficultatem replicatum. Tantum itaquè neceſſarium eſt, vt obiter notemus, cenſuras vagas non eſſe cenſuras; cùm rei determinatæ prædicatum indefinitum actu inexiſtere implicet: ſicut exiſtere animal quod ſit vel homo vel equus, prorſus chimæricũ eſt. Et propius ad rem accedendo, ſi de duabus propoſitionibus enuntiaretur alteram eſſe hæreticam; nemo crederet quamlibet earum eſſe pronun-

ciatam hæreticam. Similiter itaque si eidem propositioni duæ indefinitè censuræ applicentur, & dicatur hæc propositio vel est hæretica vel erronea; neutra censura eam percellet; quia neutra contra eam est pronunciata. Patet hoc clarius in executione: vrgeat enim quispiam quòd sit hæretica; numquid non est liberum negare? vrgeat rursus quod sit erronea, nonne & hoc ab eodem vel alio eodem tempore refutari potest? Si itaque sine authoritatis præiudicio possit defendi eam neque esse hæreticam neque erroniam, vbi est censuræ vis. Quid enim interest num ab vno an à pluribus fiant hæ negationes, modò legitimæ sint? Sed hæc fortassis argumenta logicæ argutiæ æstimabuntur: consideranti tamen, euidentiam etiam moralem secum ferunt. Pronunciet enim Iudex, capite vel bursâ plectendum nocentem, & abeat non relictâ cuiquam determinandi potestate, audebitne minister alteram exequi? Sed quicquid de his sit, cùm aliquæ notarum censoriarum eiusmodi sint, vt cum

veritate propositionis consistant; clarum est, huiusmodi notas vagas non ad Theologos, qui veritatem examinant, sed ad iudices qui mores curant, pertinere.

Ex dictis patere potest, quomodo accidentia dici possint esse vnita hypostaticè Christo: non quòd habeant entitatem quandam physicam, cuius ratio sit esse vnionem (quod in Philosophiâ reijcitur) nedum vt talis vnio terminetur ad Personalitatem verbi: sed quia insunt naturali modo in Christo, sicut prius inerant pani: & quia quæcumquè in ente aliquo insunt dicuntur esse aliquid suppositi seu hypostasis; cùm ratio suppositi confundat plura, vt dictum est supra.

Patet rursus, non esse necessarium imprimi speciebus vim quandam magneticam trahendi secum Christum Dominum; neque illum ex præciso motu suæ voluntatis comitari species. Quorum neutrum habet aliquem saporem scientiæ vel artis. Præterquam quòd non explicat quomodo corpus Christi Domini fiat

hoc

hic ab accidentibus: quod tamen eſt totius myſterij baſis & primum fundamentum.

Sed neque fingere quandam materialitatem ſeu inexplicabilem concurſum materiæ primæ (præter vnitatem quam habet cum accidentibus,) quæque ſuppleri poſſit in causâ generis efficientis, aliquid proficit: cum facere *hoc*, clarè ſit per vnitatem; talis autem materialiſatio neque explicabilis ſit, neque faciat ad rem. Neque quomodo diſtinguatur à concurſu efficienti; & ſi diſtinguatur, quomodò ſuppleri poſſit in alio genere cauſæ; neque omninò quid ad rem noſtram faciat, explicari poſſibile ſit.

Sed & comminiſci modum quendam perſeitatis, qui imprimatur ſpeciebus vt ſubſiſtant, intolerabile eſt; cum clarum ſit *per ſe* non ſignificare aliud, quàm ex ſuâ vi ſinè alio: id eſt, quòd ſit ſubjectum ſufficiens exiſtentiæ: quod clariſſime non poteſt dari accidenti, abſque mutatione naturæ ipſius; & abſque tranſlatione ipſius in naturam ſubſtantiæ.

LECTIO VI.

De modo quo corpus Christi se habet ad sacras species.

VLterius conficitur, Christum sic esse sub accidentibus panis mutati, vt etiam sit in potentiâ sub partibus eorundem accidentium. Cùm enim accidentia sint talis naturæ, vt non desinant esse eadem accidentia post aliquam diuisionem; palam autem sit, eum ex vi verborum esse *hoc*, id est, subejctum horum accidentium; etiam euidens est, quamdiu sunt hæc accidentia, ipsum esse sub illis, & esse *hoc* illorum. Alioqui non esset tale *hoc* quale hæc accidentia requirunt, & nata sunt habere.

Patet etiam ex actione Christi; qui non diuisit vinum, sed dedit diuidendum per illa verba, *Bibite ex hoc omnes*. Vnde patet mansisse sanguinem postquam primus biberat, id est, post diuisionem factam. Similiter postquam diuisus erat panis in singulas

buccellas, omnes eas vnâ voce vocauit *Hoc*. Clarè itaque insinuauit hæcceitatem, de quâ loquebatur, non defecisse ex fractione seu diuisione.

Vnde rursus constat accidentia quæ manent seu dicuntur eadem, non esse in rigore metaphysico eadem; sed dumtaxat moraliter, seu secundum speciem vel indiuiduationem moralem: & magis quatenus ipsa faciunt seu nata sunt facere indiuiduationem, quàm quatenus eandem recipiunt à substantiâ & subjecto suo, in quo inhærent. Clarum enim est, panis integri & diuisi accidentia, non posse alio modo dici vel esse eadem.

Sublata est itaque difficultas quæ sese ingerebat, quomodo accidens potest magis transire de subjecto in subjectum, quàm subsistere. Patet enim accidentia panis, prout sunt in corpore Christi, habere specialem indiuiduationem ab ipsius corpore, distinctam ab eâ quàm accidentia panis habebant in pane; etsi conferant Christo ex suâ ratione eandem indi-

uiduationem quam conferebant pani. Dico ex suâ ratione; quia cum ratio illorum sit causa tantum inadæquata, necesse est effectum ex coniunctione alterius partis accipere diuersitatem.

Et quoniam mixtum ex naturâ suâ habet aliquam quantitatem minimam, in quâ natum sit existere; euidens fit, Christi corpus non esse in potentiâ in aliquâ quantitate minori, quam in quâ panis natus est existere; quia scilicet neque panis erat cuius accidentia habet, & per quæ talem potentiam habet. Longe minus est in punctis continuatiuis & terminatiuis; quæ neque capacia sunt corporis naturalis, neque ipsamet sunt in potentiâ vel in actu, nisi per modum negationum; cùm non significent aliud (cum sunt actu) nisi quantitatem non esse majorem, seu non vlterius extendi.

Cùm autem in mixtis necesse sit contingere quædam minima esse sæparata ab reliquis corporibus (ex quibus mixta conflantur vel fiunt) vndique ea circumdantibus, alia ve-

tò esse partes majoris complexionis mixti: Palam est in priorum loco corpus Christi esse actu, eo modo quo apprehenditur esse in integrâ hostiâ: in reliquis verò minimis, tantùm in potentiâ; sicut neque ipsæ sunt in majoribus partibus, nisi in potentiâ. Cùm enim & secundùm quantitatem & secundùm substantiam sint eadem cum majori parte, neque possunt esse plura actu.

Accedit quòd cùm contingat in simili proximitate eandem particulam alicuius elementi ad plura minima pertinere, talia duo minima non poterunt esse nisi indefinitè in potentiâ; id est, quodlibet illorum, sed non vtrumque. Clarissimum itaque est, ea non esse actu; id est, neutrum ipsorum; ac per consequens, corpus Christi eodem modo esse in potentiâ, non in actu in singulis illorum.

Intelligitur quoque non difficultèr quomodò Christus possit esse sub tantâ quantitate. Cùm enim infans in primâ conceptione (in qua dicitur non maior formicâ) sit idem in-

diuiduum, quòd in firmâ ætate; nihil præter naturam accidit, si Christo etiam in firmâ ætate, accrescere ponatur quantitas. Et cum limitatio quantitatis non sit secundum naturales causas, sed speciales fines diuinæ prouidentiæ, quantamlibet quantitatem Christus poterit subire, modò fini diuinæ ordinationis conueniat.

Clarum quoque est, quantitatem panis esse aliquo modo posteriorem in Christo, naturali quantitate ipsius. Cùm enim sit de ratione corporis in communi esse quantum, & de ratione talis corporis, puta, animalis, non solùm esse quantum, sed esse tale quantum, id est, tali figurâ, & alijs sensibilibus qualitatibus præditum: sit quoque subiectum quantitatis panis non quodlibet corpus, sed corpus Christi; necesse est aliquo modo prærequiri in corpore Christi naturalem quantitatem, quatenus scilicet constituit corpus Christi. Patet etiam quòd cùm determinatum corpus sit instrumentum determinatæ actionis, neque possit intelligi aptum natum

facere talem actionem, nisi cum talibus dispositionibus; dispositiones verò omnes sint modi & termini quantitatis, sicut quantitas est substantiæ: clarum est non posse intelligi *Corpus* Christi, absque talibus dispositionibus.

Neque sufficit dicere quod sit aptum natum habere tales dispositiones: tum quià quidlibet potest habere tales dispositiones: tum quià, si dispositiones non sunt distinctæ à subiecto, subiectum ipsum non est tale, nisi per hoc quòd habeat formaliter tales dispositiones.

Dices: ergo neque quantitas, neque alia dispositio, vel qualitas, potest esse accidentalis subiecto; & per consequens, omnia pertinebunt ad Prædicamentum substantiæ. Respondeo, quòd cùm dicitur quantitas esse accidens, intelligendum est de hâc quantitate seu de quantitate singulari quâlibet; & per consequens de quantitate vniuersim, non tamen de ipsâ naturâ abstractâ quantitatis. Et tantundem dicendum est de cæteris

dispositionibus, proportionatè ad naturam cuius sunt.

Nihilo tamen minus verum est, quantitatem panis esse æquè immediatam substantiæ corporis Christi, quàm est propria sua quantitas. Cùm enim quantitas propria, sit particularis ipsius quantitas, quæ est accidentalis, & non pertinet ad constitutionem corporis Christi quâ talis; sub eâ ratione quæ necessaria est ad constitutionem corporis Christi, potest æque subsumi maior atque minor: sed maior includit quantitatem panis cum quantitate naturali; itaque quantitas panis æque immediatè assumitur, quàm quantitas naturalis.

Tantundem euidens est in natura. Cùm in animali aliæ partes alijs sint magis essentiales: verbi gratiâ, cor, iecur, cerebrum, videntur adeò necessaria, vt non possit intelligi animal sine illis; cætera autem, præsertim cataphragma ex ossibus, neruis, carne, &c. videntur ad accidentalem priorum conseruationem esse constituta: & tamen quantitas crurum vel

brachiorum non est minus immediata substantiæ animalis, quam quantitas priorum; cùm sit eadem numero & subiecto quantitas; & per consequens substantiæ simul & semel vtraque insit.

Dices, hoc quidem verum esse; sed quantitatem panis aduenire Christo post constitutionem completam indiuidui; cum quantitas cruris, vel brachij pertineat quodammodo ad eandem. Respondetur, si quæstio sit de constitutione indiuidui in ratione indiuidui, sic quantitatem esse posteriorem quasi naturâ, cùm sub indiuiduali ratione, maximè in animalibus, magna sit latitudo. Præterquam quòd indiuidui ratio, fortassis substantialiter est completa in qualitate iecoris, cordis, & cerebri; cum per hæc intelligatur essentialiter constitutum instrumentum ratiocinandi perpetuum.

Sin quæstio sit de aduentione temporaria post constitutionem indiuidui; sic non solùm quantitas accrescit cruribus & brachijs, sed etiam partibus maximè essentialibus, sine

præiuditio constitutionis indiuidualis; & cum immediatione æquali ad substantiam, quam prior quantitas habuit. Hæc itaque posterioritas non debet præiudicare aduentui quantitatis panis, per actionem diuinam, quæ est intimior & potentior longè quàm sit actio naturæ. Sed neque propterea inconuenientiùs erit Christo talem quantitatem ascititiam habere, quòd non sit immediatè vnita quantitati naturali. Patet enim etiam in nostro corpore aliqua esse magis vnita, aliqua minùs; cum sanguis & humores sint liquidi; glandulæ aliquæ fortassis solâ proximitate coniunctæ. Et quid vetat in aliquo animalis corpore esse aliquod instrumẽtum prorsus separatum; vt fortassis petræ quę in visceribus aliquorum animalium reperiuntur; quæ etiamsi sint separatæ, non potest dubitari, quin sint partes substantiæ animalis.

E diuerso autem, plurima sunt exempla plurium substantiarum eâdem quantitate connexarum: vt cùm duo infantes in vtero materno collisi ijsdem visceribus, duo capita, &

quatuor brachia & crura habere comperiuntur. Visus est iuuenis cum fratre gemino, qui peragrauit totam Europam. Et Matrum cum infantibus per commune viscus continuatio, nullo modo est inficiabilis. Liquida verò quàm facilè commiscentur, & vnâ quantitate duas naturas vestiunt? Vide oleum mixtum aceto, argentum auro, & plura similia: de quorum vnitate secundum quantitatem, & diuersitate secundùm naturam, nemo dubitat.

Nullum itaque inconueniens est, plures quantitates simul Christo inesse. Maximè cùm eo ipso quod sint in eodem subiecto, etiamsi secundùm terminos sint plures, tamen vnam faciant quantitatem, ex vnitate subjecti: non aliter quàm in cubo sunt plures superficies & lineæ secundum diuersas terminationes; quantumuis sunt vna quantitas subjecto, & per vnitatem solidæ speciei. Sic itaque in Christo sunt plures solidæ quantitates, ad diuersas terminatæ, quæ tamen vnitate subjecti colligantur in vnam.

Ex quo deduces, Christum, dum est in sacris speciebus, esse majorem & majorem quoque mundi partem, quàm si non foret sub ijs; non tamen plures, vel plures partes mundi. Cum enim vnitas substantiæ Christi sit completa & indiuidualis; Christum autem esse plures partes mundi significet substantias esse plures; cùm quantitas essentialitèr denominet substantiam non semetipsam, vt quæ non est capax talis denominationis, cum tantummodo sit modus alterius; substantia Christi non potest dici plures partes mundi.

Neque refert ad effectum quantitatis, subsitne ipsi substantia diuisibilis in plures numero, an verò cujus numerus iam sit determinatus. Patet enim & in elementis diuisibilem esse substantiam vel mutabilem secundum omnem variationem quãtitatis; & in animalibus ex opposito idem indiuiduum cum pluribus quantitatibus ipsum inuariatum permanere. In mixtis autem partìm vno, partìm altero modo euenire. Sicut itaque in animalibus idem indiui-

duum ſuſtinet plures quantitates ſucceſſiuè, ſic in Chriſto ſimul.

Dices; quòd cùm quantitas ſit diuiſibilitas, & non diuiſibilis; neceſſe eſt, quoties diuiditur hoſtia, aliquid diuidi: ſed diuidi eſt fieri plura ex non pluribus: aliquid itaque fit plura. Cum autem in Sacramento non ſit aliud quàm corpus Chriſti & quantitas; neceſſe erit corpus Chriſti fieri plura & diuidi. Vel itaque fit plura entia alterius rationis; vt accidit cum animal diuiditur: vel eiuſdem rationis; & tunc erunt plura corpora Chriſti: ſicut priori modo, vel vnum corpus Chriſti cum alijs corporibus diuerſæ rationis, vel ſimpliciter plura corpora, ſed non Chriſti. Reſpondetur, non diuidi quantitatem ſed corpus Chriſti. Verùm ſicut in elementis quidem, ad eſſe maius vel minus ſecundùm quantitatem, ſequitur etiam eſſe aliud & aliud ſecundum ſubſtantiam; in animalibus autem hoc non ſequitur: ſic etiamſi in corporibus alijs ex diuiſione fiant plura corpora, hoc non accidere in corpore Chriſti non eſt inconueniens: quia ſecun-

dùm indiuiduam ſuam rationẽ ſubijcitur vice panis. Vnde cùm panes de pane fiunt, indiuidua de indiuiduo fieri debebunt: quod quoniam eſt impoſſibile ſubſtantialitèr, ſit accidentaliter.

Fit itaque Chriſtus plura indiuidua, ſeu plura numero accidentali, quem quantitatiuum dicunt. Cum quo conſiſtit quòd ſit ſubſtantialiter ſemper idem. Sicut cubus eſt idem quantum, etſi plura ſecundùm ſuperficiem: & ſicut electrum vel aurichalcum ſunt ex oppoſito plura ſubſtantijs, etſi numero quantitatiuo ſint tantummodo vnum. Sed quoniam ſubſtantia eſt ens & vnum ſimplicitèr, accidentia ſecundùm quid; dicendus eſt Chriſtus abſolutè vnus & idem, & ſecundùm quid plura. Et ſimiliter ſimpliciter loquendo non diuiſus, ſed dumtaxat ſecundùm ſpecies.

Petes, vtrum ſecundum rationem quantitatis ſit ſimplicitèr plura, vel etiam ipſæ quantitates ſint abſolutè plures. Reſpondetur, quod cùm quãtitates ex proprijs habeant pluralita-

tem, & ex ſubjecto vnitatem, etiamſi hæc vnitas ſit major quam varietas, tamen quia varietas eſt ex proprijs, eatenùs quatenus agitur de ijs ſecundum propria, dicendæ ſunt ſimplicitèr plures, ſicut & ſuperficies cubi dicuntur ſimplicitèr plures, etſi in eodem corpore exiſtant.

LECTIO VII.

De ipsâ actione tranſubſtantiatiua.

EX his facile eſt gradum facere ad naturam actionis conuerſiuæ ſeu conſecratiuæ. Cùm enim conuerſio clarè dicat exiſtens vnum fieri aliud; imprimis clarum eſt, neque terminum conuerſum annihilari; neque terminum in quem fit conuerſio, ex nihilo fieri, quod eſt creari. Neque panis itaque annihilatur, ſed deſinit in corpus Chriſti; neque corpus Chriſti creatur hîc, ſed incipit eſſe hîc ex vi deſitionis panis.

Sed cùm ſpecialiter in conuerſione, alius ſit terminus totalis, alius for-

malis; clarum est in præsenti, terminum à quo totalem, esse panem, non quomodocumque, sed prout est *hoc*: Et terminum totalem ad quem, esse Christum non quomodocumque, sed vt ipse est per consecrationem *hoc*. Terminus itaque formalis à quo, est substantia panis; terminus verò formalis ad quem, est substantia corporis Christi.

Patet etiam terminum formalem à quo, ex vi actionis conuersiuæ, non necessariò desinere esse: sicut cùm præciso ab homine crure fit cadauer crureum ex homine, non propterea desinit homo esse idem qui prius, sed tantum desinit esse cruratus. Nec ex altera parte necessariò terminus ad quem incipit esse: Sicut cum alimentum conuertitur in animal, non propterea incipit esse animal. Sic ergo etiam ex vi huius actionis neque substantia panis desinit esse, neque corpus Christi incipit esse simpliciter, sed vtrumque in quantum *hoc*, seu accipit *non esse hoc*, vel *esse hoc*.

Quòd itaque panis desinat esse, per accidens est, ex eo quòd cùm hæc actio transferat

transferat hæc accidentia in corpus Christi; & substantia panis non possit esse sine omnibus accidentibus; ex necessitate perit, quia non est causa aliqua secunda quæ determinet Deum ad ipsius conseruationem; sed magis ipsa translatio determinet Deum ad translationem actionis conseruatiuæ *esse* ad Christum Dominum.

Quod tamen Christus Dominus incipiat esse speciali modo, substantiali videlicet, vt corpus in rerum naturâ, est quidem ex vi actionis, sed non quatenus est conuersio, sed quatenus est conuersio in ens non priùs existens. Si enim dictum foret, *hoc est Iesus*; conuersio fuisset facta, & tamen nihil de nouo extitisset, neque realiter neque formaliter. Nunc autem, saltem formaliter, existit de nouo ratio corporis Christi, quod priùs materialiter in Christo continebatur.

Hæc non impediunt, quin ex vi actionis consecratiuæ, panis desinat esse *hoc*: Et quidem secundùm integram substantiam suam: quando-

quidem actio non est quomodocumque conuersio substantialis, sed transubstantiatio. Quare tota substantia in totam substantiam transfertur; vt quoad effectum essendi *hoc*, & forma panis maneat sub formâ Christi, & materia sub materiâ.

Ex quo fit, quòd cum materia prima, prout erat priùs in Christo, non posset facere Christum esse quod erat; & etiam esse *hoc*, id est, maiorem partem vniuersi, quam priùs erat, absque rarefactione; & neque sic propriè, (cum ex parte materiæ, non fuisset maior vniuersi pars, & quantitas nata sit proportionare corpora etiam secundùm materiam) consequens est, ex vi actionis, virtutem materiei, quatenus in pane erat, manere in materiâ Christi.

Non tamen sic, vt materia panis maneat inconuersa, sicut cùm actio est expulsiua formæ intactâ manente materiâ: Sed vt ex vi mutationis, Christus secundùm materiam suam non mutatam, sed in quam mutata est alia, iam habeat maiorem virtutem sustinendi formas & quantita-

tem, quam priùs haberet. Ex eo quòd cùm materia ex ſe ſit indiuiſibilis in toto vniuerſo; per hoc quod accipiat determinationem eſſendi per conuerſionem in illo quod prius erat, eſt in illo magis virtualiter abſque mutatione ex parte ſui.

Et hoc ipſum, quoad ſubſtantiam effectus, in nutritione contingit. Materia enim panis comeſti, non additur corpori animalis, ſicut pars parti, cum nullæ ſint partes, nulla diuerſitas, in materiâ nudâ: ſed adiectâ animali quantitate alimenti, materia animalis fit virtuoſior ſecundum materiam, ex determinatione per actionem factam, quâ vis materiæ (quæ non amplius eſt ſuſtentatiua alimenti) per accretionem alimenti ad animal, determinatur ad ſuſtentationem quantitatis animalis.

Differentia tantummodo eſt in modo actionum: quòd in actione naturali, determinatio fit in ipſâ materiâ, diſpoſitionibus ei aduenientibus paulatim mutatis, & remotis quæ priùs inerant, ipsâ quodammodo immotâ manente, & manente

potiùs quàm translatâ. In transubstantiatione vero, actio est circa accidentia, quare illa transferuntur quasi immota. Materia autem, sicut & forma, comparatur dispositionibus mutatis & remotis. Vnde ex hâc actione materia est in termino ex vi mutationis, in naturali verò actione, ex eo quod non mutatur.

Vnde patet, eos qui credunt partes actu in materiâ, difficulter posse declarare, quomodo panis maneat virtualitèr in corpore Christi; quod tamen est necessarium ad veram conuersionem: alioquin enim annihilatus erit panis. In hâc autem viâ, ex eo quod esse *hoc* potissimè consistat in sustentatione accidentium, patet autem & materiam Christi accipere hanc virtutem, per transubstantiationem, & animam Christi consequentèr habere virtutem formæ panis, quoad hunc effectum, patet conuersionis rationem esse integram.

Dices, cùm aqua conuertitur in ignem, vera est conuersio, & tamen non remanet virtus aquæ in igne, cum virtutes sint contrariæ. Respon-

detur, particulares virtutes esse contrarias, sed generalem virtutem actuandi materiam & implendi vniuersum, esse communem vtrique: & secundùm hanc ignis succedit aquæ. In hoc autem mysterio si accidentia ponantur subsistere, Christi corpus non succedit pani, vel in hoc effectu; cùm non ipsum sit maior pars vniuersi, sed accidentia sola impleant mundum; saltem quoad apparentiam. Adde quòd conuersiones naturales compositæ cum hâc conuersione, sunt defectiuæ & partiales, & non æque merentur nomen conuersionis.

Quoniam autem supra explicatum est, quid significetur nomine corporis & sanguinis; non est necessum explicare quis sit terminus formalis conuersionis huius; seu quæ sint illa quæ ponuntur ex vi verborum. Patet enim esse materiam, formam, existentiam, & si quid aliud formaliter concurrit ad constitutionem corporis vt sic; non autem accidentia vt talia; cùm quatenus talia, sint extra rationem substantialem.

Patet consequenter, si Deus homo

non priùs esset, non iri positum ex vi huius actionis. Cùm enim positio naturalis Dei hominis procedat per existentiam & animam ad corpus; patet rationem corporis, & per consequens actionem ad illam, esse posteriorem ad actionem ad Christum. Cùm itaque posteriora ex prioribus, non autem priora ex posterioribus nata sint sequi, & hæc actio præsupponat eam quâ Christus est, ex termino huius non sequitur Christus, qui est terminus prioris; sed magis hæc actio non poterit esse propter defectum prioris.

Dices, ex hoc sequi quod non possit fieri consecratio in triduo: quià nomen corporis per priùs significat Corpus viuum quam mortuum. Cum itaque corpus viuum tunc non existeret, corpus mortuum non posset vi verborum in species introduci; quia actio consecrationis non habet vim in anteriora. Adde quod verba consecrationis non forent legitima; cùm τὸ *meum*, supponat Christum loquentem; qui eo tempore erat mortuus. Sed neque Sacrificii ratio constaret,

cum Christus non fieret de viuo mortuus. Respondetur, quòd cùm dicitur actionem aliquam non posse facere priora suo termino, intelligendum est de prioribus faciendis non factis. Prioritas autem corporis viui ad mortuum, iam facta erat non facienda. Vnde per consecrationem in triduo, non erat ponendum corpus viuum sed mortuum; quòd tum temporis primariò significabatur per illas voces *Corpus meum*; ideoque ex vi consecrationis poni poterat.

Neque obstat consecrationi, quod *meum* videatur supponere Christum loquentem. Cùm enim Christus in consecratione non loquatur suo ore, sed ministri, qui tempore tridui loqui poterat verbis Personæ quæ non defecerat, *τὸ meum* sufficientèr verificaretur. Ratio autem Sacrificij siue sit siue non sit, non pertinet ad validitatẽ consecrationis, sed tantummodò ad licitum vsum illius. Vnde dicendum est consecrationem futuram fuisse validam, sed non licitam in triduo sepulturæ Christi.

Quibus nihil vetantibus, actio hæc

dicenda est substantialis; immo & conferre esse; cùm terminus formalis ipsius sit substantia, puta corpus Christi, & sub ratione sub quâ non priùs existebat. Cùm priùs existeret tantùm sub ratione Christi, nunc autem sub ratione corporis Christi, quæ sunt distinctæ rationes substantiales: & per consequens, trahunt secum distinctas rationes essendi ex ratione rei, nisi ratione existentiæ diuinæ coirent in vnicam.

Petes, vtrum ratio corporis Christi sit absolute actu ex vi huius actionis? Respondetur, quòd cùm hic terminus supponat Christum existentem, clarum est non esse actu. Sed tamen magis est actu, quàm sine hâc actione; cum natum sit subjectare accidentia formalitèr, quod prius non poterat. Videtur ergo accepisse illam actualitatis rationem, quâ partes continui superant modum existendi elementorum in mixto; & indiuisibilia terminatiua superant continuatiua; quorum tamen neutra simpliciter actu existunt in suis compositis.

Manife

Manifeſtum quoque eſt ſubjectum huius actionis, ſeu potiùs materiam circa quam, eſſe ſuppoſitum panis, ex quo non maneant niſi accidentia. Ex quo infertur, hanc actionem eſſe intellectualem, cùm panis quatenùs *hoc*, non poſſit eſſe ſubiectum niſi in mente, in qua naturale eſt vt ratio ſuperior dicatur de inferiori, Cùm itaque ratio huius ſit maximè particularis, actioni intellectuali conuenit accipere *hoc* pro ſubiecto, & rationem aliquam prædicabilem pro formâ.

Patet eâdem operâ virtutem huius actionis pendere immediatè à Deo; cum effectus ſit inſtantaneus & ſubſtantialis. Eſt enim ſine præuiâ mutatione intrinſecâ in momento *quod erat hoc panis, eſſe hoc Chriſtum*, quod actioni intellectuali quæ per ſignificationem operatur conueniens eſt. Sed non aliâ virtute quàm diuinâ fæcundante actionem creatam.

Dices, ſi actio ſit inſtantanea, & accidentia non ſint realiter eadem in corpore Chriſti quæ in pane, ſequetur nihil re vera commune eſſe ter-

minis à quo & ad quem; & per conſequens, neque eſſe conuerſionem. Reſpondetur, quòd cùm actio ſit intellectualis, ſatis eſt ſubiectum eſſe commune realiter reſpectu ipſorum, ſic itaque cùm intellectus accipiat accidentia in ratione indiuiduantium pro ſubiecto propoſitionis, ſufficit quòd realiter conueniant accidentia panis & accidentia corporis Chriſti in hâc reali naturâ, quæ eſt eſſe indiuiduantes ſeu natas indiuiduare.

Ex quibus intelligitur, quomodo etſi hæc accidentia ſint realiter ipſa forma & corpus panis, tamen ipſa remanere poſſint, ſubſtantiâ panis non remanente. Sicut enim etſi eſſe in tali figurâ, ſit ipſa ſubſtantia animalis, tamen truncato crure non ampliùs illa figura, ſed iam figura trunci eſt figura animalis, eodem modo quo prior figura erat, ſic, vt duæ figuræ ſucceſſiuè ſint eædem eidem animali. Sic & faciliùs eadem figura vel complexio accidentium ſpecie, poteſt ſucceſſiuè eſſe identificata diuerſis naturis, modò pani,

modò corpori Christi, & dum identificata est pani, propter talem identificationem esse forma panis: & dum identificatur corpori Christi, esse forma corporis Christi, vt tale corpus est.

Sic itaque corpus Christi per transubstantiationem reperitur identificatum omnibus accidentibus panis; id est, quatenus panis immutari posset citra mutationem substantiæ. In alteratione enim panis proceditur ad maiorem & maiorem, vsque dùm immediatè iam foret non panis si vltra mutaretur; & eousque sunt accidentia substantiæ panis, postmodum ipsa substantia; cum aliquid mutatur sine quo non consistit essentia panis.

Dices, per hæc declarari quomodo panis posset existere sine suis accidentibus cum accidentibus alienis; sed nondum quomodò corpus Christi possit existere cum accidentibus panis, sine substantia panis. Cùm enim priora sint de ratione posteriorum, non intelligitur quomodo posteriora possunt esse sine priori-

bus. Verbi gratiâ, si albedo sit de essentiâ panis, sed non hæc albedo, potest intelligi quomodo panis possit existere sine hâc albedine: Sed quòd hæc albedo existat sine albedine, impossibile est. Si itaque albedo, quantitas, &c: sint forma panis, non est intelligibile hanc albedinem, quantitatem, &c: esse, & non esse formam panis. Sic ergo non est intelligibile, quomodo Christus habeat accidentia indiuiduantia panis, sinè communibus & essentialibus, id est, ipsâ formâ panis.

Respondetur, hanc replicam semetipsam inuoluere: si enim declaratum est, quomodo panis possit existere cum accidentibus alienis, pariter declaratum est, quomodo accidentia aliena possunt existere sine suâ substantiâ.

Clarum est itaque accidentia esse partes quasi integrantes substantiæ per identitatem ad substantiam in quâ sunt. Si itaque sint in alienâ substantiâ, non sunt amplius constituentes priorem substantiam. Quare accidentia panis postquam sunt in

corpore Christi, nullam habent relationem ad formam panis. Cum itaque omnia, quousque sunt accidentia, sint in corpore Christi, non sunt aliquid de pane, neque pertinent ad substantiam ipsius.

Quare quòd dicatur ratio communis esse de ratione particularium, nihil vrget: ipsæ enim rationes communes, prout sunt identificatæ corpori Christi, & respectu ipsius panis, possunt habere rationem accidentium; neque forma panis vllo modo esse in corpore Christi: quæ etiam in pane (etsi identificata his, & quamuis hæc etiam de ratione ipsius forent cum perfectè definiretur) tamen in suâ ratione strictâ nihil ijs simile habet, sed est quiddam indiuisibile; vt solet explicari per exemplum pluralitatis & mutationis figuræ; & acceptis singulorum definitionibus satis elucet. Sed & quamuis dicatur omnia accidentia panis esse in corpore Christi, non propterea habetur omnem formam in pane esse in corpore Christi. Rationes itaque communes accidentium solæ, non

constituebant formam panis, sed per coniunctionem cum alijs prædicatis, quibus deficientibus, non sunt forma panis, sed tantùm accidentia.

Ex dictis habetur ratio particularis actionis consecratiuæ per comparationem ad alias. Quatenus enim quoad effectum est integra substantia & momento posita, sapit creationem: quatenùs ex subiecto facit quod facit, eatenùs est conuersio: quatenus ipsa locutio est successiua, & quatenus ponit rationem primam corporis Dominici, eatenus sapit generationem: quatenus verò est circa corpus Dominicum iam existens, sic refertur quasi ad nutritionem. Tandem quatenus hæc omnia exercet manentibus indiuiduantibus accidentibus, eatenus est species particularis, dicta *transsubstantiatio.*

Patet quoque ex collectione omnium particularium, quòd etiamsi actio totalis sit specialis & admiranda, in particulari tamen nihil habet cuius exemplum in naturâ non reperiatur. Vt accidentia in alieno subiecto, immediatè ante omnem

conuersionem substantialem; maiorem quantitatem, in omni augmentatione; plures quantitates, in membris fluidis & solutis, & superficiebus pluribus eiusdem corporis; esse autem in pluribus locis, pluribus quantitatibus naturale est.

Quare hoc mysterium ex arcanis Metaphysicis de essentiâ corporum collectum est, contra illa verò nihil continet. Vnde quò magis admirandum, eo quoque magis credendum est, quasi verbum Dei & non verbum hominis.

Patet etiam ex dictis, quoad modum loquendi has locutiones, Panis conuertitur in corpus Christi, transit in corpus Christi, manet in corpore Christi(scilicet in virtute suâ) esse satis proprias. Eas vero, corpus Christi fit ex pane, vel de pane, vtramque esse veram, etsi magis innoxiè dicitur *ex*; cum τò *de*, videatur sonare substantiam: quia tamen fit de hoc quod est panis, etiam de pane fieri dici potest. τò enim *hoc* substantiam sonat, & quasi suppositum. Vnde non est fugienda illa propositio. Hæ

autem, corpus Christi fit, vel Christus fit, sunt duriores; & prima forte aliquo modo formaliter vera, sed male sonans in populo non penetrante Metaphysica: Posterior absolutè impropria, & non toleranda, nisi ex necessitate explicandæ aliquando veritatis.

LECTIO VIII.

De quibusdam consequentibus ad existentiam Christi sub speciebus.

VLteriùs aperta est semita ad ea quæ consequuntur Christi existentiam in hoc Sacramento. Et imprimis quomodo sit in pluribus locis. Cùm enim quantitatem sequatur locus, apparet positis pluribus quantitatibus, consequens esse eam in pluribus locis esse; & quidem circumscriptiuè; si de collatione quantitatis ad locum sermo fit; sed propriè loquendo, speciali modo qui dicitur Sacramentalis.

Ex quo patet, non opus esse duplici actione substantiali adæquatâ ad ponendum Christum in pluribus locis; cum localitas non pertineat nisi consequenter ad substantiam, & naturalitèr sequatur quantitatem. Præterquam quòd cùm nihil possit esse magis notum vi naturalis iudicij, quàm factum non posse fieri; mirum est quomodo quispiam rationis compos possit affirmare actione aliquâ fieri quod per aliam fit. Neque minoris si non maioris hebetudinis est, asserere substantiam eandem replicari, & valere, quantum plures substantias; id est, non esse mutatam, quia est eadem; & esse, quia iam est æqualis pluribus.

Non absimiles sunt consequentiæ quas inducunt, puta posse esse qualificatum affirmatiuè in vno loco, & in alio negatiuè. Et hoc non solum qualitatibus corporeis, sed etiam spiritualibus. Neque parcunt ipsi existentiæ; sed affirmant esse & non esse; annihilari & creari; mori & nasci, in diuersis locis posse huiusmodi corporibus contingere. Quasi locus

& circumſtantiæ poſt exiſtentiam ſequentes, forent ſubjectum exiſtentiæ. Sed quia his ipſis poſitionibus nihil abſurdius poteſt inferri, omittantur.

Patet vlteriùs commentum entitatum, quæ vbicationes ſolent vocari, adeò inconueniens eſſe in hoc myſterio, vt vel propter hoc ſolum reijci mereatur. Quale enim eſt, vt corpus glorioſum Chriſti Domini, non ſolùm complicatum, vt in faſciis vel vtero materno ponatur, ſed etiam vt membra in minima loca vel puncta, ſine vllo ordine vel modo coaceruentur, & reddantur inhabilia omni vſui; habeatque Chriſtus quaſi oculos abſtrictos, aures obturatas, tactum ſtupentem; & ſimilitèr de reliquis ſenſibus & membris.

Conſequentèr dicimus vno verbo, Chriſtum ſub ſpeciebus poſſe agere & pati omnia quæ ſecundùm eaſdem ſpecies nata ſunt agi & pati; ſeu quæ panis natus erat agere vel pati, & amplius nihil. Neque hoc magis inconuenit quàm quòd in proprio corpore ſecundùm pedem non poſſit vi-

dere, neque aliud agere quàm quòd per pedes natum eſt agi vel pati. Et conſequentiæ ſunt pares, & pariter euidentes, cùm ex ratione diſpoſitionum ſumendus ſit ordo ad operandum. Diſpoſitiones autem in Sacramento ſunt diſpoſitiones panis.

Quo non obſtante, eodem modo quo dicuntur plura per concomitantiam eſſe ſub ſpeciebus, dici poteſt etiam operari ſub ſpeciebus quæ in cælo operatur. Sed neutrum dicitur in rigore, ſed dumtaxat ſecundùm quid: & in ſcholis non ſunt admittendæ ſimiles propoſitiones ſine adiectione termini alicuius reſtrictiui: & negatiuæ obſolutè tenendæ ſunt pro veris, & ſine reſtrictione admittendæ.

Et hoc eſt admittendum vniuerſalitèr, id eſt, vt cum reſtrictione non ſolùm dicatur habere hic operationes ſpirituales, vt intelligere, velle, diſponere fata hominum, mittere angelos, &c: Sed etiam corporeas, vt videre, loqui, &c: Neque illas ſolas quæ videntur ad ſemetipſum tantum referri, ſed etiam illas quæ ad

circunſtantia referuntur, vt ambulare, eſſe in cælo, porrigere manum alicui, &c: ſi quas tales actiones ponatur exercere in cælo, vſque ad ipſum eſſe in cælo.

Ratio non eſt difficilis, cum enim eſſe ſub ſpeciebus per concomitantiam, ſignificet eſſe in Chriſto, vel corpore Chriſti quod eſt ſub ſpeciebus; & euidens ſit hæc omnia, & ipſum eſſe in cælo, eſſe in corpore Chriſti quod eſt ſub ſpeciebus, declarato ſenſu propoſitionis, euidens eſt hæc omnia poſſe dici, & non poſſe negari eſſe ſub ſpeciebus ſeu eſſe hîc.

Quia tamen quædam propoſitiones natæ ſunt dici de Chriſto ſecundùm vtrumque ſtatum, eæ quamuis de Chriſto ſub ſpeciebus ſub reduplicatione natæ ſunt pronunciari, non tamen ſimpliciter de eo dicuntur. Tales ſunt videri, ferri, diuidi, &c: non enim ſimpliciter loquendo Chriſtus videtur, cum per alienas ſpecies videtur: neque abſolutè mutat locum, vel diuiditur, cum ſecundùm ſpecies panis hæc patitur: quan-

tumuis ſub reduplicatione ſint veriſſimæ propoſitiones, ſcilicet adiecto quatenus hîc, & ſub ſpeciebus. Sed quod ſecundùm proprias ſpecies operatur, abſolute operatur; ſicut & eſſe ſimpliciter ſecundum illas habet. Quæ autem prædicata non ſunt nata de ipſo dici ſecundùm ſpecies panis, neque ſunt vera ſecundùm proprias, clarum eſt non omnino de illo enunciari. Talès ſunt, eſſe mutum, ſurdum, mutilari, laniari, &c. Quæ cum ſupponant corpus organicum, non affirmantur de Chriſto ſecundum ſpecies panis, neque ſunt veræ de illo ſecundum figuram propriam. Vnde patet per diuiſionem ſpecierum vnam partem aut membrum ab alio non diuidi.

Patet ex dictis quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, utrum videri poſſit Chriſtus prout eſt ſub ſpeciebus? Aſſerendum enim clarè eſt, eum abſolute videri prout eſt ſub ſpeciebus coloris, æquè atque aliud corpus. Si tamen quæſtio ſit de modo inexiſtendi, ſic non eſt obiectum viſibile, ſed intelligibile; ſed adeo intelligi-

bile, ſicut exiſtentia cuiuſuis ſubſtantiæ, præſertim animalis, ſub ſuis accidentibus.

Clarum quoque ex dictis eſt, quâ vi Chriſti corpus conſeruetur ſub ſpeciebus. Cum enim generalis conſeruatio rerum ſit ex emanatione τȣ̃ *eſſe* à Deo, per quam quæuis ſubſtantia retinet eſſe acceptum, donec per ſecundarum cauſarum operationem nouum eſſe ſuccedat; fit, poſtquam ex vi verborum eſſe Chriſti eſt ſub ſpeciebus, ibidem permanere, donec, vel τὸ *eſſe hoc*, vel τὸ *eſſe corpus Chriſti*, ex ſecundarum cauſarum mutatione ſit ablatum.

Vnde patet quod ſi ſpecies à Chriſto conſecratæ, fuiſſent conſeruatæ in triduo mortis, Chriſtus non fuiſſet ſub ſpeciebus panis, ſed tantum cadauer. Cum enim ex ordine ſecundarum cauſarum Chriſtus non amplius eſſet, neque ſub ſpeciebus eſſe poterat. Sed quia τὸ *Corpus meum*, etſi metaphyſicè æquiuocum, moraliter tamen (quomodo pronunciatum eſt) extendit ſeſe ad corpus mortuum ſeu cadauer, etiam cada-

ner ſub ſpeciebus ex vi verborum fuiſſet.

Conſequens eſt , etiamſi corpus Chriſti combuſtum fuiſſet , cineres & fumum futura fuiſſe ſub ſpeciebus. Ex eo enim quòd ex vi verborum corpus Chriſti ſit in his ſpeciebus , etiam quicquid vi cauſarum naturalium fit ex corpore, ſit exiſtens ſub his ſpeciebus. Formæ enim mutatio accidit ſinè vllâ præuiâ mutatione ſubiecti ; (modò contingat formam eſſe mutatam) ſicut & incipit ineſſe ſine aliquâ circa ipſam mutatione per ſolam alterationem ſubiecti.

Accipitur conſequenter, cum ſpecies panis corrumpuntur , non amplius manere corpus Chriſti , ſed fieri ex corpore Chriſti quatenus eſt *hoc*, aliud corpus ; eodem modo quo ſudor vel aliud mixtum ex corpore Chriſti viuentis : neque vllam eſſe ſpecialem difficultatem , ſiue circa formam, ſiue circa materiam ; Cùm materia in Chriſti corpore ſit ſufficiens, & non quantitas ſed ſubſtantia ſit ſubiectum mutationis. Vnde

totum peragitur naturali modo abſque ſpeciali ratione difficultatis.

LECTIO IX.

Quid ſit quod Fideles Miſſæ nomine intelligant.

Ex dictis comprehenditur, quid Miſſæ nuncupatione in Eccleſiâ Catholicâ deſignatum veniat. Cum enim non niſi ſacrificium (ſed circumſtantijs veſtitum) appellemus Miſſam; ſacrificium autem ſit teſtimonium; teſtificatio autem vt actionibus ſit, ſic magis verbis; Miſſa quoad eſſentiam eſt conteſtatio ſummæ in Deo poteſtatis, per ſeparationé corporis & ſanguinis Dominici comitata in verbis explicantibus eam eſſe oblationem in honorem & reuerentiam Dei factam.

Quare cum oratio ſignificet eleuationem mentis in Deum, palamque ſit offerentem Deo aliquid, mentem verſus ipſum dirigere & eleuare: conſequens eſt, Miſſam eſſe oratio-

ncm,

nem. Et quia ſacrificium eſt teſtimonium ſummæ excellentiæ redditum Deo, palam eſt eſſe ſupremam ſpeciem orationis, ſeu eleuationis externæ ad Deum. Et quoniam perfectio humanæ naturæ conſiſtit in eleuatione mentis ad Deum, patet hanc orationem eſſe ſupremam operationem naturæ humanæ.

Et quoniam excellentia opera, non poſſunt digné fieri, niſi ab excellentibus Perſonis: palam eſt hanc operationem ex merito & qualitate ſuâ requirere excellentiſſimum gradum naturæ humanæ: & quod ſequitur, & homines eligi debere, quorum opus peculiare ſit, & eos debere eſſe prorſus eminentiſſimos totius generis humani; maximè cùm ipſum materiale ſacrificij, ſit verum corpus & ſanguis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ex eo autem quod ſacrificium principale ſit deſtructio animalis, animal autem mortuum fiat eſca hominum; & hoc ſacrificium impleat ſpeciem omnium ſacrificiorum; fit Miſſæ duas eſſe potiſſimas, & quaſi eſſen-

tiales partes : conſecrationem ſeu oblationem; & conſummationem ſeu participationem. Quarum hæc ad populum ſpectat, illa peculiariter ad ſacerdotem: & populus conſummatione, tanquàm propria actione, atteſtatur ſe offerre ſacrificium; & ſacerdos cum conſummat, hoc facit quaſi vnus de populo.

Vt autem conſecratio etiam actione viſibili repræſentaret mortem Chriſti, additæ ſunt conſecrationi fractio panis, repræſentans mortem; & mixtio panis cum vino, deſignans vel ſepulturam, quæ videtur conſummatio mortis; vel deſcenſum animæ in abyſſum, qui & ipſe quaſi terminus quidam mortis eſt.

Cætera quæ ſunt in miſsâ, vel ſunt inſtructio populi, vſque ad offertorium; præparatio materiæ, vſque ad conſecrationem; vel preces ſeu gratiarum actio ſequens.

Forma conſecrationis ex parte ſacerdotis eſt deprecatiua, ex parte Chriſti enunciatiua: vtraque neceſſaria; niſi quod deprecatio ſacerdotis ſuppleri poteſt aliquo apparatu ac-

tionis ad idem determinantis. Vnde per verba Christi sine cæremoniâ prolata, non conficeretur sacrificium; debet enim esse moralis actio sacerdotis quasi solennitèr agentis per verba Christi. Quæ si sine tali solennitate proferrentur, significarent corpus & sanguinem Sacerdotis, non Christi.

Benedictiones quæ post consecrationem oblatis impenduntur, sunt formales; hoc est, datæ corpori & sanguini Christi, vt formaliter sunt in altari, videlicet non inclusâ vitâ. Quomodo Christus, & Sacerdos qui Christi vices agit, est quid maius, & natum benedicere eis, id est, precari Deum vt illis benefaciat quoad finem sacrificij; seu vt faciat illa vtilia populo fidelium.

Ex quo etiam patet, preces formales quæ pertinent ad sacrificium, non debere (saltem post consecrationem) dirigi ad Christum, vel spiritum sanctum, vel Sanctissimam Trinitatem, sed tantummodò ad æternum Patrem, à quo solo processit Christus, & ad quem solum referri & redire

habet. Etſi enim ſit corpus Christi poſt conſecrationem, tamen eſt Chriſtus & non corpus eius quod ſacrificatur: & ſi offertur corpus, eſt quaſi aliquid Chriſti, & ſic ſemper ad ſolum patrem debet referri.

Et ſacrificans quidèm eſt ſolus ſacerdos: Quia vox hæc externum miniſterium ſonat. Offerens autem eſt primò Eccleſia, quæ Sacerdotes ad hoc inſtituit, conſeruat, regit: proximè, qui curat Miſſam fieri: ſed & quiſquis aſtat debitâ cùm cæremoniâ, & quiſquis voluntate ſuâ concurrit: & tandem ſacerdos quatenus exhibet externum miniſterium. Alioquin enim tanquam vnus ex populo ſuam partem oblationis habet.

Sic itaque patet non eſſe in poteſtate Sacerdotis, fraudare Eccleſiam vel alios, etſi ſummè cuperet, fructu ſacrificij; modo Miſſam dicat. Immo ſi Miſſam non diceret, non fraudaret curantem Miſſam dici, quin haberet eum fructum qui ex Miſsâ dictâ ex parte operis ei reſponderet. Cùm enim Miſsâ ſit teſtificatio excellentiæ diuinæ, hanc ille fecit cu-

rando eam dici; siuè effectus sequatur siue non.

Quoniam autem hoc sacrificium continet omnem speciem sacrificij; orationes adjunctæ non sunt præcisè testificationis sed etiam deprecationis. Et per impetrationem hoc sacrificium est causa omnium bonorum, puta remissionis peccatorum viuis & defunctis: & largitionis gratiarum tam corporalium quàm spiritualium. Adeò vt applicari possit cuilibet necessitati generis humani.

Quoniam autem deprecantes solent munere præuenire animos eorum quos ambiunt, & etiam per modum obtestationis repræsentare eis charissima, quæque ipsis ad commouendos eorum animos maximè efficacia videntur; triplicem virtutem habet hoc sacrificium. Vtimur enim illo ad excitandos & figendos animos nostros in Deo; rursus ad confirmandos animos nostros magnitudine doni quod offerrimus; & ad excitandam spem, cùm exhibemus coràm passionem vnigeniti Filij ip-

ſius; quo nihil ex noſtris poteſt ei charius eſſe.

Ex hoc patet quomodo ſacerdos pro alio offerre poteſt ſacrificium; namque per modum teſtificationis offert pro iis quorum voluntas eſt vt hoc ſacrificium offeratur; quaſi vice fungens illorum. Per modum autem deprecationis, pro quibuſlibet, quatenùs & doni & pignora charitatis ingerens Deo, confirmat ſupplicationem per quam aliquam gratiam iis impetrare conatur.

Ex quibus deducitur, quod etiamſi valor Miſſæ ſit infinitus, & infinitis præſentibus poſſit infinita bona procurare; tamen vni ſacerdoti tantùm impetrat ſecundùm diſpoſitionem & affectum proprium & limitatè; & plus bono quàm malo. Vnde intereſt curantium Miſſas, vt bonos ſacerdotes eligant. Patet etiam ſacerdotem qui eandem Miſſam pro pluribus debitis faciat, iniuriam facere ijs, à quibus Eleemoſynam accepit.

Tandem patet quòd Miſſæ precium eſt nullum: ſed quià plures

ſunt ſacerdotes ad ſupplendas deuotioni populi Miſſas inſtituti, quàm Eccleſia nutrire valeat; ad eorum alimoniam Eccleſia taxat per iuſtitiam diſtributiuam quid pro ſingulis Miſſis accipi debeat, vt competens ſit alimonia cunctis. Vnde defraudans defraudat cæteros ſacerdotes, impediens illos à debito alimento; & eum pro quo Miſſas dicit, eo fructu, qui ex eorum deuotione ipſi accreſceret.

FINIS.

£ =

INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS INÆDIFICATARVM;

HOC EST,

Theologiæ, ſuper fundamentis in Peripateticâ Digbæanâ iactis, extructæ,

PARS THEORICA.

Authore THOMA Anglo, è generoſâ ALBIORVM in Oriente Trinobantum Proſapiâ oriundo.


TOMVS SECVNDVS.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non vt lex tua Domine. Pſ. 118.



M. DC. LII.


BIBLIOTHECA·BODLEIANA·
DOMI NUS ILLU MINA TIO MEA



INDEX LIBRORVM ET LECTIONVM quæ in hoc secundo tomo continentur.

LIBER PRIMVS.

De sacramentis legis gratiæ in communi.

LIBER SECVNDVS.

De Angelorum natura & miniſterio.

LIBER TERTIVS.

De Institutione, progressu, & Consummatione Sanctæ Ecclesiæ.



APPENDIX

SIVE.

Breuis exegesis in aliquot diuina Apocalypseos capita, qua sancta Ecclesiæ Catholicæ progressus & consummatio, magis particulariter enarrantur, quam in sacris Institutionibus, in earundem supplementum.



INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS inædificatarum.

LIBER PRIMVS.

De Sacramentis legis gratiæ in communi.

LECTIO I.

Quòd sint Sacramenta: & quid sit Sacramentum.

QVandoquidem Ecclesia est multitudo hominum humano more socialitèr viuens, & collecta in hunc finem, vt æternam beatitudinem commodiùs assequantur per morem viuen-

di tanto fini conſentaneum : palam eſt, non ſufficere ſolam adorandi cæremoniam, quantumuis optimam; ſed plures ſolemnitates, ſeu ſollennes actiones Chriſtianæ vitæ eſſe neceſſarias.

Habet enim hoc humana conſuetudo, vt vileſcant ei conſueta, & in obliuionẽ abeant deſueta, & excitetur nouis, & quaſi inſtauretur langueſcens animus; & faſtidiens eadem ſemper repetita, varietate irritetur, & nouum robur aſſumat. Et ſic videmus in omnibus ſocietatibus, quaſdam ſollennitates & extraordinarias coitiones ordinatas, ad perpetuandum feruorem primæ inſtitutionis.

Rurſus, cùm vita Chriſtiana ſit implantata naturæ; & hæc habeat conuerſiones quaſdam, alias ex inſtituto naturæ, alias ex neceſſitate; (nam & puer fit adoleſcens, & hic, vir; & mox ſenex; ex progreſſionis naturæ ordine: & ex neceſſitate incurrunt morbi, & fortuita ſiuè mala ſiuè bona:) fit alias & alias etiam in vitâ Chriſtianâ debere eſſe partes, &

partium ſolennes auſpicationes, accommodatè ad mutationes naturæ.

Adde quod vita Chriſtiana eſt actio tendens ad finem arduum; puta, vitæ æternæ, ſuperātem facultatem naturæ. Vndè ſicut qui in altum & arduum montem contendunt, plures reſpirationes in iugis mediis coguntur ſubire; ſic in vitâ Chriſtianâ oportet eſſe plures gradus & celſitudines, ad quas per nouas quaſdam inceptiones aggrediendum eſt, & ſæpius proinde initiari hominem.

Tandem, cùm tota lex Chriſtiana à Deo per Chriſtum deſcenderit; & per conſequens, ſit quidpiam myſterioſum & abditum reſpectu naturæ humanæ; conſentaneum eſt vt Deus ſæpiùs quaſi porrectâ manu adiuuet, & benedicat, & initium det maximis operibus & gradationibus vitæ humanæ; quatenus per Chriſtianas inſtitutiones dirigitur & eleuatur ad nobiliorem agendi modum.

Ex quibus deducitur, ſacramenta (ſic enim à Theologis vocantur hæ actiones) eſſe ſolennitates Chriſtiani populi, quibus partes, ſeu præci-

puæ Christianæ vitæ operationes, initium accipiunt; & impetus quidam ad operationes perficiendum, quomodo ad finem vitæ æternæ conducit.

Cùm itaque vita Christiana, vt talis, sit sancta (quando constans est) necesse est robur & virtutem ad eam ritè agendam, dici esse sanctitatem; & sanctificari homines per Sacramenta. Cùm rursus vita Christiana consistat in animæ operationibus; necesse est hanc sanctitatem consistere in virtute faciendi in hominibus dignam æstimationem & volitionem circa illa quæ docet & imperat Christi lex & doctrina. Hoc vt conuenientèr fiat per actionem externam capacem solennitatis, necesse est, vt actio externa talis sit, vt ducat nos ad doctrinam interiorem, quæ ædificet animas; ideoque contineat in sese virtutem sanctificandi sanctitate inuisibili: celet itaque rem altiorem quàm ostendat: & sit per consequens mysterium; id est, secretum (quod & græca vox sonat.) Et quia quæ non nisi Sacramento adactis, id

eſt, iuratis creduntur, ſecreta ſunt; etiam latinè *Sacramentum* in eâdem ſignificatione appellatur.

Quoniam verò tota Chriſtiana vita à Deo originem trahit; & per conſequens, ſpecialitèr Sacramenta; neceſſum eſt rationem Sacramenti ſpecialiter competere his actionibus, quatenùs à Deo fluunt, ſeu quatenus ſunt actiones Dei in nos. Vnde ferè actio Miniſtri apud Theologos conſideratur tanquam integrum Sacramentum; etſi verè actio Sacramentalis includat etiam actionem ſuſcipientis quatenus ſuſpiciens eſt; vt patet ſpecialitèr in Pœnitentiâ & Matrimonio.

Sic accepta ratio Sacramenti componi dicitur ex actione externâ, puta lotione, impoſitione manuum, &c: & verbis explicantibus vim actionis, tamquam ex materiâ & forma. Cùm enim finis Sacramenti ſit ſanctificare, ſeu ſuſcipientem ad actum virtutis initiare, & actionis ſeu talis partis Chriſtianæ vitæ initium facere; verba autem ſunt propriiſſimum inſtrumentum informandi animum huma-

num; necesse est verba habere formaliorem seu virtuosiorem rationem in Sacramento

Ex quo patet, Sacramentum esse essentialitèr in ratione signi; quoniam potestas Sacramenti est vis significandi, per quam verba nata sunt inducere homines ad actus interiores virtutum, & per eos ad actus exteriores. Neque quicquam est formidandum ne sacramenta sint propterea entia rationis. Si enim hoc nomine significetur, quod habet vim mouendi rationem, & per illam impellendi cæteras potentias; omninò esserendum est esse ens rationis: & hoc genus entis esse nobilius puris materialibus in suo genere. Vt autem credant rationem Sacramenti esse fictam, ipsi debent ratione carere.

Neque inconueniens est, vt Sacramenta sint entia per accidens; id est, ex duabus rationibus per accidens conjunctis constent: cum neque omne sanctificans sit signum; neque omne signum, sanctificans; hoc enim commune est omnibus arte-

factis, in quibus ferè ſubiectum habet rationem generis; ordo, rationem differentiæ: ſicut cùm definitur Harmonia eſſe ſonus modulatus. Sic in Sacramento & actio & voces ſunt in genere ſigni; quod autem ſignificatur, ſeu eſſe ſacrum quod ſignificant, eſt formalis differentia. Vel ſi actio accipiatur pro ſubjecto; verba declarantia qualis ſit actio, ſunt quaſi forma vel differentia.

Ex dictis patet, quòd cùm ratio Sacramenti conſiſtat in eo quòd ſignificando operetur ſanctitatem in fidelibus; & cæremoniæ veteris legis non prætulerint niſi temporales benedictiones, à Deo conſequendas, in literali verborum & actionum expreſſione; & non operabantur niſi dignitatem quandam ad eas à Deo obtinendas, quantumuis ſignificarent ipſam ſanctitatem quæ datur fidelibus in myſtica & allegoricâ applicatione; verè eas cæremonias non fuiſſe vniuocè Sacramenta, neque continuiſſe gratiam quam ſignificabant, neque aliam, quàm carnalem munditiam præſtitiſſe.

Rursus cùm in quantum constat nobis de lege naturæ & de statu Paradisi actuali (quid enim futurum fuisset, si diu perseuerauisset ille status, in imaginatione solâ est) vtraque fuerit imperfectior lege Mosaicâ; & hoc videatur ordo prouidentiæ diuinæ requirere ; & per consequens, vterque status publicè tantum ad temporalem fælicitatem institutus fuerit; sit eorum Sacramenta etiam analogicè fuisse sanctificatiua , & significauisse magis gratiam quàm exhibuisse. Quatenùs autem hæc omnia Christum significabant, eatenus non pertinent ad sacramentalem naturam , prout hic eam accipimus, vt dantem Sanctitatem ; sed ad sacramenta speculatiua id est, ad mysteria sub vmbris & velaminibus tradita.

LECTIO II.

De materia & forma Sacramentorum in communi.

IN primis quoad verba, clarum est ea non esse materialiter determinata; hoc est, quoad ipsas voces & sonos; sed dumtaxat quoad sensum: alioqui vnicâ linguâ, quâ Christus ea tradidisset, efferri possent; neque haberent respectu humani generis eum vsum propter quem sunt instituta, videlicet vt determinent significationem actionis: cùm ipsa forent magis indeterminata ipsâ actione. Neque refert quòd per interpretationem suppleri possit hic defectus: hoc enim magis ostendit institutionem non esse recte factam, si indiget vniuersaliter supplemento.

Ex hoc rursus fit euidens, numerum vocum non esse determinatum; cùm quod in vnâ linguâ vnâ voce profertur, in aliâ linguâ interdum non nisi periphrasticè exponi possit.

Quarè cùm ſolus ſenſus ſit determinatus, etſi integras periodos pro vocibus miniſter ſubijciat, conſtabit forma Sacramenti, modo idem ſenſus retineatur: verbi causâ, ſi loco Patris & Filij, &c: ſubijcerentur omnia quæ de ſingulis Perſonis in Symbolo recitantur; nihilominùs conſtaret ſibi forma Baptiſmi.

Infertur rurſus, non alligari Sacramenta ad formam locutionis enunciatiuam, vel etiam imperatiuam; ſed poſſe in deprecatiuâ adminiſtrari. Cum enim Sacramentum applicet virtutem diuinam ad ſuſcipientem, & ſit quædam benedictio; clarum quoque ſit, benedictiones efferri connaturaliſſime in formâ deprecatiuâ; nihil vetat Sacramentales benedictiones etiam deprecatiuè efferri, æquè connaturaliter atquè in aliâ formâ.

Non tamen quælibet forma eſt ſufficiens. Cum enim verba ſacramentalia ſint conſecratoria; neceſſe eſt formam eſſe eiuſmodi, vt applicet virtutem diuinam ad ſubiectum. Vndè pura recitatio non eſt ſuffi-

ciens; per hanc enim nihil fit. Sed neque purè optatiua, vel interrogatiua; etsi circumstantiæ tales contingere possunt, vt aliquando similes formæ sint applicatiuæ; vt cum Elisæus percusso flumine pallio Eliæ subiunxit, *Vbi est Deus Eliæ, etiam nunc?*

Patet etiam corruptionem vocum per ignorantiam linguæ (modò agnosci possit quas voces minister intendit proferre, & sic sint significatiuæ respectu intelligentis linguá) non impedire constitutionem Sacramenti. Cùm enim voces sint ad declarandam mentem loquentis; & ea agnoscitur per ipsas voces corruptas; patet voces habere substantiam talis instrumenti, quale essentialiter sunt: patet itaque non esse corruptas essentialiter, siuè constructio sit luxata, siue ipsa vocis variatio sit vitiata.

Si tamen ex intentione malignâ peruerterentur voces in aliam formam; sicut vitandi iuramenti causâ, videmus similes nonnunquam voces supponi, non consisteret Sacramenti essentia. Cum vocis signifi-

catio in particulari ex intentione per se loquentis pendeat; euidens autem sit, hujusmodi loquentes, deditâ operâ vitare voces & sensum vocum; & quod sequitur, non dicere neque tenere sensum & substantiam formæ sacramentalis.

Patet etiam voces additas erroris explicandi gratiâ, secundum qualitatem erroris vitiare formam. Quoties enim error est destructiuus sensûs necessarij, inualidat formam: sin verò compossibilis est, quoad moraliter perspici potest, manet vis Sacramenti. Propterea si Arrianus post nomen *Filij*, adderet, â Deo facti; peruerteret baptismum; non enim in Dei nomen baptizaret: sin Græcus post vocem *Spiritus Sancti*, adderet non procedentis à Filio; incolume foret Sacramentum; quia hic error non tollit, quin sit Deus.

Clarum quoque est, eandem vocem posse irritare Sacramentum in vnis circumstantijs, & non in alijs; vt vox *homoiousios*, addita Filio ab Arriano, redderet inualidum Sacramentum; quæ si à Catholico profer-

tetur, non noceret. Quia nempe ex prolatione Arrianâ, faceret hunc sensum, Christum non esse Deum; & ex prolatione Catholicâ, nil tale sonaret. Et è diuerso, potest contingere voces ex sese insufficientes, per determinationem circumstãtiarum fieri idoneas.

Ex eijsdem principijs, de transpositione & interruptione vocum, non est difficile iudicare: aduertendo videlicet vtrum significationem totius orationis substãtialitèr violent. Particularitates autem dependent partim ex regulis Grammaticorum; partim ex iudicio prudentis viri, qui circumstantias diligentèr examinauerit, & examinatas perpenderit.

Similitèr de additis post perfectam consuetam Sacramenti formam iudicari debet. Siquidem enim proferuntur vt eiusdem propositionis partes, secundùm qualitatem significatorum possunt irritum reddere Sacramentum. Vt qui post formam Baptismi, apposuit, & Beatæ Virginis, inualidè egit; cùm Baptismus in solum nomen Dei fit, & non patia-

tur consortium creaturæ. Sicut finis vltimus non patitur quicquam secum coniungi.

Colligitur quoque opinionem ministri, etsi declaratam, & profitentis, qui teneat talem errorem circa Sacramentum, vt illud inualidaret, si influeret, non nocere valori Sacramenti, si nihil immutetur in ipsâ formâ & sensu verborum, sed tantummodo in ijs quæ accidentaliter coniuncta sunt. Patet enim talem opinionem per accidens sese habere ad effectionem Sacramenti; quæ perficitur, si hoc sit à ministro, quod ab instituente ordinatum est.

Quoad materiam proximam Sacramenti, id est, actionem ministri, patet eam vniuersalitèr consistere in impositione manuũ. Cùm enim significare debeat virtutem à Deo influi suscipienti per ministerium conferentis Sacramentum, agentia autem materialia per contactum agant, tactus autem humanus specialitèr censetur residere in manibus; quæ etiam sunt organum quasi vniuersale actionis humanæ; fit cæremoniam

impoſitionis manuum eſſe conuenientiſſimam conferendis Sacramentis.

Hanc etiam euidens eſt congruè variari, per applicationem diuerſorum corporum, iuxta proprietatem ſingulorum Sacramentorum; vt modò aqua, modò chriſma, modò oleum, modò aliquid aliud applicetur à miniſtro ſuſcipienti: modò fortaſſis nihil aliud niſi pura verba; ſecundùm proprietates effectorum Sacramentalium per huiuſmodi actiones exprimendorum.

Patet itaque eſſe analogiam quandam inter actionem materialem extrinſecùs exhibitam, & ſignificationem vocum, vel etiam naturam effectuum ſpiritualium conſequentium Sacramentorum collationem: ideòque non eſſe Sacramenta purè ſigna ad placitum, ſicut ſunt voces; ſed confuſam quandam ſignificationem ex ſeſe habere, ex quâ habeant ſubeſſe & determinari à vocibus, & eſſe quaſi earum materiam.

LECTIO III.

De numero Sacramentorum, & quibusdam eorum diuisionibus.

EX dictis colligitur quis numerus ſacramentis debeatur. Cum enim vita Chriſtiana ſeptem partibus inſignibus diuerſificetur; ſeptem videlicet virtutibus, quarum tres Theologicæ, quatuor morales & Cardinales, quaſi totius vitæ & morum cardines, appellentur; Sacramenta autem ſint quædam initiationes ſeù auſpicationes præcipuarum vitæ partium à Deo profectæ; clarum eſt, ſingulis virtutibus ſingula Sacramenta deberi; atque adeò ſeptem eſſe Sacramenta.

Neque minùs clara eſt ſingulorum ſingulis appropriatio. Baptiſmus enim clarè eſt profeſſio quædam ſolemnis fidei, & ſuſceptio legis Chriſtianæ. Confirmatio eſt ſpei proteſtatio, quâ ad exercitium quaſi athleticum virtutum, & tolerantiam malorum

malorum animamur, & nos paratos ostendimus. Eucharistia quoque patentissimè conuiuium quoddam & amoris charitatisque exercitium & augmentum est.

Clarè quoque Ordini peculiaris est prudentia; quæ gubernatium & alios dirigentium eminentissima est qualitas. Iustitia non minùs in Pænitentiâ relucet; quâ iniustitiæ perpetratæ emendantur & castigantur. Fortitudinis nobilissima portio contra mortem (quæ bona temporalia & delectabilia omnia vno ictu præcidit, & malorum terribilissimum est) extremâ fuit armanda vnctione. Cohibenda tandem vehementissima circa venerea intemperantia legibus matrimonij.

Rursus cùm vita Christiana vitæ naturali & ciuili (quæ naturalis pars est) in genere humano sit implantata, & conformata; necessum est illustrioribus naturalis vitæ portionibus, Sacramenta quoque esse assignata. Huius autem vitæ nodos septem, & quasi articulos est aduertere. Nascimur enim cum magnâ infirmitate. Robo-

ramur deinde: & in ciuilem virorum conuersationem transimus. Patres deinde familias facti, in summo idioticæ vitæ consistimus. Sed quoniam subiecta est malis & defectui, tum ab ipsâ naturâ, tum a violentiâ extrinsecâ, vita nostra, ea partim præuenimus, partim non bene cauta medicamur.

Natiuitati itaque respondet Baptismus; fides enim Christianum facit, sed infirmum & debilem. Succedit itaque Confirmatio, quæ contra occurrentia mala corroborat, & à cedendo impedit. Iam verò per Eucharistiam ad conuictum Ecclesiæ & Charitatis cõmunionem admittimur. Ordo Patresfamilias per Ecclesiæ gubernationem & propagationem constituit. Defectus & cõcupiscibili & irascibili parti ingruentes, præueniunt Matrimonium & Extrema Vnctio. Malâ passis medetur Pœnitentia.

Petitiones quoque Orationis Dominicæ, vtpote continentes quæ necessaria sunt toti vitæ Christianæ, huic numero astipulantur. Baptis-

mo enim ſanctificamus nomen Dei, agnoſcentes eum, quòd Sanctus ſit. Confirmatione expectamus regnum Dei. Euchariſtiâ conformamur voluntati eius, & quaſi conſubſtantiamur ei. Panis quotidianus eſt inſtructio quæ ab Ordinatis Eccleſiæ exhibetur. Per Pænitentiam remittuntur peccata. Per Matrimonium non concludimur tentatione. Et tandem per extremam Vnctionem liberamur à malo in morte timendo.

Ex his clarum eſt, in quo conſiſtat gratia illa ſpecialis, quam ſingula Sacramenta conferunt. Cùm enim ſingula Sacramenta ſint initiationes ad ſingulas virtutes Chriſtianæ vitæ; palam eſt proprietatem talis virtutis eſſe gratiam quæ per proprium Sacramentum confertur. Cumque nulla virtus Chriſtiana ſit, quæ non accipiat regulam ſuam à charitate; neque qui habet charitatem poteſt eſſe non inclinatus ad rectitudinem cuiuſuis virtutis cùm occaſio occurrerit; palam eſt has gratias cum gratiâ ſanctificante eſſe connexas, & ad ipſam pertinere. Perſpicuum quoque eſt, quòd, quo-

niam Sacramenta ſunt quædam conſecrationes ad actiones virtutum; relinquatur in ſuſcipiente ex vi ſacramenti quiddam quaſi in actu primo determinans ad vitam Chriſtianam, præter ipſum virtutis habitum; non abſimile illi obligationi quæ ex voto & iuramēto manet in ijs qui taliter aliquid promiſerūt; cum hâc diuerſitate, quòd illa tenet ſeſe tantummodo ex parte hominis, & valorem habet ex vi animæ ipſius: hoc autem principaliùs ex parte Dei, licet hominis concurſus non deſit. Baptiſmus itaque Confirmatio & Ordo, relinquunt deſtinationem perſonæ ad Chriſtanam vitam; tum ex ſuo voto, tum ex deputatione Dei, in communi; etiam cum periculo & difficultate: neque ſolum ad conſeruandum eam in ſemetipſo, ſed etiam ad propagationem in alijs. A Matrimonio, & extremâ Vnctione, obligatio ad coniugalem fidem, & promptitudo & accinctio ad agonem mortis; ab Euchariſtiâ, vigor, ſimilis ei quem homo ſanus & bene paſtus ad labores affert; à Pænitentiâ,

cautela & cura, qualem conualescens natus est habere ex memoriâ mali & dolorum, quæ in infirmitate passus est; manent in initiatis.

Consistunt autem hæc omnia in Synderesi seu conscientiâ accepti diuinitùs beneficij; & submissionis seu voti ex parte hominis facti; ex quibus ad Christanæ vitæ studium constringitur. Et quoniam sunt principia quædam rectè agendi, & vitæ Christianæ pro tantæ rei merito transigendæ; palam est ad gratiam sanctificantem etiam hæc pertinere; etsi non æquè immediatè quàm præcedentes: & gratias & esse, & dici debere, relatè ad eas propter quas sunt.

Ex quibus iterum concluditur, meritò Theologos in Sacramentis venari quidpiam quod sit res Sacramenti tantùm; aliud quod sit Sacramentum tantùm; & tertium quod & Sacramenti & rei naturam in sese concludat. Ipsa enim virtus siue actualis siue habitualis, clarè est res Sacramenti, quæ significatur, & est fructus Sacramenti; sed quia inuisibilis est, nihil significat, saltem ad

Sacramentum pertinens. Externum ſymbolum ſignificat, ſed non ſignificatur, cùm ſit viſibile. Deſtinatio verò explicata, & ipſa ſignificat virtutem conſequentem, & ſignificatur, ſeu quaſi videtur per externum ſymbolum.

Protinùs apparet, cur Sacramenta validè ſuſcepta, ſi quando ratione fictionis non proſunt ad ſalutem, in ipsâ ſuſceptione; recedente fictione, valent etiam ad ſalutem; non quia aliqua virtus quam in ſuſceptione debuiſſemus habere, poſtmodum nobis conferatur: ſed quia deputatio Dei & votum noſtrum in Sacramento contentum, poſtmodum incipit ſuum effectum conſequi; aditum nobis patefaciendo, ex vſu & inſtitutione Eccleſiæ, ad Sacramenta & vitam ordinariam Chriſtiani populi; & vrgendo nos ad acriùs inſiſtendum viæ ſalutis, etiam ex conſcientiâ prioris fictionis.

Tandem patet cur Baptiſmus & Pænitentia ſpecialiter dicantur Sacramenta mortuorum, cætera viuorum. Non ex eo ſcilicet, quod confe-

tantur mortuis, vel vim habeant resuſcitandi eos, qui verè ſunt mortui: cùm & fides viua prærequiratur Baptiſmo; & contritio ſit pars ſacramentalis Pænitentiæ ex parte ſuſcipientis: ſed quia ex vi ſymbolorum, ſupponunt ſuſcipientem fuiſſe mortuum; & actio miniſtri quaſi circa mortuum procedit, ſed Eccleſiaſticè in foro externo, id eſt, ex auditis ſeu allegatis, & in ordine ad conuictum Sacramentalem, & exercitium vitæ Chriſtianæ in ſocietate fidelium; non ex inuiſibilibus quæ ſoli Deo ſunt nota.

Nihil enim abſurdius, & magis alienum à Chriſtianâ doctrinâ dici poteſt, quàm peccata remitti illi, qui adhuc eſt in affectu peccati. Ergo peccator ad Pænitentiam accedens, vel habet Deum pro vltimo fine, vel diligit aliud vt vltimum finem. Si diligit aliud vt vltimum finem, quomodo capax eſt remiſſionis peccatorum? vel quomodo etiam poſt abſolutionem non habet creaturam pro vltimo fine? Sin cum ſeſe præbet abſolutioni, diligit Deum vt vltimum finem;

non habet peccatum, quod ei remittatur coram Deo, ſed tantùm coram Eccleſiâ.

Dices eſſe ſtatum quendam medium, quo neque Deum, neque creaturam habeat pro fine vltimo; ex quo vi Sacramenti, tranſferri poſſit in ſtatum habendi Deum pro vltimo fine. Reſpondetur, quòd cùm neceſſe ſit omnem actum humanum vel circa finem vel propter illum eſſe; conſequens eſt, in omni actu finem aliquem vltimatè attingi; & hominem in eo ſtatu perſeuerare, donec talis actus ſit retractatus; & per conſequens, non eſſe ſtatum medium. Et ſi foret ſtatus medius, contra naturæ & cauſarum ſecundarum rationes eſt, poſſe transferri hominem, niſi mediante cognitione, de vno in alium.

Prætereà, ſi pœnitentia remitteret peccatum ſimplicitèr, ſicut Perſona offenſa remittit; non foret Sacramentalis actio. Cùm Sacramentalis actio ſit iudicialis quædam abſolutio; non verò miſericordioſa remiſſio. Iudex autem eſt cognitor, & pronunciat

nunciat de merito & qualitate delinquentis; id est, vtrum ex allegatis & probatis sit delinquens nècne; & verè delinquentem non absoluit. Sic itaque & sacerdos agere habet; & non gratis remittere.

Petes, quam vim habet absolutio Sacramentalis? vel in quo melior est iudicio viri periti, qui non sit in potestate constitutus. Respondetur, ex proportione ad ciuilia Iudicia intelligi: delinquens enim cùm Pretori sistitur, supponitur carceratus vel vinctus; puta impeditus à libero conuictu & vitâ conciuium. Iudex non inquirit an fecerit delictum, sed an probationes sint sufficientes. Si non sunt, pronunciat innocentem; & ex vi sententiæ Iudicis restituitur conuictui conciuium.

Conuictus modo Christianorum est communio jn Sacramentis; maximè Eucharistiâ. Qui peccauit, se exhibet sacerdoti declarãs statum, & professus se pænitere. Sacerdos iudicat ex facti & pænitentiæ qualitate, an dignus sit restitui ad Sacramenta; id est, an appareat probabilitas quòd

deinceps victurus sit vt Christianus; id est, non temerè relapsurus; sed ex fragilitate non plerumquè cedente; id est, an habeat eam dispositionem animi quæ cõgruit homini Christiano, id est, constanter ad sacramenta accessuro. Si talis appareat, liberat eum ab abstentione Sacramentorum, ad quam tenebatur peccato.

Et hoc est sacramentaliter absolui à peccatis. Et qui non habet potestatem, sed tantùm scientiam, potest quidem docere quòd sit dignus; sed quia non habet claues, non potest admittere delinquentem ad Sacramentorum sumptionem: nisi cum deest copia iudicis: quod facit vt lex positiua non obliget in tali circumstantia, propter aliquam necessitatem, sed sufficiat ipsius Pœnitentis deuotio, vt possit sine Sacramento & formâ publicâ adire reliqua Sacramenta.

Clara sunt hæc ex ipso fine & necessitate pœnitentiæ, quæ instituta est, vt quoniam Christiani plerique sunt rudes in dispiciendâ qualitate suæ conscientiæ, & nimium sibi propitij &

ignari exercitiorum, quibus ad veram & solidam pietatem perducantur; propterea submittere sese debeant iudicio sacerdotis, qui supponitur peritus & integri iudicij, vt ipsius prudentiâ regatur in infirmitate suâ. Quare peccator per absolutionem sacerdotis, eximitur hoc vinculo spirituali, quo tenebatur & à Sacramentis abstinere, & subjectus esse speciali illi sacerdotis imperio, propter peccatum commissum.

Ex quibus patet, quòd si Deus transferret hominem adultum ex tali dispositione ad gratiam & charitatem ex vi solius cæremoniæ externæ: non tantùm miraculosè operaretur, sed etiam contra determinationem causarum secundarum, id est, contra vniuersalem modum actionis diuinæ; & contra vniuersalem sensum Ecclesiæ, qui nos vrget, vt præparemus nos, & assiduitate & diligentiâ certam electionem nostram faciamus.

Ex quo rursus sequitur (quoniam nos adultos, iustificari per actus nostros, & non nisi per dilectionem;

est publica Christi vox, & Sanctorum, & Ecclesiæ) doctrinam quæ docet citra actum charitatis iustificari posse in sacramento adultum, esse hæreticam, & pernitiosissimum errorem; vt qui subuertat ipsum fundamentum & totam fabricam Christianæ pietatis, super affectu charitatis & operibus nostris ædificatæ; neque posse quâlibet multitudine Patronorum fieri probabilem, nisi expressa reuelatio diuina possit pro illâ allegari.

LECTIO IV.

De charactere quem imprimunt sacramenta: de institutore quoque, & mutatione eorundem.

VLterius perspicitur, harum Sacramentalium designationum alias esse ad speciales actiones & temporarias; alias verò ad vniuersam vitam. Et eo ipso conclusum est, illas sæpius pro occasione talium actionum repeti vel posse vel etiam debe-

re: has autem (quia reſpectu Perſonæ ſunt vniuerſales, & eam totam comprehendunt) neque debere repeti, neque ſi repetantur, vllum effectum majorem ſortiri per repetitionem, quàm quem prius habebant.

Patet etiam ex naturâ actionum ad quas deſtinantur, poſteriùs hoc genus tribus, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine finiri. Vita enim Chriſtiana, laborumque tolerantia, & Eccleſiæ gubernatio, ſeu neceſſitas adminiſtrandi eam, non poſſunt deficere; vel certe ex naturâ rei habent perpetuari, quantum hæc ipſa vita. Non itaque repeti debent hæc Sacramenta. Nihilominus in dubio metuere Sacrilegium; vel addere conditionalem ad illud vitandum; nimis metaphyſicum eſt in re morali. Quod non obſtat, quin rectè adhibeatur talis cautio in Baptiſmo, ad vitandam ſuſpicionem erroris Rebaptizantium; vel eum deteſtandum, in iis locis in quibus tales Hæretici ſunt frequentes.

Armari verò ad mortem, ex eo

quod mors aliquando in præſens imminens vitetur, ſæpius contingit eſſe neceſſarium. Similitèr & coniugum fortuita duratio, matrimonium facit iteratu quandoque conſentaneum. Et fragilitas humanæ conſtantiæ & reſolutionis, & reſtitutionem ad vitam Chriſtianam, & inſtaurationem ſeu vegetationem charitatis, facit eſſe iteratu pluſquam neceſſarias.

Euidens itaque eſt, tria priora Sacramenta imprimere homini ſigillationem ſeu deſtinationem quandam indelebilem totâ vitâ; ac per conſequens, particulariſare ipſum, hoc eſt, perſonam ipſius, ſeu totam vitam ipſius contra non ſuſcipientes eadem: & hanc particularitatem recte dici characterem; deductâ metaphorâ à figuris impreſſis animalibus, & ſeruis, vel militibus, (ſi olim talis fuit conſuetudo) quibus quorumnam eſſent Dominorum poſſet dignoſci, ad tuendam ſingulorum proprietatem.

Patet conſequenter characterem eſſe de relationibus ſecundi ordinis, quæ fundantur in actione & paſſio-

ne, qualis est calefactiui ad calefactibile, gubernatoris ad nauem, &c. Vnde non est mirum Theologos egregios in potentiarum classem, quæ sunt eius fundamentum, characteris rationem collocasse: vicina enim sunt. Sed potentia, saltem ad aliquorum actiones, est in cæteris, maximè fidelibus; designatio autem tantùm in ijs qui Sacramenta susceperint.

Et quidèm si relatio dicatur esse rationis, vt quæ sit fundata in actione humanâ cuius principium sit ratio; sic character erit relatio rationis. Sed quoniam palam est rationem & physicè agere, & plerumque potentiis purâ naturâ, ex eo capite nihil minus, sed aliquãdo plus habebit quam relationes physicæ. Sin quis relationem rationis interpretatur conceptam ex modo apprehendendi sine debito fundamento à parte rerum, clarum est characterem non esse eiusmodi.

Cùm verò actiones, ad quas deputatur homo per sacramenta, finiantur cùm hâc vitâ, palàm quoque est, deputationem termino vitę esse com-

prehenſam; ac proinde characterem propriè loquendo non durare poſt hanc vitam. Et ſi dicatur durare, intelligendum eſt ſemper apparere quod fuerit vitæ tempore deputatus ad ſimilia miniſteria : quod ex ſpirituum memoriâ, quorum eſt futurum æuum, elabi nequaquam poteſt.

Vnde apparet materialiter admodùm eos philoſophari, qui ponunt characterem eſſe ſignum, ſiue naturale ſiue ad placitum; eſſe formalem repræſentationem ſiue Chriſti, ſiue Sacramentorum; poſitumque in animabus ad hoc vt à Chriſto vel Angelis cognoſcantur. Quæ procedunt ex æquiuocatione vocis ſigni; quæ in præſenti ponitur pro ſignaculo, non pro monitiuo : & ex metaphoricis quibuſdam locutionibus Sanctorum ſecùs intellectorum : clarè enim abſurdiſſimum eſt putare Chriſtum vel Angelos indigere notis monitorijs, vt nouerint qui ſint Chriſtiani, qui non; vel qui ordinati, qui non. Et rurſus ponere ſigna ſpiritualia, id eſt, inuiſibilia, contra ipſam rationem ſigni eſt; quod pro materiali oportet

esse notum & visibile; pro eo verò quod significat, latens. Vnde non nisi inter homines, qui colligunt scientiam ex obiectis reperiuntur: & & non possunt esse spiritualia, sed ex necessitate sensibilia. Cogitare tandem imaginem Christi vel sacramentorum quasi inuri spiritibus, risu magis quam impugnatione dignum est.

Patet tandèm non dari in Angelis characteres: cùm neque ministeria aliqua sint ad quæ deputentur; neque multitudo confusa, in qua eminere, & ex qua seligi debeant. Sed & in hominibus patet ipsam Personam esse subiectum characteris, cùm actio sit communis corpori & animæ, id est, totius. Sed & relationes non sint actus, vt sint in potentijs; sed notiones suppositorum quatenus referuntur ad alia supposita. Actiones enim & passiones sunt suppositorum.

Ad dicta consequens est, institutionem sacramentorum ad solum Deum pertinere. Cum enim Sacramentum sit deputatio Personæ ad certas operationes agendas in qualitate serui Dei: nemo autem nisi Deus,

vel vt habens potestatem ab ipso, possit designare seruum ipsi; consequens est principalem authorem Sacramenti esse Deum. Quod non vetat (si ita conuenisset) alium potuisse esse immediatum institutorem alicuius Sacramenti, ex iussu Dei.

Accedit vitam Christianam à Deo totam dirigi, & à Deo totam effluere, & Christum Dominum eiusdem magistrum ipso teste vnicum esse. Cùm itaque Sacramenta sint cardines & articuli totius vitæ Christianæ, quatenus ea publice exercetur; & ad communitatem Ecclesiæ pertinet; clarum est ad Christum personaliter pertinuisse Sacramentorum rationem, & ritus ab omnibus obseruandos tradere; vt sic in vniuersos fideles sine contradictione penetrarent.

Patet specialitèr nullam posse esse Ecclesiæ potestatem ad Sacramenta instituenda. Cum enim Ecclesia sit congregatio collecta & instituta ab alio ad certas operationes patrandas: clarum est, has operationes à congregante ipsi determinandas fuisse, & non ab ipsâ Ecclesiâ eligendas:

alioquin Ecclesia semetipsam faceret. Cum itaque Sacramenta sint præcipuæ harum operationum, maximè prout ad Ecclesiam pertinent, id est, quatenus sollemniter & publicè præstantur; palàm est ad essentiam & finem Ecclesiæ pertinere; & per consequens, ipsi præstitui debere.

Sequitur ex his, neque Ecclesiam posse quidpiam addere, vel demere de essentialibus; & si faceret irritum fore. Cùm clarum sit mutari Sacramētum, sicut aliud quodlibet totum, mutato quolibet ad essentiam pertinente; quare sicut non est in potestate Ecclesiæ mutare semetipsam, sic neque mutare illud quod est quodammodo prius essentiâ ipsius; & ad quod ipsa tanquam ad operationem finalem & propter quam fit, destinatur.

Ex eo tamen quod materia Sacramenti sit ex sese quidpiam mutabile, siue ab agente rationali, siue naturali; nihil impedit materiam Sacramenti mutari, non per aliquam potestatem circa Sacramentum, sed per accidens ex mutatione materiæ. Si-

cut qui occidit maritum liberat fæminam ab obligatione coniugij, non ex aliquâ potestate circâ Sacramentum, sed circà materiam Sacramenti, quæ est Persona hominis.

Sic itaque cùm materia Sacramenti Matrimonij sit contractus ex vsu ciuilis consuetudinis & congruentiæ Reipublicæ; si vsu vel lege talis contractûs conditiones varientur, fiet varietas in Matrimonio; non ex potestate circa Sacramentum, sed circà materiam Sacramenti. Et sic Ecclesia in Concilio Tridentino irritauit Matrimonia clandestina, annullando contractum Ecclesiasticum, qui erat priùs materia, & post irritationem amplius non est.

LECTIO V.

De efficacia seu virtute conferendi gratiam, quæ est in Sacramentis.

CONstat ex dictis, Ministrum Sacramenti actionem Sacramentalem facere, & verba proferre nomi-

ne Christi; & Christum esse principalem agentem in Sacramento. Cùm enim Sacramentum sit designatio Personæ, ex parte ipsius Dei ad homines descendens, seu assumptio Personæ; & clarum sit, quod nomine Dei geritur, esse primariò actionem Dei; clarum est, Ministrum tantum esse proferentem verba vice & loco alterius, & actionem simul & verba esse principaliter Christi.

Ex hoc rursus fit euidens, nihil esse incredibile per Sacramẽtalem benedictionem factum esse, quod non excedit potestatem Dei. Sed quicquid dicitur verbis, absque dubio opere fieri. Cùm tam verè hæc verba sint verba Christi, quam cum Apostoli dicerent Domino cænaculi eiusdem vocibus, *Vbi faciam Pascha cum Discipulis?* vel Domino asinæ, *Dominus opus habet*. Vel ipsemet Christus leproso, *Mundare*:

Et ex hoc non minùs constat, influxum Sacramenti in suscipientem vel materiam, esse realem & physicam. Cum enim quod fit, in virtute Dei fiat; virtus autem Dei sit æque

propriè in verbis, quàm artificium lecti in sectione cultri quâ fit lectus; adeo physicè concurrent verba & Sacramentalis actio ad effectum significatum, quàm culter ad existentiam lecti per ipsum facti.

Cùm enim potentia Dei sit ipsius scientia, etiam nonnunquam actio propria, est locutio. Vnde, respectu Dei, locutio est operatio transferens virtutem seu potentiam ipsius in effectum. Exprimitur itaque & quasi exit ex Deo mediante locutione virtus ipsius operatiua. Et quoniam locutio ad aliquid dirigitur; & circa aliquid est, locutio applicat virtutem ad tale subiectum. Vnde necesse est ex vi locutionis immutari subiectum; & existere effectum à Deo vel Dei nomine dictum.

Dices, necessarium esse vt instrumentum operetur aliquid sibi connaturale, non excedens vires suas, circa subiectum; alioquin virtus causæ principalis non potest physicè applicari per instrumentum. Sed locutio, saltem respectu rei non sensitiuæ vel non intelligentis, & multò

magis circa rem absentem non potest quicquam sibi connaturale operari: non itaque concurret nisi moraliter, hoc est, vt Deus ad positionem ipsius efficiat; & non physicè, vt mediante ipsius operatione efficiat. Et idem erit de Sacramentis.

Respondetur, locutionem operari quidpiam sibi naturale circa subiectum, nihil obstante quod subiectum non sentiat vel intelligat. Et hoc est significare. Sicut enim cùm sermo fit ad plures, ipsa propositio elocuta tam est significatiua respectu non intelligentium, quàm respectu intelligentium: sic si sermo fiat ad fasces vel asseres, non minùs est significatiua, neque minus exercet naturalem suam facultatem, quàm quando est dicta ad intelligentes; etsi effectum non æqualem sortiatur, propter indispositionem subiecti.

Quare si ponatur vis quædam latens in virtute & actione significandi, quæ sufficiens sit superare incapacitatem subiecti; habebit effectum suum æque circa subiectum non intelligens, quam intelligens. Ne-

que refert quod non faciat ſubiectum intelligere. Non enim hoc neceſſarium eſt ad effectum illius virtutis quam habet intrinſecè latentem; ſed ſufficit quod eam quaſi ex Deo exprimat & applicet ſubiecto.

Neque refert vtrum ſubiectum ſit præſens vel abſens; ſicut erat ſeruus Centurionis. Cùm enim duo ſint officia vocis, excitare, & ſignificare: hoc poſterius eſt ſpirituale & ad ſcientiam pertinens; prius materiale & materialiter cõcurrens, & propter eà requirit indiſtantiam; τὸ autem ſignificare intellectuale eſt, & ſic per accidens in loco; ex vi autem ſuâ, ſic nullo in loco, vt etiam ab nullo ſit diſtans; quoniam diſtantia & indiſtantia ſunt conditiones corporum. Virtus autem diuina, cum ſcientia ſit & omnipotens, per ſignificationem operatur, non indigens excitatione ſubiecti.

Dices, vt ſit actio phyſica, neceſſum eſſe vt virtus diuina ſit talis, vt poſſit cum ſignificatione, id eſt, actione inſtrumenti concurrere; hoc eſt identificari & eſſe vnum: ſic enim

in

in cæteris inſtrumentis videmus contingere; & alioqui ſunt duæ cauſæ magis quam inſtrumentum & cauſa, ſi virtutes eorum ſunt diuerſarum naturarum. Hîc autem non poteſt intelligi quod vis diuina, ſit ſub eodem genere, ſub quo eſt ſignificatio, cùm ſit productiua actio.

Reſpondetur, quòd clarum eſt iuſſionem eſſe eiuſdem naturæ cum ſignificatione, puta, locutionem ſpecialem. Iterum iuſſio diuina eſt actio diuina, quâ facit omnia quæ facit. Patet itaque ex eo quòd locutio ſacramentalis ſit identicè iuſſio diuina, eam operari quicquid voluntas diuina per intellectum operatur; & per conſequens, verè locutionem ſacerdotis creaturam Angelos, vel alium mundum, ſi verba Sacramentalia hoc ferrent: & eſſe verè phyſicum inſtrumentum reſpectu effectus ſignificati.

Ex dictis reiectæ manent illæ quæſtiones, quæ ſolent agitari de tempore quo Sacramentalis actio ſortitur effectum; puta, vtrum non niſi vltimâ ſyllabâ finitâ? vtrum expectan-

dum ſit aliquãtulum temporis etiam poſt illam finitam, tantiſper dum ex naturâ rei nihil ad eandem propoſitionem pertinens natum ſit adiici? Vtrum dum ſunt? vel poſtquam tranſierunt? vel in inſtanti terminatiuo? & ſimiles.

Cum enim effectus ſequatur poſitis verbis, ex vi diuinâ mouente miniſtrum ad dicendum & in dicendo dicta verba; hominis autem non ſit aliud, quam ponere ipſa verba; effectus non eſt alligatus ad præſentiam verborum, ſed ad ſignficationem: &, ſi ſignificent pro tempore futuro, effectus eo tempore ex vi illorum ſequeretur non minùs quàm Filius ex vi Patris iam mortui vel abſentis cum anima infunditur proli. Verba enim poſuerunt diſpoſitionem, ex quâ ſecuturus eſt effectus tempore idoneo.

Vnde etiam patet ſignificationem verborum (etſi ſonet de præſenti & etiam ſit) non efficere effectum in inſtanti, vel in aliquo metaphyſicè præſenti, ſed moralitèr; ſicut reuerâ ſignificare natæ ſunt voces humanæ.

In illo verò præſenti ex virtute Dei effectus eſt completo eſſentialitèr ſacramento, id eſt, cum verba & actio Sacramentalis primo vim ſignificatiuam effectus habent; quod plerumque eſt ante vltimam ſyllabam: inquirere verò ſpecialius inutile eſt.

Manifeſtum quoque eſt, propoſitiones Sacramentales non eſſe veras, ſicut reliquæ propoſitiones humanæ; ſed per modum diuinarum. Non enim veræ ſunt, quia ſunt ſimiles objectis; ſed quia objecta ſunt ſimilia ijs; ſeu quia ſunt quaſi artes actuales, efficaces, ex vi quarum objecta ſunt eo ipſo quod ipſæ ſunt. Perfectio proinde obiecti eſt eſſe ſimile ijs: ipſæ autem perfectionem ſuam ſecum ferunt independenter ab objectis, atque etiam ab audientibus: quam hauriunt a mente diuinâ à quâ procedunt.

LECTIO VI.

De Ministro Sacramentorum.

EX dictis accipitur, Ministrum Sacramenti non posse esse Angelum; neque animam separatam; neque brutum; aut ens insensitiuum. Cum nihil horum natum sit loqui; verba autem (prout significatiua) sint vis per quam Minister Sacramenti operatur. Sed hoc intelligendum est de Ministro Ordinario: Deus enim suâ potestate potest conferre aliis virtutem ministrandi Sacramenta: sicut quædam historiæ innuunt aliquando fuisse factum.

Sed neque Sanctus aliquis in corpore glorioso, vel etiam rediuiuus in corpore mortali, retinent vim ministrandi Sacramenta, quam viui habuerunt. Consecratio enim ordinaria cessat quãdo hæc vita, ad quam dirigitur cessat. Hæc autem vita cessat, cum irrecuperabilitèr secundùm ordinem naturæ corpus ab anima se-

paratum eſt. Miraculum autem non reſtituit niſi quantum Deus vult; & per conſequens non reſtituit purè accidentia, niſi aliunde conſtet.

Dices: ergo reſuſcitatus deberet denuo baptizari & confirmari; quod tamen non legimus Sanctos obſeruaſſe, qui complures reſuſcitarunt. Reſpondetur, quod cùm effectus Sacramentorum illorum in reſuſcitatis maneant, videlicet gratia; non eſt cur denuò Sacramenta ſuſcipiant. Adde quòd plerumque reſuſcitatio tam ſubitò fit poſt mortem, vt non noua vita, ſed eadem; neque mors, ſed interruptio vitæ moraliter habeatur: Sacramenta autem moraliter tractanda ſunt.

Conficitur deinde, Miniſtrum Sacramenti ordinarium eſſe ſacerdotem ſeu ordinatum. Cùm enim Sacramentum ſit quædam conſecratio, eſſe miniſtrum ordinarium, eſt eſſe deputatum ad conſecrandum. Cùm itaque conſecratio pro formali non ſit niſi deputatio ſollennis, tantum eſt eſſe Miniſtrum Ordinarium, ſeu per ſe, quantum eſſe conſecratum ad

alios consecrandos. Sed consecratio ad consecrandum non est alia quam Ordinatio. Est itaque ordinatus seu sacerdos.

Accedit, quòd omnis ministratio Sacramenti est actus habentis potestatem in Ecclesiam. Verbi causâ, Baptismus allectio in familiam; Confirmatio in militem; Ordo in Patremfamilias; de Pœnitentia clarum est; & de largitione vel negatione Eucharistiæ; maritati sufficiunt nouam prolem, vnde reparetur Ecclesia militans; & morientes aggregantur in Ecclesiam triumphantem per extremam Vnctionem. Quare in omnibus cognitione opus est, vt sciat Minister aptitudinem suscipientium ad talem locum in Ecclesiâ obtinendum; quæ est fundamentum potestatis. Et per consequens, ordinarius Minister debet esse in potestate constitutus, id est, hierarcha seu sacerdos.

Obijcies primo, Baptismum à quolibet conferri; neque iterari posse postquam collatus est, sine sacrilegio. Respondetur, in Baptismo duo considerari; effectum internum, & ad-

missionem in Ecclesiam : & effectum quidem internum conferri à quocumque ministro: quod autem fiat visibilis pars Ecclesiæ , suppleri per consensum Pastorum Ecclesiæ : alioquin ipsum Sacramentum requirere ministerium Sacerdotis;cùm clarum sit tale esse , vt non nisi dignis conferri debeat; & per consequens , administratio eius sit sapientis , id est, præpositi & sacerdotis.

Quoad repetitionem autem, sciendum est , quòd propter errorem rebaptzantium , Ecclesia extimuit repetere baptismum priuatum :& non propter sacrilegium , (quod sine irreuerẽtiâ nullum est) neque magis in Baptismo , quàm in consecratione Missæ timendum est sacrilegium, quam in Ordinationibus à pluribus perfici sine periculo sacrilegij , non solùm tacente , sed imperante Ecclesiâ videmus, absque ijs cautelis quas priuati iuxta conceptas in scholâ sententias priuato iudicio faciunt.

Cùm itaque verba, & etiam materia Sacramenti sint res inuisibiles, nullum potest esse sacrilegium res-

pectu illorum. Neque est aliqua forma debita materiæ, aut materia formæ, si ad se sola comparentur. Sed hominibus & Ecclesiæ debetur, ne instrumenta sanctificationis sine honore tractentur. Vnde si nulla sit visibilis & offensiua irreuerentia, nullum est sacrilegium aut periculum sacrilegij.

Neque si foret, præpositâ conditionali, *si non es Baptizatus*, vitaretur sacrilegium; cùm nihilominus verba & actio exerceantur circa indebitam materiam. Neque intentio ministri hoc impediat; quæ cum in ministro resideat, non potest esse pars Sacramenti, etsi possit prærequiri ad constituendum agentem perfectum. Conditionalis itaque præmitti solita, est ad vitandum scandalum & opinionem erroris Rebaptizantium: & vbi non est periculum scandali, ad nihil seruit vt supra dictum est.

Obijcitur iterum Sacramentum matrimonij, in quo (cum in contractu consistat) necesse est contrahentes esse ministros. Respondetur, hoc primò suspectum esse in eâ sententiâ, quod

quod ſine exemplo ſit ; cum cætera Sacramenta, quotquot ſunt, abſque controuerſiâ pro miniſtro ordinario ſortiantur ſacerdotem. Cur itaque in hoc ſolo alitèr ſeſe res habeat?

Præterea, contrahentes (quod ſupponit argumentum) non ſunt miniſtri contractus, ſed cauſa principalis. Vnde neque Sacramenti miniſtri eſſe poſſunt; ſed potiùs mediatores erunt miniſtri, cùm per medios fit contractus. Sed neque naturæ conforme eſt; cùm efficiens & materia ſecundùm leges naturæ non ſint nata coincidere in idem ſubiectum ; contrahentes autem ſunt materia matrjmonij, vel certè pertinent ad eam.

Adde, quod cùm ſermo eſt de ordinario, intelligunt omnes eum ex officio agere; & per conſequens, eſſe aliquo modo Perſonam publicam: contrahentes verò priuati ſunt, & ſemel tantum hanc actionem nati ſunt agere; niſi per accidens contingat alterum mori. Vnde fit euidens ponentes contrahentes eſſe miniſtros, re ipſâ ponere nullum eſſe miniſtrum. Quid, quod ponunt plures miniſtros

eiuſdem Sacramenti, & non vnum? Supponamus quoque contrahentes ex libidine vel auaritiâ contractum hunc priuatim facere, ſine vllâ curâ vel cogitatione de Deo vel re ſpirituali; nihilo minùs, ſecundùm illam ſententiam, Sacramentum eſt; & tamen nihil continet, non dico ſacrum, ſed non execrandum: & nulla eſt alicuius ſanctitatis aſſimilatio, vel mentio, vel cogitatio.

Sed neque vlla eſt ſimilitudo Sacramenti in tali cōtractu. Cum enim Sacramentum ſit cæremonia viſibilis, inſtituta ad ſignificandum aliquam interiorem gratiam; oportet vt Sacramentum ſit aliquid extraordinarium, quod poſſit excitare videntes ad cogitandum de tali gratiâ; oportet eſſe inſtitutum ad hoc ipſum; oportet eſſe aliquo modo ſolenne & cæremonioſum: quæ omnia deſunt contractui, quem Sacramentum eſſe contendunt hi authores.

Rurſus, de eſſentiâ Sacramenti eſt, vt in nomine Dei perficiatur, & à Deo in homines deriuetur, & proficiſcatur; & hoc formalitèr ex vi actio-

nis & cæremoniæ, & non tantùm ex vi naturæ, ficut omnes effectus naturales. Sed in tali contractu nihil eſt quod alitèr proficiſcatur à Deo, quàm ex vi rationis infuſæ contrahentibus, & ex vi creationis & naturalis benedictionis. Vnde neceſſum eſt talem contractum longe abeſſe à natura Sacramenti.

Immò verò ipſa tranſlatio non eſt facta ex nobiliſſimo genere contractus; cum conſentaneum ſit ſupernaturale conforme eſſe ſummis naturalium. Videmus enim contractus particulares, vt ſint fortiores, deferri ad iudices & curias ſupremas, & ibi confirmari. Sic itaque matrimonium vt Sacramentum, debet conſiſtere in confirmatione à curiâ diuinâ in terris, id eſt, à ſacerdote, qui eſt miniſter Dei in Eccleſiâ.

Tandem ex proceſſu matrimoniali, examinatione partium, publicatione & cæteris actibus Eccleſiaſticis, qui præcedunt matrimonium, clarum eſt officium ſacerdotis circa coniugandos, eſſe Iudicis & ſuperioris. Quàm itaque inconſequens eſt

accidentia ad rempublicam pertinere, ſubſtantiam autem priuati omnino iuris eſſe, & non etiam ad publicum Eccleſiæ tribunal pertinere?

Declarauit autem & Deus, cùm Euam adduxit ad Adamum; & Chriſtus Dominus, cùm teſtatus eſt Deum coniunxiſſe coniugatos; Matrimonium ex ſuâ ratione à Deo initium habere debere; & per conſequens, prout eſt Sacramentum, ab ipſius miniſtro perfici debere.

Neque refert eas orationes quæ benedictio vocantur, in ſecundis nuptijs non vſurpari. Illæ enim non pertinent ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed tantum ad maiorem ſolennitatem. Neque inconueniens eſt multa Chriſtianorum Matrimonia non futura Sacramenta; cùm Diuus Paulus hortatus ſit fideles ad viuendum cum infidelibus, etſi conſtet ea Matrimonia non fuiſſe Sacramenta. Adde quod omne Matrimonium ex naturâ rei ſit indiſſolubile; cùm ſit contractus in totam vitam.

Obijcitur denuo; ex eo quod concluſum ſit, eſſe Perſonam ad hoc opus

consecratam, non protinùs esse conclusum, esse sacerdotem: cum ordinati sint plures, & alij maiores, alij minores, quorum quilibet esse possit. Respondetur nihilominus rectè conclusum esse. Maior enim Sacerdote nullus est consecratorum; cùm Episcopus (de quo solo posset esse quæstio) non sit nisi in ratione Sacerdotis maior: non quòd non sit ipsâ suâ ordinatione maior, sed quòd ordinatio ipsius sit dumtaxat gradus Sacerdotij; sicut effici virum est gradus quidam hominis.

Cùm enim euidens sit Episcopum ad nihil altius consecrari, quàm consecretur simplex Sacerdos; non potest rationabilier dici esse alium Ordinem Episcopatus à Sacerdotij ordine. Si enim alius est, celsior est; & si celsior, celsius opus ad quod consecratur; alioqui celsitudo ipsius in accidentali aliquo consistet, & non distinguet essentialitèr rationem Ordinis in Episcopo & Sacerdote.

Quod autem opus Episcopi non sit maius opere sacerdotis; patet tum in primario opere, quod est prædicatio-

nis, in quo ex institutione vtrique iubentur prædicare & dicere, *appropinquauit in vos regnum Dei*; hoc est, docere eos quæ ad regnum Dei spectant: sed & morem sese gerendi eundem accipiunt: solùm Apostoli, hoc est, Episcopi, erant priores, & vt constat, vbique propinquiores Christo, & superiores.

Secundarium quoque opus administrationis Sacramentorum, non est maius in Episcopo; cùm euidens sit, ipsa Sacramenta Ordinis & Confirmationis (quæ sunt reseruata Episcopis) ordinata esse ad Eucharistiam, quæ sine omni dubio est caput omnium Sacramentorum; & est commune Episcopis cum simplici Sacerdote; etsi antiquitùs non licebat Sacerdoti in præsentiâ Episcopi sacrificare.

Rursus & nomen sacerdotis & sacerdotij sunt æque propria nomina Episcopi, atque simplicis sacerdotis; neque est aliqua appellatio propria officij Episcopalis præter nomen sacerdotis. Et communis sensus fidelium tum nouæ tum antiquæ legis

non accipit Episcopum pro officio superiori; sed pro summo huius officij culmine; quasi quòd non aliud agat, sed selecta sacerdotij munia, præsertim prædicare; exemplo Christi, qui ipsemet non baptizabat, sed ipse prædicabat: & Pauli, qui testatur se non esse missum ad baptizandum sed ad euangelizandum. Tandem si Episcopus foret ratione Ordinis superior Presbytero, Presbyteri non possent concurrere ad ordinationem Episcopi: quod tamen antiquitùs esse factum testantur Hieronymus & Eutychius: & constat totum clerum solitum imponere manus Episcopo consecrando, in quo potissimùm constitisse consecrationem, patet ex Actis Apostolorum, & ex Græco nomine. Adde quod exinde remansit consuetudo vt Episcopus non sine tribus, qui imponerent manus, consecraretur. Numerus autem ternarius multitudinem repræsentat, quasi vice totius cleri hi tres manus imponant.

Rursus nullum minorum Ordinum habere rationem Sacramenti constat; cùm non sint à Christo immediatè

constituti. Patet enim Diaconatum ex occasione ab Apostolis introductum, absque aliquâ mentione mandati Christi Domini. Neque refert quòd Christus dicatur instituisse Hierarchiam ex Episcopis Presbyteris & Ministris: neque enim ex naturâ rei maior dat ministros inferiori, sed dat ei potestatem eos eligendi; & sic Christus intelligendus est constituisse Hierarchiam ex Ministris, inquantum imperauit vt Episcopi & Presbyteri sibi cooptarent ministros.

Præterea patet Diaconos non esse Ordinatos in primâ sui institutione ad ministerium mysticum & sacramentale, sed ad distributionem alimentorum publicorum; postmodum cum multitudo fidelium & maiestas cæremoniarum aucta foret, adhibitos esse ad sacramentorum ministerium. Quare palam est consecrationem eorum etiam non esse mysticam & sacramentalem, sed tantum Ecclesiasticam, & posse fieri à non sacerdotibus ex delegatione, si necessitas requirat.

Rursus cum ipsum Diaconi nomen

ſignificet miniſtrum ; & conſtet miniſtros magiſtratuum non eſſe magiſtratus ; conſequens eſt, neque Diaconos eſſe Hierarchas ; ſed pertinere ad Hierarchiam reductiuè, quaſi inſtrumenta Hierarcharum. Cum itaque Sacramentum Ordinis conſtituat gubernatores Eccleſiæ, & quaſi Patresfamilias ; vel Sacramenta Ordinis erunt duo, & quidem æquiuocè; vel Diaconi non erunt conſecrati ſacramentaliter.

Si verò Diaconatus non conferatur per Sacramentum ; à fortiori Subdiaconatus, & reliqui inferiores ordines, non erunt partes Sacramenti Ordinis, quos non conſtat vel ab ipſis Apoſtolis introductos. Neque refert quod aliqui eorum ſunt ad munera ſacra inſtituti; non enim ad aliud inſtituuntur, quàm vt ſint miniſtri, & ad munia denominatiuè à Sacramentis appellata ſacra ; quaſi quæ pertineant ad magis proprie ſacra.

Tandem euidens eſt, neque prudentiam quæ eſt ſpecialis virtus ordinatorum, requiri in miniſtro per ſe;

cùm non pertineat ad ipsum iudicare, sed imperata exequi: Neque quicquam supra vires humanas (qualia sunt habere potestatem in corpus Domini sive reale sive mysticum) ad quæ speciales gratiæ & dona requiruntur. Quare nullum est signum Sacramenti in his ordinibus.

LECTIO VII.

De Intentione Ministri, circa quid versetur.

ACcrescit protinus, quòd quoniam Minister est loquens & homo; etiam actio ipsius debeat esse humana, id est, ex cognitione & volitione profecta: talem autem solemus dicere intentam, seu ex intentione factam. Palam itaque est Ministrum intendere debere facere, quod facit, saltem quoad externam actionem. Sicut autem hoc clarum est, sic etiam liquet consideranti, nihil opus esse ad valorem Sacramenti intentione vlteriori.

In primis enim cùm Sacramentum operetur præcisè ex vi significationis verborum, quæ non est aliud, quàm ipsa entitas verborum; non pertinet ad ministrum aliud quoad substantiam effectus, quàm facere ipsam entitatem Verborum. Et tantundem est de entitate actionis. Siquidem igitur habet intentionem sufficientem ad hæc agenda, clarè habet intentionem sufficientem ad valorem Sacramenti.

Simile est, quòd omne instrumentum adhibetur ad faciendam actionem conformem naturæ suæ, seu quæ ex naturâ suâ competit ipsi: quicquid verò exuperat naturam instrumenti, ex impressione causæ principalis in instrumentum fit. Sic itaque cùm effectus intentionis totus præter externam actionem sit supra naturam hominis, verbi causâ causare gratiam vel deputationem nomine Dei; neque talis effectus, neque intentio ipsius, potest esse necessaria ex parte hominis.

Rursus, cùm Patres vnanimitèr profiteantur actionem Sacramenti

in animam proficiſci ex virtute diuinâ, & à Deo ſolo eſſe; poſito quod Miniſter habeat intentionem alicuius talis effectus, palam eſt non proptereà effectum magis proficiſci ab ipſo, ſeu ipſum eſſe magis quàm materiale agens reſpectu illius, quale eſſet ſine tali intentione. Euidens itaque eſt, talem intentionem nullum effectum habere; atque adeò non eſſe neceſſariam,

Adde quod Baptiſmi Athanaſij & aliorum puerorum per luſum exercentium Sacramentum, ab antiquis pro ratis habiti ſunt, ex eo quòd feciſſent, ſeu feciſſe ſe dixiſſent, quod in templo fieri vidiſſent. Cùm itaque non poſſit præſumi, immò neque facile credi de pueris, quod habuerint intentionem vlteriorem quam faciendi actionem exteriorem, neque quicquam ſcriptum ſit ex quo aliud deducatur, conſequens eſt, hanc ſolam intentionem requiri ex ſenſu Sanctorum, qui eorum actiones approbauerunt. Sed & Baptiſmus Iudæorum & Atheorum à Sanctis reputatur validus: & tamen quomodo

poteſt intelligi quod talis quiſpiam poſſit habere intentionem operandi quicquam ſupernaturale per ſuam actionem? cum non credat aliquid ſupernaturale eſſe in Eccleſiâ Dei, ſiuè aliud eſſe in Sacramento, quàm actionem externam. Clarum itaque eſt, ſenſum Sanctorum non requiſiuiſſe aliud quàm intentionem externæ actionis.

Confirmat hæc modus agendi humanus, cui non eſt dubium conformem eſſe actionem Sacramentorum. Si enim procurator faciat externam actionem in conciliando matrimonio; quis dubitat de veritate Matrimonij, vel examinat quam intentionem interiorem habeat? Quia ſcilicet effectus ab intentione agentis principalis, & non ipſius, pendet.

Similitèr in emptione; ſi procurator nomine Domini ſui emit, nemo dubitat, & Iudex declarat emptionem validam, & emptum eſſe Domini, vel inuito procuratore & deierante ſe ſibi & non hero emiſſe. Et quid manifeſtius quàm cùm per ſcripta res agitur? numquid etiam in

literis & chartâ requiretur propria & peculiaris intentio?

Cogit tandem ad hanc sententiam, enormitas inconuenientium quæ ex aliâ sequerentur in Ecclesiâ Dei; atque adeò totius Ecclesiæ incertitudo. Si enim Sacramentorum veritas ab insensibili intentione hominis pendeat, plusquam morali euidentiâ certum erit, nihil in aliquibus, si non in omnibus, regionibus certum esse. Quis respondeat de tot Mauris in Hispaniâ; Iudæis in Lusitaniâ; Hæreticis in alijs regionibus; Atheis & nequissimis hominibus vbique; qui ad Sacros Ordines prouecti sunt? quorum quilibet irreparabilem incertitudinem fecerit.

Cùm itaque vel recurrendum sit ad hoc vt Deus ex machina suppleuerit hos defectus, vel admittenda sufficientia intentionis externæ actionis; palam est non rectè consultum esse Ecclesiæ à Deo, si alia intentio requiratur. Adde quòd impossibile sit satisfacere hæreticis hoc pro Achille obijcientibus, vt quotidiè experimur; neque possit cuilibet prudenti

hæc examinanti eximi sollicitudo.

Neque sufficit recriminari formam & materiam pati suas incertitudines ex vitio sacerdotum. Nihil enim simile in ijs est. Et cùm sint externa, deprehensioni subiecta sunt; Neque excedunt defectibilitatem ordinariam rerum materialium; & per consequens, nihil notabilis vel scandalosæ incertitudinis secum afferunt.

Minùs insisti potest verbis Sacrosancti Concilij Tridentini; quæ neque quicquam dicunt in præiudicium huius sententiæ; & clarissimè intenta sunt contra Lutherum, qui eam propositionem vulgauerat, Sacramenta etiam per ludum perfecta, habere valorem & qualitatem Sacramentorum. Vnde leue valde est hoc fundamentum.

Sed quod acrius est, certum est hanc sententiam & agitatam in Concilio, & defensam post Concilium ab ijs qui interfuerunt Concilio; & Patres deditâ operâ abstinuisse à decidendis litibus scholasticis inter Catholicos. Vnde patet vrgentes Concilium, expresè contra intentionem ipsius agere, & sensum eius

non interpretari, ſed maliciosè peruertere. Quare nullam omnino authoritatem habere poſſunt.

Lepidum verò eſt, authores contrarios, poſtquam hanc ſententiam exagitauerunt, ipſoſmet eandem tueri. Si enim quæratur, qualem intentionem Miniſter debeat habere; aiunt, conſtituendi Sacramentum; quod clare fit per actionē externam; vel faciendi quod facit Eccleſia; quaſi Eccleſia non faceret, vel aliud faceret quam externam cæremoniam. Vnde minùs explicant qui requirunt, vt intendat facere Eccleſiaſticam cæremoniam, ſeu quod Chriſtus iuſſit, ſeu eſſendi Miniſter Chriſti: totum enim hoc in intentione faciendi externam cæremoniam continetur.

Sed putant maximè in Pœnitentiā euidens eſſe requiri intentionem aliquam interiorem; cùm Sacerdos agat vt Iudex & cognitor; & etiam in alijs vt diſpenſator; quæ non poſſunt rectè fieri, ſine iudicio & intentione vlteriori. Reſpondetur, non hîc quæri niſi de eo quod in ipsâ actione requiritur ad valorem. Sic itaque

que in Pœnitentiâ non requiritur nisi voluntas pronunciandi absolutionem; cætera autem prærequiruntur, & non pertinent ab hanc quæstionem; sicut neque vtrum intellexerit vel dormierit, dum pœnitens confiteretur.

LECTIO VIII.

De dispositionibus necessarijs suscipientium & Ministrantium.

ATtamen suscipientis (quanquam & ipse quoquo modo Ministri rationem videtur habere) non eadem est ratio; cùm neque propríe instrumentum sit; & per consequens, actio ipsius non ex alienâ intentione pendeat vel suppleri possit; & ad valorem Sacramenti necesse sit etiam actionem ipsius esse humanam, & ex intentione procedere. Necesse itaque est ipsum habere intentionem vlteriorem quàm solius actionis externæ.

Cùm enim Sacramentum sit qui-

dam quasi contractus inter Deum & hominem; Deus enim naturam humanam conformiter ad leges libertatis gubernat, neque cogit quemquam ad legem suam. In Sacramento itaque suscipiens edit professionem illius actionis ad quam Deus illum eligit & acceptat. Quare euidens est, saltem in communi, debere intelligere supernaturale aliquid ad Christianam vitam pertinens peragi.

Sed quoad qualitatem intentionis, è conuerso accidit. Necessum enim est in ministro intẽtionem esse actualem; in suscipiente verò sufficit habitualis: quia actio non procedit nisi ab agente, quod sit in actu secundo; materiei verò sufficit habitudo actus primi; qui quodammodo est proprius actus potentiæ; actus verò secundus seu motus prouenit ab agente in ipsum.

Ex his patet, si minister præuideat se in somno ministraturum aliquod Sacramentum; & vigilans immittat sese circumstantijs; non propterea Sacramentum fore validum. Cum

dormiens ex ligatione ſenſuum, non ſit in actu ſecundo animal rationale; etſi enim aliquatenus ratiocinetur, non tamen eſt abſolutè ita potens iudicij ſui, quomodo homo ſecundum naturam conſtitutus natus eſt eſſe; ſed ſi incidat quidpiam eorum ſecundùm quæ ligatus eſt, errat, & miſcet falſa veris.

E contra ſufficit in ſuſcipiente voluntas non retractata: Et ſi conferretur Sacramentum huiuſmodi dormienti, vel ſopito vi morbi, aut alio modo, Sacramentum validè collatum foret. Immo Baptiſmus & Confirmatio validè conferuntur propter vota parentum, aut aliorum in quorum poteſtate ſunt infantes quibus miniſtrantur. In cæteris verò Sacramentis non incurreret obligationem aliquam ſuſcipiens ex tali adminiſtratione. In his verò obligatio eſt, ex eo quòd ſalus ex voto Sacramenti neceſſariò pendeat; & per conſequens, perit ſuſcipiens ſi repugnet. Tenetur itaque etiam alieno voto, quia & citra illud tenetur.

Oportet tamen voluntatem ſuſci-

pientis fuiſſe formalem, id eſt, de hoc Sacramento in particulari; & talem, vt voluntas non ſuſcipiendi Sacramentum non poſſet ſimul conſiſtere. Alioquin non eſſet vera voluntas Sacramenti; neque inferret aliquam obligationem ad eas actiones ad quas ex vi ſacramenti ſpecialitèr obligatur: quæ tamen eſt de eſſentiâ ſacramenti, & primarius effectus, quo non poſito, Sacramentum non eſt validum.

Patet conſequentèr ſuſcipientem Sacramentum ex naturâ rei debere eſſe ſanctum. Cùm enim profeſſio, ſeu ſponſio cuiuſlibet virtutis coniunctæ cum charitate, ſit conſequentèr profeſſio & ſponſio charitatis; vera autem ſponſio charitatis ſine charitate ipsâ non poſſit conſiſtere; fit non fieri ſacramentum quomodò oportet, & cum reuerentiâ debitâ, niſi ab eo qui vel actualitèr vel habitualitèr ſit in charitate.

Cùmque Miniſter teneatur ex parte Dei cauſare talem diſpoſitionem in ſuſcipiente, quem facit hoc profiteri : charitas autem non ſit nata

proficiſci niſi ab eo in quo eſt (agens enim agit, in quantum ipſe eſt actu) clarum eſt Miniſtrum à fortiori teneri eſſe in charitate quando miniſtrat Sacramentum; & ipſum ex charitate adminiſtrare. Et quoniam ſuſceptio Sacramenti eſt notabilis actio, & pertinet ad illuſtrem partem vitæ noſtræ; palam eſt hunc defectum ex vtraque parte eſſe notabilem & inſignem, & ex genere ſuo mortiferum.

Patet hanc doctrinam non extendi ad miniſtros actionum materialium tantummodo; ad quos non pertinet inducere charitatem in ſuſcipientem; verbi gratiâ ad Diaconum miniſtrantem corpus & ſanguinem Domini; ad inſeruientes Miſſæ; & vniuerſim ad inferiorum Ordinum exercitatores. Extenditur tamen ad prædicatores, qui niſi ex affectu charitatis loquantur, non ſunt idonei ad ſimilem affectum in auditore permouendum; iuxta illud, *Si vis me flere, dolendum eſt primum ipſi tibi.*

Patet conſequenter in quo conſiſtat ſacrilegium quod cõmittitur impertiendo ſacramenta indignis. Quia

ſcilicet concurritur ad ſacrilegium illorum quo ſeſe ingerunt. Patet etiam non eſſe reijciendos niſi publicos peccatores. Cum enim Miniſter iudicis locum habeat, neque concurrat ad eorum ſacrilegium niſi quatenus tenetur impedire & agnoſcere; neque publicus Miniſter hoc debeat vel poſſit, niſi cum vel crimina ſunt de ſe publica, vel ſufficienti probatione conſtant; clarum eſt, neque poſſe reijcere publicè peccatorem, quem non poſſit publicè traducere.

Veruntamen hæc indignitas, ſiue Miniſtri, ſiue ſuſcipientis, non inualidat Sacramentum, modò non auferat poteſtatem Miniſtri, vel intentionem ſuſcipientis. Et inde eſt, quod Sacramenta dicuntur reuiuiſcere & valere ad ſalutem, poſt pœnitentiam ſuſcipientis. Cùm enim illud quod diximus vocari ſimul ſacramentum & rem Sacramenti, efficiatur, & ſit neceſſarium ad vitam Chriſtianam, & pertineat ad gratiam ſanctificantem; palam eſt, illud poſitis diſpoſitionibus congruis, valere ſuſcipienti ad

salutem, & mediante illo, ipsum sacramentum.

Habetur quoque ex dictis, omnem actionem sacramentalem, esse actum potestatis seu iurisdictionis; quare & Ordinem idem esse ac potestatem seu principatum. Ex quo sequitur, nullum actum sacramentalem validè perfici nisi ab habentè similem potestatem. Ex quo rursus clarum est, si quando actus Sacramentalis perficitur ab alio quàm à Sacerdote, fieri in virtute ratihabitionis sacerdotalis, seu ex voluntate Ecclesiæ; sicut accidit cum quilibet sacerdos absoluit in articulo mortis.

Ex quibus iterum colligitur, ex vi ordinis tribui sacerdoti potestatem in vniuersum orbem diuisiue, id est, in quaslibet personas quas adit & contingit: cùm nulla ei limitata portio assignetur, & tamen potestatem accipiat. Sicut & à principio in Apostolis & primis prædicatoribus vsu exercitatum esse, & Sacræ literæ, & historia Ecclesiastica demonstrat; neminem scilicet non prædicauisse, & Ecclesias constituisse, vbi-

cumque necessitatem inuenerunt.

Vnde infertur inualiditatem aliquorum Sacramentorum, ex diuisione Ecclesiasticâ prouenisse; ex quâ factum est, vt alius Episcopus vel sacerdos non habeat potestatem in homines assignatos alteri, extra casus quosdam exceptos. Patet itaque, sicut in Matrimonio inualidato contractu, irritatum etiam esse Sacramentum: sic etiam in reliquis, subtractâ materiâ potestatis, Sacramenta manere nulla. Et quoniam iurisdictio seu potestas requiritur ad omnia Sacramenta; idem posse in omnibus per Ecclesiam (si ipsa volet) perfici.

Et hinc clarum est, quemuis Episcopum, vel sacerdotem, aduenientem in regionem, vbi nulla dum est diuisio Ecclesiastica, ex vi sui Ordinis, posse quælibet officia Episcopalia & sacerdotalia in illâ obire; neque aliter prohiberi posse, quam appropriatâ tali terrâ alicui Pastori proprio; hoc est; factâ diuisione ipsius à reliquis Ecclesijs.

LECT

LECTIO IX.

Quomodo Sacramenta conferant gratiam ex opere operato.

ELicitur ex suprà dictis, quòd quoniam Sacramentalis actio est designatio ad certam virtutẽ: designatio autem significat cæremoniam quandam quæ ponitur initium vitæ in eo genere virtuosæ: hæc cæremonia habeat vim permouendi hominem ad actum talis virtutis; & per consequens, si dignè & congruâ cum dispositione sumatur Sacramentum, re ipsâ elici ab adulto talis virtutis actum, ex vi ipsius externæ cæremoniæ.

Et quoniam omnes hæ virtutes habent intrinsecum ordinem ad charitatem, & connexionem cum eâ; etiam actum charitatis elici à suscipiente ex vi susceptionis Sacramenti; & talem actum procedere à Ministro mediante Sacramento, non mi-

nus, neque alio ferme modo, quàm quo ſcientia diſcipuli procedit à Magiſtro, mediantibus verbis, &, ſi opus eſt, figuris propoſitis quibus, apprehenſiones format in ipſo.

Vnde apparet eos qui fingunt Deum, certum gratiæ gradum infundere animæ mediante actione Sacramentali, vltra illam quæ correſpondet diſpoſitioni recipientis; & quidem gratiæ habitualis inſenſibilis, cuius quantitatem ipſe ſolus nouit, quique ſit æqualis in omnibus; admodum craſſe theologari, & nimis ex mercatorio vſu Myſteria fidei, quæ ſunt implantata naturæ, explicare.

Obijcies, Doctores Theologos qui Sacro Concilio Tridentino interfuerunt, omnes vnanimiter ſic intellexiſſe Concilium; vel magis ſuggeſſiſſe Concilio, quaſi vnanimem Theologorum, & per conſequens Sanctæ Eccleſiæ, ſententiam; atque adeò Concilij Patres in hoc ſenſu definiuiſſe; & canones ſic eſſe intelligendos & credendos.

Reſpondetur, definitiones Conciliorum non ex Scholaſticorum ſententiis qui interſint, ſed ex inſpiratione Sancti Spiritus, & ſenſu Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum, eſſe æſtimandas; neque rationes, ſed ipſa dicta, & verba, penſanda eſſe; quæ ſi penſentur, apparebit noſtra ſententia nullatenus ab integrâ vi illorum deficere; & præterea eſſe longe rationabilior, & rerum naturis, & diuinorum operum ordini magis conſentanea.

Adde quod nullatenus probabile ſit, omnes Doctores conſpirauiſſe in ſententiam, quæ nullum habeat fundamentum in Sanctis Patribus; ſed à phraſi ipſorum ſit prorſus aliena: vt qui Deum ſolum in animam agere declarent. Sed & conſtat lites & explicationes ſcholaſticas Patribus moleſtas fuiſſe, & quandoque reprehenſas; Patrumque ſenſum & phraſim, & ad ſummum Sancti Thomæ loquendi modum, ab iis vſurpatum.

Sed & cùm Concilium deditâ operâ abſtinuerit à quæſtionibus inter

Catholicos, non est vllo modo verisimile, illud talem sententiam esse amplexum, in quâ supponantur tot Metaphysica dogmata; puta, distinctio realis gratiæ à charitate & ab animâ; infusio habituum immediatè à Deo; & quidam actionis & influxus, seu producendi gratiam modus Metaphysicus vel potiùs fictitius; quæ fidem confundere nata sunt, magis quàm explicare; sed & graduum charitatis distinctio.

Tandem Concilium Tridentinum docet in Sacramentis gratiam dari proportionalitèr ad dispositionem suscipientium; quod non consistit cum hâc sententiâ. Sint enim duo suscipientes, quorum dispositiones sint, alterius vt duo, alterius vt tria; & singulis addatur ex vi materiali Sacramenti citra meritum suscipientis, vnus gradus gratiæ; vnus habebit tres gradus gratiæ, alter quatuor. Sed trium ad quatuor alia est proportio, quam duorum ad tria; non itaque cum hâc sententiâ consistit dari gratia iuxta dispositionem recipientium. Prætérquam quòd ipsa

ſentẽtia ex diametro opponatur huic definitioni ſacroſancti Concilij: cùm hæc dicat gratiam dari iuxta diſpoſitionem recipientium; illa verò vltra eandem, id eſt, non iuxta illam.

Petes: quid ergo Concilium intendit per eas voces, *ex opere operato*? Reſpondetur per has voces intelligi ipſam executionem actionis ſacramentalis; & non ſolum votum, vel ſuſcipientis à ſeſe præparationem, concurrere ad gratiam. Cùm enim antiqua Sacramenta formalitèr ad benedictiones temporales tenderent, & tantùm allegoricè ad virtutes ſolidas; executio illorum ex vi ſuâ non tribuebat virtutem ſolidam. Cùm verò Chriſtiana Sacramenta formaliter ad virtutes & charitatem ferantur; ipſa executio eas auget, ex vi & proprietate ſuâ. Et hæc explicatio ſolida eſt; & videtur propria intentioni Concilij; quòd præmittit inefficaciam Sacramentorum veteris legis; quæ non continebant, ſed purè ſignificabant, gratiam. Poteſt tamen etiam dici ſenſum ſacroſancti Concilij eſſe quem ſupra explicuimus; vt *ex opere opera-*

10, significet voces & actionem sacramentalem, (ex eo quòd sint voces & actio Christi; & per consequens, ordinatæ à virtute & mente diuinâ) continere in se, & explicare & exercere ipsam potentiam diuinam, æquè efficaciter, atque scalprum ordinatum ab arte statuarij, ideam ipsius imprimit ligno vel lapidi quem fingit. Vnde patet, nullum verbulum nullamuè similitudinem profanitatis illius vt gratiæ proprius gradus debeatur actui externo, in Concilio apparere.

Considerandum autem venit in illâ sententiâ, quod nouum miraculum introducit; puta quòd qualitas spiritualis immediatè fit, & anima spiritualiter immutatur à corporeo agente absque proprijs actibus. Quale miraculum non potest cognosci à nobis absque speciali reuelatione; & quidem expressâ; qualis non habetur, neque prudenti persuasibilis est, sine argumentis irrefragabilibus.

Deinde innumeras quæstiones difficiles & inutiles sequi, de loco, tempore, & quantitate, collatæ gratiæ

Vtrum duæ ſpecies plus conferant quam vna? vtrum maior hoſtia plus minore? vtrum toto tempore quo eſt in ſtomacho? vtrum comeſtio ſit in certâ parte gulæ? in quibus & multis alijs per inſulcas ſolutiones grauia inconuenientia ſequuntur: vt quòd calix iniuſtè ſublatus ſit à populo; & alia plurima.

Ad hæc manifeſtè contrariatur experientiæ; quæ docet tepidè, etſi non indignè accedentes, nihil ſenſibiliter proficere; etſi ſingulis diebus accedant ad Sacramenta: eos verò qui multùm & ſerio laborant in ſeſe præparandis, quanquam non ſemel ampliùs in menſe accedant, meliores inde effici; & quo frequentius cum iuſtâ diſpoſitione accedunt, eò plus proficere: vt acceſſio frequens videatur commendanda propter diſpoſitionem, magis quàm è contrà.

Sic quoque teſtatur antiquorum Sanctorum praxis, qui totos & quidem plures ſæpe annos abſtinebant; vt patet in Anachoretis; quod noſtro ſæculo ſcandaloſum foret; vt viſum eſt aliquando. Adde quòd ſacroſan-

cta Concilia, aliquando etiam in articulo mortis, prohibuerunt Sinaxim sacram dari pœnitentibus; expectantia maiorem fructum ex eâ humiliatione, quàm ex sacrâ communione: Quod non potuissent facere, si præter dispositionem gratia conferretur.

Quid dicam de vitiosâ Theologiâ: quod huius sententiæ Patroni, videantur neque naturam meriti nouisse; quæ consistit in connaturali vi actuum nostrorum circa charitatem; neque augmentum charitatis, vbi maior semper continet minorem, neque sicut in nummis alia pars eiusdem valoris potest addi priori. Quid, quòd gratia non est ipsum præmium nostrum, vt illi Philosophantur; sed medium ad præmium: & totus locus ex conductione operariorum, quæ non nisi Metaphorica est, traducitur.

Attamen quod his omnibus deterius est, grauissima inconuenientia in Ecclesiam Dei inuehuntur ex hâc crassâ sacramentorum interpretatione. Inprimis redduntur fideles negligentes in dispositione ad Sacramenta;

credunt pecunijs emi gratiam; ſacerdotes ignorantes & ſcandaloſi ad ſupplendum populo Miſſarum numerum multiplicantur; & dignitas, quæ imperium orbis terrarum ſuâ vi meretur, vulgatur triobolaribus hominibus, & fit artium contemptibiliſſima. Fœdatur Hierarchia; mulierculæ præſcribunt Officia Eccleſiaſtica; hoc habitu, his collectis, fiet hodiè officium diuinum. Reuerentia populi erga Magiſtros fidei perit. Nihil creditur ex authoritate dicẽtium, ſed pro voluntate audientium. Denique paulatim tota fidei & vitæ Chriſtianæ acrimonia & vigor, marceſcit & euaneſcit.

Neque mirum; cùm hæc ſententia, vitam & perfectionem Chriſtianam, quæ in culturâ animi & in bonis actibus conſiſtit, transferat in ritus & ſuperſtitionem paganam, quâ credantur certa opera externa placere Deo, & efficere (vi quaſi magicâ) bonitatem, non niſi violentiâ intenſi affectus rapiendam. Quare euidens eſt hanc ſententiam magis facibus abolendam eſſe, quam argumentis.

confutandam; vt quæ neque fundamentum considerabile habeat; & sit consequentiæ extremè perniciosæ Ecclesiæ & pietati Christianæ; & directè opposita sacris Concilijs.

LECTIO X.

De Necessitate Sacramentorum.

EX declaratis, aperta est via ad necessitatem Sacramentorum intelligendam; modò quæstio sit quomodo necessaria sint supposito hoc Ecclesiæ ordine, quem Christus Dominus actu posuit. Palam enim est, eum potuisse alium aliquem effinxisse, in quo nihil horum esset ad salutem requisitum; quo in casu nullum horum Sacramentorum, quoad externam figuram, esset necessarium.

In primis itaque patet quicquid est necessarium necessitate præcepti, idem esse necessarium necessitate medij. Cum enim in rectâ gubernatione, nihil præcipiatur, nisi quia vtile est subjectis, propter quos est

ipsa gubernatio; consequens est, omnia, quæ ratione præcepti sunt facienda, maximè si à Deo ponatur esse imperata, habere talem proportionem ad vitam subditorum, vt agenda fuissent, etiam citra vim præcepti, si vtilitas eorum cognita fuisset: quod est fuisse necessaria necessitate medij.

Rursus neque quicquam est ratione medij necessarium, quin sit etiam ratione præcepti. Cùm enim quod est necessarium ratione medij, sit necessarium propter commoda quæ sequuntur factionem, & incommoda quæ sequuntur omissionem; quæ ponuntur esse nobis cognita: palam est, sub præmio & pœnâ esse nobis intimatum à Deo vt illa agamus. Neque quicquam alitèr præceptum est, nisi quia cælum facientibus, infernum omittentibus, promissa sunt.

Ex quibus deducitur, omnia & singula Sacramenta toti Ecclesiæ esse necessaria, tum necessitate medij, tum præcepti. Cùm clarum sit, necessarium esse naturæ humanæ per symbola exteriora rectificari interiùs & excoli quoad animam. Cùm ita-

que toti Ecclesiæ omnes virtutes sint necessariæ, consequens est etiam Sacramentorum culturam, illi adeò esse necessariam in hâc à Christo institutâ Ecclesiæ politiâ, vt notabilis pars peritura esset, quæ iam saluabitur, si quodlibet horum Sacramentorum aut non fuisset institutum, aut negligatur. Et quod de totâ Ecclesiâ, hoc idem de singulis ipsius partibus seu Diœcesibus, eodem argumento euidens est: cùm vtilitas Sacramentorum, virtutis suæ sphæram, in vnâ diœcesi habeat.

Hoc etiam manifestum est, nullum Sacramentum, prout dicit externum signum, esse necessarium necessitate medij, actu & in executione. Cùm enim signum tantummodo sit ad efficiendam deuotionem internam, quæ est res Sacramenti; non sit autem vnicum medium ad illam, saltèm in adultis & vniuersaliter: fit euidens, ipsam externam cæremoniam in actu non requiri in plerisque. Vnde videmus ea quæ sunt maximè necessaria, vt Baptismum, aliunde suppleri.

Nihilominus cùm affectus virtutis propriæ cuiuſque Sacramenti, ſit etiam affectus Sacramẽti quoad remi quia quoad vitam ſpiritualem illa eſt ſubſtantia Sacramenti, & eſſentialis ratio eiuſdem; non poteſt dubitari quin neceſſarium ſit cunctis proportionaliter habere in voto, vt vocant, Sacramentum; hoc eſt, talem virtutem. Verbi gratiâ, vt qui miſcet ſeſe gubernationi Eccleſiæ, Ordinem in voto habeat: qui fæminam tangit, Matrimonium; & ſic de cæteris.

Attamen quia & nos ex corpore & animâ conſiſtimus, & proinde ſecundùm vtraque ſanctificari nati ſumus; & quia virtutes mediantibus corporis actionibus (maximè Sacramentalibus) in nobis perficiuntur, & inſtituta ſunt Sacramenta ad communitatem vitæ Spiritualis Politicæ, quam colere naturæ noſtræ conſentaneum eſt: non poteſt dubitari quin vnuſquiſque teneatur Sacramenta ſuo ſtatui congrua ſuſcipere & deſiderare; etiam quoad externum ſignum.

Et quia appetentia virtutis Sacramentalis fertur ad virtutem & Sacramentum per modum vnius complete sanctificantis secundùm corpus & animam; & in huiusmodi, externus actus habet quasi rationem totius & obiecti, internus verò rationem modi & qualitatis externæ actionis; palam est, votum tale sanctificare ex vi ipsius externi signi; & per consequens, etiam externum signum in voto esse necessarium singulis Personis necessitate medij, quibus respectiuè necessariæ sunt ipsæ virtutes appropriatæ Sacramentis.

Ex quibus habetur, cur contritio sit magis votum pœnitentiæ, quàm alterius actionis necessariæ; verbi gratiâ, Restitutionis; cùm enim Pœnitentia sit propius actus externus contritionis; Restitutio verò, tantum aliquid consequens; clarum est non hanc, sed illam formalitèr concupisci. Notum quoque est votum Sacramenti non Sacramétaliter sanctificare, cùm hoc significet per externam cæremoniam sanctificare; quod certè non fit formaliter.



INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS inædificatarum.

LIBER SECVNDVS.

De Angelorum naturâ, & ministerio.

LECTIO I.

Quòd sint Angeli, & quem ordinem habeant in Vniuerso.



CVm ex suprà dictis constet, genus humanum ad orandum Deum tot accepisse auxilia, consecrationes, sacerdotes, sacrificium, nomina & pignora maximâ charitatis & be-

neuolentiæ; præter exhortationes & promissiones Christi Domini: Cumque oratio fidem, spem, & charitatem in Deum exerceat & augeat; in quibus vitæ nostræ ratio consistit: quid superest, nisi vt omnia sibi necessaria & vtilia à Deo postulet, & exorare non dubitet?

Porro si hæc diuinæ prouidentiæ est institutio, vt conformitèr ad humanæ naturæ leges & consuetudines, eam in finem suum suauiter & fortitèr perducat; inter homines verò nemo accedit ad rogandum nisi talem à quo expectat id fieri quod rogat; palàm est etiam Deum, qui homines per orationem ad beatitatem perducere machinatur, etiam hoc debere præstare, vt sæpe id fiat quod rogant: sintque proinde secundæ causæ, per quas perficiantur quæ iuxta qualitatem talium orationum expedit fieri.

Palam autem est, simplices fideles magnâ fide, & tali quæ recusari non potest absque præiudicio diuinæ promissionis, & methodi, per quam natura nostra trahitur ad diuina, & quâ

maior

maior non inuenitur fere in Ecclesiâ; sæpe petere quæ per causas naturales exhiberi non possunt; maximè corporis sanitatem. Clarum itaque est, ordini diuinæ gubernationis conuenire, esse causas aliquas præter ordinarias has corporeas quas videmus, ad immutandum ordinem causarum naturalium in eiusmodi articulis.

Sed & vniuersalitèr considerando preces Ecclesiæ, si nihil earum intuitu fit, nisi quod ex præinstitutâ causarum serie euenturum erat, frustraneæ videntur & nullum effectum sortiri. Sin inuertatur ordo naturæ ab ijs tanquam causis & præcedentibus, patet frequentes esse, etsi non visibiles, naturæ mutationes; & per consequens, consentaneum esse dispositas esse causas quæ hoc (cum opus fuerit) præstent ordinatè & regulariter.

Rursus cùm Christianæ religionis ratio in eo potissimè sita sit, vt omnes actiones & cogitationes nostras reuocet ad Deum & diuina; natura autem sensibus ducatur; si nunquam accidat visibile & notorium, quod possit iudicari præter causas obuias à

Deo prouenisse, palam est euanescere paulatim & sensim opinionem necessariam de Deo omnia in nobis operante: quare manifestum est, ad fidem tutandam oportere nunnunquam extraordinaria signa conspici.

Tandem cum ipsa fides sit rerum non visarum, & quæ authoritate constare debeant; perspicuum est, eam neque sine operibus supra ordinem consuetum naturæ exercitis, per quæ authoritas conciliaretur prædicatoribus, plantari potuisse: & ex suâ ratione nouum quendum ordinem in rerum naturam inferre. Vnde effectus etiam à naturali ordine extraneos, & producere, & a Deo producendos requirere. Constat itaque debere esse causas aliquas secundas, ad hæc agenda, connaturaliter constitutas.

Hæ causæ cùm neque corporeæ esse possint, (tales enim seriem ordinariam causarum integrant) neque adesse possint quasi è machinâ; neque cognoscere quando ijs opus sit orationum causa: neque animæ à corpo-

ribus abſolutæ (tales enim non niſi per ſua corpora agunt in alia) Deus autem immediatè non præſtet quæ per motum fiunt, conſequens eſt, ex eo eſſe numero quos Intelligentias Philoſophi appellant; ſuntque puri Spiritus, ſeu cognoſcitiui eſſentialitèr: & quidditas earum ex cogintionis ratione cognoſcenda. Tales autem Theologi conſueuerunt Angelos appellare.

Cum itaque notum ſit, cognitum ſecundum totum ſuum eſſe & exiſtere, fieri aliquid cognoſcentis per cognitionem; ita vt cognoſcens ſit quod erat, & nouum poſſe accipiat: Palam eſt angelicam naturam à corporeâ in hoc diſtingui, quòd corporea compoſita ſit ex partibvs componentibus ſubiectum exiſtentiæ: & quodcumque aduenit ipſi non poſſit eſſe ex ſeſe exiſtens, ſed pars exiſtentis: Angelus ſit ipſemet exiſtens, & capax alterius exiſtentis abſque præiudicio exiſtentiæ vtriuſuis.

Ab animabus verò ſeparatis diſcernitur, ex eo quòd quæ cognoſcuntur ab ijs, ſunt accidentia logica reſpe-

ctu ipsius; hoc est, talia vt possit contingere actu abesse, & non insint nisi meritò causæ efficientis extrinsecæ agentis in ipsam iam existentem: Angelo verò cognita connaturalitèr & inseparabiliter insunt ex vi creationis ipsorum, neque sint aliquæ causæ quæ separare ea possint; vel tempus in quo non fuerint, adeò vt sint Propria (non accidentia) Logicè loquendo.

Penitiûs autem consideranti apparet, quòd quoniam primum obiectum cognitum est ipsa essentia cognoscentis; consequens est, cætera cognita esse in cognoscente quasi modos & terminos essentiæ ipsius: verbi gratiâ, vt causas, effecta, coordinata &c. Vt sicut color & densitas & sapor in corporibus, non sunt aliud quam modi & determinationes quantitatis & partium eius; sic in Angelo vel animâ separatâ, cætera cognoscibilia non sint nisi concomitantia existentiarum ipsorum.

Vnde sicut euidens est, cognitionem sui esse quandam reflexionem existentiæ suæ super se, & accidenta-

lem quandam reduplicationem & exercitationem ipſius: ſic non minùs euidens eſt, cæterorum cognitorum eandem eſſe rationem, & per conſequens, cognitionem vt ſic, non eſſe aliud quam exercitium eiuſdem exiſtentiæ ſuprà ſe; ex quo fit, vt poſſit cognoſcens quaſi exprimere & effundere ſuum eſſe in alia; cùm corpora non agant niſi eſſendo id quod ſunt.

Ex quo accipitur ordo Angelorum in entibus. Cùm enim Deus ſit eſſentialiter exercitium ipſius exiſtentiæ ſupra ſe: Angeli ſunt diuiſibilitèr & neceſſariò exercentes eſſe ſuum ſupra ſe: animæ ſeparatæ hoc idem habent, ſed accidentalitèr, & non ſine motu præcedente. Corpora verò ſunt purè entia ſine vlla reflexione ſiue exercitio ſuæ exiſtentiæ ſupra ſe: ſed exiſtentia ipſorum à mouente quaſi exercetur ſupra alia, quæ mouentur per ipſa.

Ex quibus patet, in quo conſiſtat actiuitas Angeli: in eo ſcilicet, quod prætèr conſeruationem eſſentiæ (in quâ includitur actualis eorum cognitio) non indigeant aliâ præmotione;

ſed poſitis circunſtantijs ex vi eorum quæ habent, exeant in actum; quod & anima ſeparata faceret, ſi haberet proprium inſtrumentum, puta, corpus ſuum. Anima verò in corpore, monitione indiget, vt ſciat poſitas eſſe circumſtantias; & etiam tunc, communi motione corporum præueniente ipſam ſecundùm corpus.

LECTIO II.

De Obiecto Cognitionis angelicæ.

CLarum eſt ex dictis, quòd quoniam in artificio affabrè concinnato, nihil vnum eſt, quod non ab alio pendeat, & ad aliud ſit neceſſarium; mundus autem ſit opificium Dei: ſingula à ſingulis mediatè ſic pendere in mundo, vt quolibet mutato imperfectus foret mundus. Conſequens itaque fit, angelicam cognitionem, per hoc quòd ſit omnium connexorum cum exiſtentiâ Angeli, eſſe abſolutè omnium exiſtentium.

Rurſus cùm nihil non exiſtens pu-

re; ſeu pro nullo tempore, connecta-tur ſecundùm exiſtentiam ipſi Ange-lo; neque poſſit eſſe aliquis modus & terminatio ipſius: patet non minùs nihil non exiſtentium ab Angelo cog-noſci. Enimuero ſi vel vnum quid-piam non exiſtentium cognoſceretur, neceſſe foret omnia connexa cum ip-ſo cognoſci. Cumque foret pars al-terius mundi (in hoc enim exiſtere non poſſet) ex neceſſitate Angelus alium mundum integrum cognoſce-ret, neque vllus eſſet finis cognoſcẽdi quælibet poſſibilia; atque adeò ſim-pliciter eſſet infinitæ cognitionis.

Neque propterea cognitio huma-na eſt perfectior angelicâ; ſed magîs imperfectior. Primò quia cognitio non eſt perfecta niſi terminetur ad exiſtentiam; quæ ſicut entis eſt maxi-ma perfectio, ſic & cognitionis: vnde eſt quòd veritas quæ eſt perfectio cog-nitionis non reperitur niſi in iudici-is. Et patet abſolutè loquendo, ni-hil cognoſci ab homine dum purè poſſibile, cognoſcitur. Quare neque homo propriè cognoſcit purè poſſi-bile: neque huiuſmodi imperfecta

cognitio ponenda est in Angelo.

Rursus pure possibile tantummodo cognoscitur per simplices apprehensiones, vel certè per iudicia quæ sint de ordine simplicium apprehensionum. Vnde copula, seu τὸ *esse*, in quo consistit vis propositionis, æquiuocè dicitur in similibus propositionibus, & in propositionibus de verè existentibus.

Quare cùm hic modus cognoscendi ex imperfectione procedat, non est ponendus in Angelo: Præterquam quòd neque vtilis est scienti existentia. Neque homines particulare aliquid sic cognoscunt: sed vniuersalia, quorum aliquod particulare existit in naturâ, & cognoscitur ab Angelo.

Sed neque sic intelligendum est Angelum non cognoscere purè possibilia, vt si vellet, non posset quidlibet fabricare, vel mouere eorum, vel ea gubernare, si fierent, æquè atque existentia: scientia enim quam habent, est deriuabilis ad quælibet alia, supposito quod existerent, & connexionem acciperent: non solum

sicut

ficut humana ſcientia propagatur per diſcurſum; ſed ſicut quæ in habitu habet homo, poteſt cogitare cùm voluerit, etſi non actu cogitet.

Cùm enim Angelus omnia principia cognoſcendorum habeat; neque ab extrinſecis agentibus natus ſit pati; ſed ex ſolâ creatione ad integram cognitionem perducatur; non deeſt Angelo niſi cognitio in actu ſecundo: quæ vt ſine mutatione non poteſt introduci, ſic talis immutatio ex vi creationis, poſitâ connexione obiecti, abſque nouâ actione nata eſt ſequi. Vnde magis vicinus eſt Angelus illi cognitioni, quàm homo dormiens cogitationi; cùm cauſa ſit actu, & actu determinata ad hanc cognitionem faciendam, modo obiectum foret cognoſcibile, id eſt, habens connexionem cum eſſentiâ Angeli.

Petes an de Deo ſimilitèr loquendum ſit? Reſpondetur in rigore logicò dicendum eſſe, Deum non cognoſcere purè poſſibilia. Cùm enim ſcientia includat relationem, quæ non poteſt à parte Dei eſſe realis; neque à parte creaturæ non exiſtentis poſſit eſ-

ſe reale fundamentum relationis *de dici* ponendæ in Deo; patet Deum in rigore non poſſe dici cognoſcere purè poſſibilia. Sed cauendum eſt ne offendantur puſilli non intelligentes vim vocis.

Cum enim poſſibilium eſſe quod habent, ſit in Deo vel cauſis ſecundis quæ comprehenduntur à Deo; palam eſt ea cognoſci quantùm cognoſcibilia ſunt; & quantùm ipſa exiſtentia (quæ non cognoſcuntur niſi quaſi partes Dei) quantùm eſt ex parte Dei. Vnde ſi ponerentur eſſe, nihil mutationis foret in Deo formaliter in ſciétiâ vt ſcientiâ; ſed tantùm materialiter, ex eo quòd decretum eſſet in Deo quod iam non eſt; nihil autem ex vi obiecti; ſed tantum ex mutatione entitatis diuinæ præcedentèr ad obiectum. Vnde perfectior eſt cognitio Dei quam Angelorum reſpectu non exiſtentium.

Ex dictis colligitur, inter diuiſibilitates cognitionis angelicæ, ſiue inter cognitionesplures angelicas, eſſe connexionem ſeu deriuationem talem, qualis eſt inter plures demonſtratio-

nes ſeſe inuicem ſequentes; in quibus prior includit poſteriorem vel adæquatè, vel coniuncta alijs præcognitis.

Euidens eſt ex præfatis, ſub angelicam cognitionem cadere ſingularia materialia, futura contingentia, & actus ſpirituales hominum, quæ ſolent dici ſecreta cordium. Cùm enim hæc omnia ex perpetuâ connexione cauſarum precedentium pendeant; neceſſe eſt vel aliquam priorum eſſe ignotam; vel connexionem, quam habent inter ſe. Vnde euidens eſt, vel hæc cognoſci, vel plura preter hæc eſſe ignorata; neque poſſe eſſe naturalem aliquam rationem, cur hæc magis cognita ſint Angelis quàm alia.

Deinde, quæ dicuntur ſecreta cordium, patet eſse demonſtrabilia tum à priori tum à poſteriori; videlicet, & per motus corporeos phantaſmatum; & per motus ſpirituum circa cor; quorum alter eſt neceſsariò præcedens, alter ſubſequens Tantundem eſt de futuris contingentibus, ſi cauſarum integra ſeries accipiatur. Immo cùm quolibet antecedente muta-

to, ingens ſeries ſequētium mutetur; fiet nihil ferè comprehenſiuè poſſe cognoſci, ſi quodlibet horum ignoretur. Quare fatendum eſt hæc cognoſci ab Angelis.

Mirum autem eſt, quibus euaſionibus eludere conentur vim argumentorum Moderni; interdum dicentes actus liberos eſſe ſuperioris ordinis, quàm neceſſarios; cùm conſtet eſſe inferioris, & deriuatos ab ijs; vt qui ſint circa media, cùm neceſſarij ſint circa fines. Interdum eſſe quaſi ſupernaturales, & improportionatos cognitioni naturali; & hoc per reuelationem ſolam ſciri. Sed cùm Angelus ſit quid naturale; & actus intellectus, ſiue voluntatis, actio naturalis eius; neceſſe èſt vtrumque eſſe proportionatum cognitioni. Vnde voluntaria eſt hæc reſponſio.

Neque minùs quæ in ſolam voluntatem Dei cauſam refert; quæ facit naturam imperfectam, & in neceſſarijs mancam; Deum inuidum, & impedientem vim cauſarum naturalium. Prætereà cum dicunt Deum negare concurſum ad cognitiones has,

palam est eos supponere propositiones *aphilosophas* de modo agendi & concurrentiæ Dei.

Sed obijciunt, reuelatione certum esse, solius Dei proprium esse, secreta cordium & futura cognoscere. Vnde Christus arguitur Deus, ex cognitione cogitationum. Respondetur sacram antiquam Scripturam distinguere Deum contra homines, & non contra Angelos vel dœmonas; quia neutros agnoscit nisi tanquam ministros Dei. Vnde semper improperat idololatris, quod idola sint ex auro & ligno, opera manuum hominum: &c.

Vnde cum constet ea quæ fiunt per Angelos, semper attribui Deo; magis ex similibus locutionibus, concludendum est Angelos & dœmonas nouisse cogitationes cordium, & futura, quàm è contrà: Cùm certum sit Deum eorum ministerio vti in similibus; vt patet ex Daniele, visione Michææ, & alijs locis: & in nouo testamento, de Iuda, spiritibus scientibus Christum & Paulum, & Angelis reuelantibus secreta vbique. Sicut itaque

cùm dicitur Deus ſolus reuelare myſteria, & facere mirabilia magna, non excluduntur, ſed includuntur Angeli, tam boni, quam mali: Sic & cum dicitur cognoſcere ſecreta cordium, vel futura; quæ fortaſſis non ſignificant aliud in phraſi Sacrarum literarum, quam eadem reuelare; non ſunt excludendi ſed includendi Angeli & Dœmones. Chriſtus autem ex eo quòd cognitio ſecretorum cordis, ſit operatio pluſquam puri hominis, rectè concluditur eſſe Deus.

Si qui autem Sanctorum viſi ſunt duriùs locuti, non eſt mirandum: cùm etiam de ſubſtantijs Angelorum quaſi materialibus non raro diſcurrant. Et ſicut Eccleſiâ duce non timemus circa ſubſtantiam ab iis diſſidere; ſic neque in hâc parte, quæ conſequens eſt ad illam. Palam enim eſt, in nobis ſecretas cogitationes inde eſſe, quia ſunt alienis oculis imperuia pectora, ratione materialitatis. Vnde ex negatione inferendum eſt ſpiritibus non eſſe imperuias vel ſecretas.

Hinc etiam eſt, quod Angelos po-

liticam vitam agere; & propterea eorum cogitationes inuicem esse abscònditas arbitrantur : & dœmonas obiiciunt omnia perturbaturos, si secreta cordium nostrorum peruiderent. Quibus reponendum est, nullas ciuitates vel plebem gubernandam inter Angelos auditas esse; neque bella & paces, neque communia bona, & necessitatem auxilij mutui, quæ sunt fundamenta vitæ socialis; ac perinde ignorantèr eam vitam tribui Angelis, qui sunt in termino, & nihil vltrà quærendum sibi habeant. Neque timendum à Dœmonibus, quorum malitia à Deo frænos & regulam patirur.

Eâdem operâ constat, esse nota Angelis mysteria, quæ requirunt inuersionem aliquam ordinis causarum positarum; & propterea supernaturalia dicuntur. Cùm enim patrata sint in entibus naturalibus; & necesse sit aliquas quidem causas naturales non operari, vt ipsa fiant; & ex ipsis factis contingat alios effectus in rerum ordine euenire, quàm ex solis naturalibus causis; & tales ef-

fectus referant suas causas; palam est, pleraque ignorari debere ab Angelis, si ipsa mysteria non cognoscantur.

LECTIO III.

De modo sciendi Angelorum.

EX dictis vlterius conficitur, quomodo Angeli cætera extra sese cognoscant. Sicut enim qui videt concauum, intelligit eo ipso quale sit conuexum, quod impleat illud concauum: & sicut qui videt statuam ex sese non consistere, intelligit quali basi indigeat cui innitatur: Sic videns suas indigentias Angelus, ex ipsis nouit quales causas & quæ circunstantia habere debeat, & ex ijs eorum circunstantia; & sic vsque ad totius vniuersi per mutuam connexionem explorationem.

Ex quo patet, Angelos nulla plura vt plura cognoscere posse. Cum enim secundarij obiecti cognitio semper supponat & integret cognitionem prioris, modo explicato; manet eui-

dens; ea cognoſci vnum ratione alterius; & per conſequens per modum vnius, & non quaſi diſparata, & nullo modo cohærentia. Quod in omni cognoſcente eſt impoſſibile; cùm cognoſcere aliud, ſit cognoſcere illud tanquam aliquid ſui, vel tanquam feriens ſemet, reflectendo ſuum eſſe ſupra ſe.

Habetur conſequentèr, cognitionem Angelicam non fieri per modũ compoſitionis, quomodo noſtra fit. Cùm enim habeatur ex connexione vnius entis cum alio; ens autem vnum non ſit natum prædicari de alio, ſed pars vel forma de ſubiecto; conſequens eſt, compoſitionem non eſſe neceſſariam Angelis: ſed eorum cognitionem eſſe eiuſmodi, qualis eſt, cùm ex fumo colligimus ignem qui eum cauſet: vel ex multiplicatione radiorum circa eſcam, colligimus futuram flammam; a cauſâ ad effectum procedentes.

Prætereà compoſitio noſtra palam procedit ex imperfectione ſenſitiuæ cognitionis, per quam cognoſcimus rem imperfectè; & propterea ipſam-

met de ſeipsâ prædicamus. Sed & compoſitionem ex formâ & ſubiecto quaſi actualem apprehendimus; quæ omnia cum non ſint in rebus; neque imperfectio corporea iu Angelo, vnde cognitio ipſius quaſi ſciſſa & diuiſa euadat; non omninò in eo ponenda eſt cognitio per modum compoſitionis; quæ non foret conformis naturæ in ſeipsâ non compoſitæ.

Patet ex dictis, neque diſcurſum in Angelo eſſe propriè dictum, ſeu ſyllogiſticum. Cùm euidens ſit, illum requirere propoſitiones & terminos vniuerſales; & per conſequens compoſitionem prædicati & ſubiecti. Et prætereà palam ſit diſcurſum in nobis eſſe actum totius; phantaſmatibus per ordinatam percuſſionem virtutis cognoſcitiuæ, generantibus cognitionem: cuiuſmodi operatio in re indiuiſibili non poteſt intelligi, abſque eo quòd idem ſit agens & patiens, actu & potentiâ.

Et ex his æquè conſtat, in intellectu Angelico non eſſe locum falſitati; cùm in eo conſequẽs non ſequatur niſi ex vi antecedentis; in quo ſi non eſt,

non infertur : ſi eſt, non eſt falſitas. Angelus enim neque voces æquiuocas habet, neque notiones communes, in quibus ambiguè latent particularia ; neque appetitum ſenſitiuum præcipitantem aſſenſum ; neque moram, quæ faſtidium præbeat ; quæ ſunt cauſæ fallacium diſcurſuum in nobis ; & omnia ex corporeis imperfectionibus pendent.

Appetitus ſiquidem intellectiuus, cùm non ſit niſi ipſæ intellectiones, non poteſt habere vim falſitatem cauſandi ; cùm ex vero non ſequatur falſum ; & poſterior cognitio ſpeciem ſumat à priori ; maximè quoad exiſtentiam conſequentis quæ apertiſſimè eſt in antecedente. Vnde cùm non ſit alia compoſitio in intellectu Angelico, clarum eſt falſitatem, quæ compoſitionem prærequirit, non poſſe eſſe in intellectu Angelico, qui rem ſicut eſt videt ; id eſt, quod nos rem tali quãtitate, tali figura, tali diſpoſitione rari & denſi, &c, per partes enunciamus, ille (ſicut res ipſa ſeſe habet) ſemel tale eſſe pronuntiat.

Ex quibus patet, nihil ei poſſe eſſe incertum ; neque dubitare ſeu inqui-

rere de quoquam posse : quæ palam est esse actiones imperfecti, & cum tempore agentis.

Obijcies, Diabolum tentatorem Christi, dubitauisse an esset Deus; & si cognouisset eum esse verum Deum, nunquam vel tentationē immissurum fuisse, vel aliud contra ipsum fuisse acturum. Respondetur, ex opposito dœmonē tanto amplius contra Christum machinatum, quanto sperabat Deo se nociturum. Neque τὸ *si Filius Dei es*, esse dubitantis; sed valere quantum, quoniam Filius Dei es; vel quandoquidem.

Sed neque abstractiuam Angelus habere cognitionem aliam quàm de Deo potest. Cùm enim omnem cognitionem sibi possibilem habeat citra visionem Dei; & omnia creata sint ab ipso comprehensibilia : patet ea comprehendere; & per consequens, habere notitiam quidditatiuam omnium. Sed neque potest abstrahere ab existentiâ, cùm ab existentiâ prioris progrediatur.

Patet quoque discursum propriè dictum, id est, transitum de actu in

actum non posse esse in Angelo. Cúm enim omnia natus sit simul cognoscere; non potest fingi ratio, cur non velit. Sed & cùm habeat ex vi suæ creationis & ex naturâ súæ entitatis, habere indiuisibiliter totam suam perfectionem; non est in potestate ipsius non simul cognoscere omnia, etsi maximè vellet.

Prætereà, posito quod vellet ab vno actu in alium transire, quibus instrumentis hoc faceret? Cùm enim non habeat cerebrum diuisibile, & phantasmata, quorum ope homo hæc agit; neque actio eiusdem in seipsum intelligi possit in re indiuisibili; patet Angelum semel in potentiâ positum, non posse vnquam in actum reduci. Adde quòd cùm vsus vnius actus sit perfectus in instanti, vel continuatur sine vllo bono vel fine, vel instantaneè succedunt sibi noui actus, & exurget tempus ex instantibus.

Sed neque prior actus potest esse causa posterioris; cùm non sit dum indiuisibiliter fit posterior actus. Vnde neque potest causarè dum est,

neque postquam desijt; vt notum est. Deinde sequens actus prærequirit volitionem; cùm fiat quia vult Angelus; & volitio cognitionem; cognitio autem vel ex sese est, vel ex priori volitione: quod si dicatur, nullus finis erit: si prius, cognitio particularis à naturâ fuit: & si vna, etiam reliquæ, id est, omnes; cùm omnes sint æquales quoad hoc. Neque satisfacit dicere esse quandam cognitionem confusam omnium. Hoc enim neque potest esse; vtpote quod sit contra naturam Angelicæ cognitionis; & ex confuso nihil determinatè sequitur.

Tandem cùm Angelus agat ex fine; cognoscet Beatitudinem suam, ex cuius intentione natus est agere. Vel itaque per rationem aliquam communem & confusam (quales diximus non posse esse in Angelis): vel secundùm quod est in sese, & per rationem propriam. Sic itaque, cùm Beatitudo consistat in collectione omnium bonorum; & bonum Angeli non sit nisi cognitio; necesse est affirmare Angelum simul & semel cognoscere omnem cognitionem sibi

possibilem; & per consequens, etiam omnia cognoscibilia.

Ad dicta sequitur, non esse species aliquas in Angelo, ad cognoscenda obiecta creata. Non enim esse necessarias, patet ex explicatione modi cognoscendi quem habent. Sed prætereà, cùm species angelicæ non destruant sese inuicem, sicut figuræ, vel colores; neque per accidens sibi succedant, sicut plura corpora in eodē vase vel loco; vel singulæ, sunt adæquatæ intellectui Angeli; vel tantum omnes: si singulæ, cæteræ non erunt ei proportionatæ; sed obiectum dūtaxat ipsius natus erit cognoscere: si omnes, ergo simul omnes cognoscet, & vnica debuit, non plures, poni; cùm simul & æqualitèr concurrant.

Rursus, quid potest afferri, cur speciem inesse, non sit obiectum eius actu cognosci? cum collocentur in intellectu eius; neque sit alia pars quæ possit esse obiectorum thesaurus, alia cognitionis organum; sicut in cerebro humano; neque sit materialitas aliqua, ratione cuius species possint recipi mortuo quo-

dam modo. Sed & in ſenſibus non inueniatur differentia inter cognoſci & ſpeciem eſſe in potentiâ ſenſitiuâ.

Quid, quòd Angelus, ſicut & homo, natus eſt comparare res diuerſiſſimas. Pluribus itaque ſpeciebus ſimul vtetur. Ergo vnaquæque non eſt actus adæquatus ipſi etiam in vſu. Immò cùm non poſſit cum fundamento poni limitatio, cur valeat tot ſimul comparare, & non plura, immò cur non omnia; vnica ponenda erit pro omnibus ſpecies. Neque vlla ratio poteſt fingi, cur tot ſint, & non pauciores in ſingulis Angelis.

Adiice quod hæ ſpecies vel ſunt infinitæ, id eſt, tot quot accidentia poſſunt occurrere vel mutari circa eandem ſubſtantiam; vel numeratæ. Si primum, cùm accidentia quæ poſſunt accidere eidem ſuppoſito, includant omnes mutationes, quæ poſſunt in totâ rerum naturâ accidere, ex quibus aliqua mutatio aduenire poteſt huic enti, immò includendo Deum ipſum; neceſſe eſt incredibilem eſſe multiplicatiomem ſpecierum

rum. Si posterius; species Petri nullam eius mutationem repræsentabit, & ad nihil seruiet.

Dices, eandem speciem repræsentare omnes mutationes eiusdem substantiæ. Verum quomodò potest intelligi quòd species quæ est in intellectu Angelico, possit esse conscia mutationum quæ fiunt in Vniuerso? Si enim ponatur obiectum agere aliquo modo in intellectum Angelicum, iam ponuntur corpora in puros Spiritus agere, & Angeli colligere scientiam ex obiectis. Dicere verò quod sit conditio, absque eo quod quicquam operetur, est nugari non Philosophari; & contra Principium per se notum, *Idem manens idem, esse & facere idem*.

Sed & si ponatur Petrus ambulare; vt Angelus videat illum motum; vel est successiua mutatio in specie Angelicâ; & per consequens, verus motus diuisibilis in infinitum successiuè (quod ipsum in subiecto indiuisibili repugnat); & actus angelicus mensurabitur vero tempore. Vel absque mutatione continuà, in principio vel

ſine repræſentabit ſpecies totum motum; quod non eſt intelligibile vnde poſſit prouenire.

Effectus quoque præteritus, vel ex neceſſitate fuit animaduerſus dum præteriret: & ſic Angelus ad totam naturam ſimul attendere poſſe dicetur; & per conſequens omnia nouiſſe. Vel cùm nullam mutationem fecerit (dum exiſteret) in ſpecie angelicâ, debet in æternum ignorari; vel debet fingi quod ſpecies ex vi voluntatis Angelicæ, poſſit quidlibet eſſe & repræſentare.

Tandem natura ſpecierum eſt tota obſcura: ſi enim ſunt actiuæ, qualitas ponenda eſt agere in ſuum ſubiectum. Si formales; ineſſe, erit cognoſci; non enim poſſunt alitèr ad vſum adhiberi. Deinde quot res poſſunt eſſe obiectum vnius ſpeciei? & ſi plures, num neceſſe eſt, vtentem ſpecie, omnes cognoſcere? Sed & quorum erunt ſpecies? an tantum aliquando exiſtentium? an etiam purè poſſibilium? num quæ erat abſtractiua, poſſit deuenire intuitiua? &c. Vtrum ſint in numeró determinato ex naturâ

ſubſtantiarum, vel indeterminato? & ſe ſubmittat Angelus voluntati diuinæ (vt habeat ſpecies, non ſecundùm ſuam naturam , ſed ſicut Deo purè voluntariè libuerit) ſecundùm appetitum elicitum vel etiam naturalem? Item vtrum ſint accidentia , an proprietates naturales ? Item vtrum indantur Angelis , an fabricentur ab ijs ?

Vlteriùs ex dictis trahitur, non eſſe in Angelis habitus aliquos proprie dictos. Cùm enim vnicum & perpetuum actum habeant ; palam eſt eos non aſſueſcere;quod non niſi per plures actus fit.

Quare virtutes quæ ponuntur in Angelis , non ſunt niſi actuales. Sed quoniam ſunt permanentes , & ipſæ & contraria vitia , ſecundùm quæ Angelus dicitur bene & male ſeſe habere; poſſunt non incommodè habituum nomine appellari.

Eſſentias quoque aliorum Angelorum euidens eſt non effectiuè cauſare ſui cognitionem in alijs Angelis;cùm non poſſint in ſeſe inuicem agere: etiamſi non ratione diſtantiæ;quæ eſt

conditio corporum, & ad ſubſtantias ſpirituales non pertinet. Vnde ſuperfluum eſt diſputare num Angelus cognitus liberè an naturalitèr concurrat? efficienteruè vel formalitèr audiatur?

Manifeſtum quoque eſt, ſuperfluum eſſe ſiue intellectum agentem, ſiue aliud lumen intelligibile, quod efficienter agat in intellectiuam vim Angeli, & reducat eam de potentiâ in actum. Cùm eſſentia ipſa Angeli ſit intimè vnita virtuti ſuæ intellectiuæ ex vi creationis; adeò vt intellectus Angeli non poſſit vllâ vi naturali eſſe in potentiâ ad cognoſcendum ſeſe eſſe; & cognitio, de ſe ſit eſſentialitèr intuitiua, ſeu de eſſe ſuo.

LECTIO IV.

De Volitione, & distinctione Angelorum.

PRotinùs ex præfatis conuincitur, Angelum eſſe volitiuum. Cùm enim ſit intellectiuus; & intelligere

ſit habere ſuum eſſe reflexum ſupra ſe;& hoc, tali modo, vt cætera omnia veniant ab eſſentiâ conuecta ; palam eſt hâc reflexione fieri , vt exiſtentia Angeli concipiat ordinem ad alia extra ſe;& per conſequens, ex eo quòd aliter & aliter ſeſe habeat ad exteriora per hanc reflexionem ; etiam ipſa aliter & aliter ſeſe habeant; quod eſt mutationem in illis eſſe, quia Angelus eſt; hoc eſt Angelum eſſe actiuum in illa,ſeu eſſe volitiuum.

Patet conſequenter bonum eſſe motiuum voluntatis Angelicæ. Bonum enim vocamus conforme appetitui;id eſt, conforme appetenti (ſi appetitus ſit rectus) hoc eſt , perfectionem appetentis; hoc eſt, aliquid eius; quale euidens eſt primariè & ſpecialitér pertinere ad reflexionem ſui ſuper ſe; & per conſequens eſſe principium operationis & volitionis,quæ non eſt niſi diſpoſitio ſecundum quam agens intellectuale, vt tale,eſt paratum ad operationem.

Vnde patet quòd hæc reflexio eſt cauſa operandi Angelo;tanquam imbutio ſuperior, quâ vegetatur eſſentia

eius ad operandum;& non tantùm vt directiua vel determinatiua operatricis virtutis:cùm adueniat existentiæ præexistenti, existentiam rursus ei ingerens; & per consequens ingeminans virtutem altiori modo,quem adhuc non habuit.

Propterèa causa finalis dicitur prima & nobilissima causarum; & mouere ad exercitium; id est,actum simpliciter; cum præcedentes causæ sint adhuc quasi potentiales.Similiter patet rationem procedere ex infinitis; cùm natura sit aliquid determinatum: vnde necesse est, modum operandi ipsius esse nobiliorem. Tandem corpora videmus non agere proprie in inuicem;sed quasi mixtione seu exhibitione sui dumtaxat operari; sicut rationabile est; postquam non sunt capacia respectus alicuius ad aliud extra se; cùm non sint comparatiua seu intellectiua.

Patet consequentèr voluntatem angelicam esse determinatam ad volendùm sese existere. Cùm enim bonum, id est, conueniens appetenti, sit vis actiua in voluntatem: ablatâ autem

existentiâ, nihil possit esse conforme appetenti; euidens fit, nullam posse esse rationem boni, quæ moueat ad non existendum creaturam, quæ non concipiat non entia per modum entium. Vnde quod homines desiderent nunnumquam non esse, est ex imperfectâ ratione cognitionis quâ vtuntur; & quòd non apprehendant non esse vltra omne malum.

Conspicua est consequentia, rationem Boni æquiuocè dici respectu craturarum, & Dei. Et Deum omnia velle, quia sunt bona in se; creaturas verò, quia sunt bona respectu suarum essentiarum. Cùm enim ratio sit essentialis Deo, etiam volitio & actio ipsius, puram rationem pro principio habent. Facit itaque Deus quod rebus factis est bonum, quia omne illud est bonum secundùm puram rationem, secundùm quàm ille agit: & ipse vult & amat creata purè propter ipsa; non quidem vt causam sui amoris. Sed vt effecta; quia sic esse, est bonum ipsis, sine vllo ordine ad Deum, vt cui sint bona. Sed in creaturis ratio est accidens; & sic non

actiua ſine tincturâ ſubiecti; neque ipſa agit, ſed eſt quâ ſubiectum agit. Vnde bonum creaturæ eſt, quod conuenit rebus in comparatione ad ſe, id eſt, ipſam creaturam; & ſic (cùm non alitèr res volenda eam contingit) vult alteri quod ſibi vellet in pari caſu; & hic eſt modus amoris ipſius. Vnde clarum eſt in puriſſimo amore creaturæ, ſemper amicabilia ad alios, eſſe ex amicabilibus ad ſe; ſaltem quatenus illud bonum alteri exiſtimat quod ſibi.

Ex his pariter clareſcit, omnem voluntatem creatam habere in ſeſe originem defectibilitatis. Cùm enim eſſentia creaturæ ſit quidpiam in naturâ determinatum, & pars quædam naturæ; partes autem plures ſunt, propter aliquam diſſimilitudinem: neceſſum eſt, poſſe eſſe in naturâ rerum aliquid diſplicens cuilibet creaturæ: & cùm voluntas ſit proportionata eſſentiæ; inde eſt occaſio volendi illud non eſſe, quod tamen eſſe ratione aliorum conuenit. Eſt itaque radix diſſentiendi rationi in omni creaturâ.

Nihil

Nihilominus omnis creatura rationalis incorporea naturalitèr amat Deum plusquam semetipsam. Cùm enim constet ipsi, vel constare natum sit, Deo non existente, sese non posse existere; sic amat Deum, sicut suum esse. Cúmque non minùs ei constet, Deum esse potiorem sese, non potest non eum talem æstimare & cognoscere; quare & eo titulo velle ipsum esse, (quod est amare ipsum) plusquam se. Quamuis non velit magis se non existere, quàm Deum; quia naturæ proportiones non sese extendunt ad impossibilia, & nullum fundamentum est in naturâ vt velit sese non existere, vnde talis æstimatio possit accipi.

Conficitur ex dictis, alias esse in Angelo volitiones necessarias, alias liberas: cùm ea sine quibus existentia ipsius non constat, sint necessariò volita ex determinatione ad esse. Cúmque possit aliquid ei displicere, palam est circa similia esse liberum: cum non ex suis rationibus, sed ex comparatione cum aliȷs, & per consequens, ex virtuali discursu, displi-

ceant. Consequés est, quoniam quòd eligitur, ex consideratione omnium circumstantiarum eligitur, tales volitiones supponere adæquatam cognitionem Angeli; vbi priores, cùm vim suam secum ferant, supponantur ad cognitiones posteriores.

Cùm verò obiecta amabilia Angelo, extra suam essentiam, alia sint superiora, alia inferiora; tota volitio angelica tribus portionibus distinquitur. Et quoniam volitio non est aliud quàm intellectio perfecta, (seu talis ex quâ nata est sequi operatio) palam est volitionem esse actum principalem Angeli: & per consequens Angelos secundùm eam accipere distinctionem essentialem; & communissimam eorum diuisionem debere esse secundum quòd diligunt superiora, sese, & inferiora.

Licet enim hi actus in omnibus & singulis reperiantur; tamen necesse est, magis relucere conuersionem ad aliquod horum obiectorum in vno quàm in alio. Et hoc tum in multitudine, tum in particulari. Cúmque ex obiectorum nobilitate actus & prin-

cipia actuum æſtimari habeant; ſit ſupremam Angelorum Hierarchiam, notabiliter natam eſſe ad ſuperiora conuerti; mediam, ad ſe ipſos; infimam, ad inferiora; maximè ad corporum adminiſtrationem.

Tantundem eſt diſtinctionem ex ratione intellectus ſumere. Cùm enim intelligere ſit habere eſſe ſuum reflexum ſupra ſe; patet quò magis eſſentia Angeli eſt capax huius reflexionis, eò magis conformem eſſe ipſi rationi; & per conſequens magis ſectari quæ ratio ſuadet; id eſt, ſuperiora à quibus perficitur. Quò verò minùs capax eſt, tantò vel ad ſeſe, vel ad inferiora depreſſum affectum habere; & ſic etiam eadem erit diuiſio angelicorum ordinum ex gradibus virtutis intellectiuæ.

Similiter etiam, quò intelligentiores ſunt Angeli, eo paucioribus diuiſionibus tota reflexio conſtabit; & vniuerſaliores erunt conceptiones quas de rebus habent: id eſt, vnâ conceptione plura obiecti amplectentur. Vnde patet quod quò vniuerſaliores ſunt conceptiones Angelorum, eò

ſunt altiores; quare etiam ex vniuerſalitate conceptionũ, ſeu diuiſibilitatum conceptionis, diſtinctio Angelorum deſumi poteſt. Et quoniam naturæ idem eſt tenor; quæ qualitates diſtinguunt vniuerſales rationes Angelorum, eædem differentiam introducent etiam in magis particulares, ſub ſuis quæque generibus: ſicut videmus corpora ex elementorum participatione primò diſtincta, etiam ſub ſuis generibus & ſpeciebus ſemper ijſdem participationibus diſtingui; vt mixta recedentia à bonitate temperamenti ſuæ ſpeciei, per aliquod elementum redundans diſtinctionem ſortiantur.

Sic itaque, ſi Hierarchiæ per tres conuerſiones diſtinguantur, etiam chori ſub ſingulis Hierarchijs eâdem diuiſione diſtinguentur. Et ſi cognitio humana poſſet vltrâ penetrare, ſemper per triplicem hanc varietatem inueniret nouas ſubdiuiſiones vſque ad ſingulorum Angelorum ſpeciales rationes, quibus vltimò diſtinguuntur; ſemper ſingulis omnes tres conuerſiones retinentibus, cum

diuerſa proportione; & ſub choris alios ſubchoros, vſque ad ſingula indiuidua formaret.

LECTIO V.

De nominibus & multitudine Angelorum.

EX his patet facile quomodo nomina angelicorum ordinum ſint intelligenda. Palam enim eſt *Seraphinos*, id eſt, ardentes, rectè pro primo choro poni: qui & deſcribuntur velare faciem ſuam; clamare ad inuicem, *Sanctus*; ignem tractare: &c. Quæ ſignificant eſſe ſuccenſos amore Dei; ſplendori ipſius valde propinquos, vt non ſuſtineant tantam claritatem; puriſſimos & maxime purificantes, & ad celſa totos aſpirantes; hæ enim ſunt proprietates ignis: & per clamorem patet quo ardore ſuccenſi ſint; & quòd ad inuicem clament, ſignificant cæteros illorum canticum non intelligere, ex eo quòd non ſint adeò eleuati.

Cherubim ſonat quaſi multos; & denotat multiplicitatem quæ eſt in ſciẽtiâ, in quâ omnia inſunt congregata in mente ſcientis ſine contrarietate; vt ſciens ſit vnus quaſi multa. Deſcribuntur ferre Deum ſuper pennas; comitati eſſe rotis, & oculis, & flammis, & pluribus faciebus, & manu quaſi ſcribentis, & ſonitu; quæ omnia fere ad ſcientiam pertinent, & ad motum. Vt non ſit in ijs ea quies & vniformitas, quæ in Seraphinis; ſed plenitudo & vectatio Dei cum motu. Vnde proprietas eorum videtur eſſe meditatio ſeu labor ad ſcientias.

Cæterorum pura nomina habemus. *Throni* videntur eſſe ſedes immobiles; & ſignificare quod horum Angelorum proprium ſit, Dei influentiam immobiliter recipere; non cum conatu Cherubinorum, neque cum ardore Seraphinorum; Sed tantum permittere ſeſe Deo, & recipere quod ab ipſo manat. Et ſic patet huic vltimo choro primæ Hierarchiæ proprietatem ſine additione aut qualificatione competere; vt ſolet fieri infimæ ſpeciei aliquorum generum; &

proprietatem huius Hierarchiæ, esse conuersionem ad Deum.

Media Hierarchia *Kyriotètas*, *Exousias*, & D*ynames*, continet; quibus latinæ voces non videntur cum proprietate respondere, primi ἀπὸ τοῦ κυρεῖν, id est, esse, vel ex sese esse dicuntur; quod clarè est primum & principale nomen quod significat respectum entis ad se. *Exousia* quoque ab ἔξεστι quod significat *Licet*; quasi, quod ex me est facere: & videtur proprie per applicationem esse potestas quam habent Magistratus, qui non pendent ab alijs in eo quod agunt. Vnde patet etiam hoc nomen significare conuersionem ad semetipsos.

Tertij vocantur D*ynames*; cuius nominis vis videtur esse penetrare, vel posse, vt significet magna posse & admiranda. Sic enim miracula vocantur D*ynames*; & Angeli cælorum dicuntur D*ynames*. Et cum merè posse sit proprietas sui subiecti, neque nomen exprimat materiam circa quam operantur; etiam hic chorus sonat conuersionem ad semetipsum;

cum connotatione tamen aliquâ inferiorum, ſicut infimo choro conuenit. Sicut & Throni per immobilitatem videntur aliquam ad ſeſe conuerſionem innuere, quaſi non ſeſe extra ſe moueant.

Tertia Hierarchia *Archas*, *Archangelos*, & *Angelos*, complectitur: ex quibus Angeli & Archangeli, cùm ſonent nuncios & miſſionem; per conſequens includunt clarè ordinem ad externa, ad quæ deſtinantur: hâc diſtinctione, vt hi ad maiora, illi ad ordinaria, vtraque ad alia, id eſt, inferiora deſtinentur & conuertantur. *Archæ* autem ſonant quod principia, ex cuius nominis vi intelligitur actionem Angelorum & Archangelorum habere originem ab ijs, ſeu ipſos eſſe quaſi concilium regium & publicum quod ordinet agenda; reliquos duos ordines qui mandata exequantur. Ex quo patet totam Hierarchiam eſſe conuerſam ad inferiora.

Quia verò dictum eſt, omnium proprietates in ſingulis contineri; in celſioribus quidèm proprietates inferiorum excellenter, in inferioribus au-

tem proprietates ſuperiorum partici-
patiuè, & imperfectiùs quàm in ſupe-
rioribus : Anima verò rationalis ſit
aliquo modo de genere eodem ſpiri-
tali; conſequens eſt, & in hominibus
reperiri imitationem huius Hierar-
chiæ.

Tres itaque virtutes intellectuales,
ſapientia, ſcientia, & prudentia, clarè
Hierarchicas proprietates ſuâ diuiſio-
ne adæquant. Sapientia enim circa
Deum, & altiores nobis cauſas nego-
tiatur. Scientia circa res Phyſicas &
Mathematicas; corpora ſcilicet con-
genita & ſocia; quæ partim nos inte-
grant, partim ſunt ſocia & eiuſdem
ordinis. Prudentia demùm tota pra-
ctica eſt, ad ſubdita nobis, & actionem
gubernandam conuerſa.

Primam quoque Hierarchiam di-
uident contemplatiui, qui ſcientiâ
iam acquiſitâ ad affectuum culturam
vtuntur. Qui verò inquiſitioni Sa-
pientiæ ſeſe impendunt, Cherubici
& congregantes ſunt. Tandem qui
neque ad inuentionem ſunt idonei,
ſed ab alijs audita intelligunt, id eſt,
diſcipuli & auditores Sapientiæ,

Thronos ſeſe Sapientiæ præſtant.

Kyriotetibus aſſimilantur, qui ſcientijs fruendis, in quibus ſcientia ipſa placet, ſeſe dedunt; quaſi ſubſiſtentibus ex ſeſe. Qui verò moralibus, & ijs quæ gubernationem multitudinis docent, inuigilant, Exouſiarum vim in ſeſe habent. Tandem qui Thaumatoporicis diſciplinis ſeſe addicunt, quarum operatio eſt magnifica, hi Dynames inter nos exiſtimantur.

Tertia Hierarchia artibus & prudentijs integratur. Artes enim, cùm ſint vniuerſales regulæ agendorum vel faciendorum; ſic ſunt circa actionem, vt non niſi mediante prudentiâ actionem rectam efficiant: ſunt itaque quaſi principia & archæ. Prudentiæ verò aliæ ſunt Architectonicæ, quæ ſumma & quaſi totam fabricam diſponunt; aliæ immediatæ operationi, quę ſingula membra efficiunt. Hæ Angelorum, illæ Archangelorum munijs pariantur.

Ex præhabitis elici poteſt plures Angelos non eſſe immediatè inferiores alicui vni; ſed ſingulos ſeſe inuicem excedere, ita vt vnus vni ſit imme-

diatè inferior, & ille alteri, & ſic ab infimo vſque ad ſupremum. Cùm enim omnes ſingulorum proprietates in ſingulis ſuperioribus eminentèr, inferioribus, perticipatiuè reperiantur; patet ſingulos inferiores ſingulis ſuperioribus eſſe ſecundùm omnia ſubiectos. Quare nulla poteſt eſſe ſubiectio immediata plurium vni, ſine præiudicio aliorum, & confuſione ordinis.

Vnde ſequitur faciliùs eſſe Angelo inferiori comprehendere cognitionem immediati ſibi ſuperioris, quàm cognitionem alteriùs longè magis eleuati. Quare cùm naturalis modus cognoſcendi: ſit per faciliora gradum facere ad difficiliora; ſequetur Angelum inferiorem cognoſcere mediatè ſuperiores, per eum qui immediatè ſuperior eſt; & ſic per gradus vſque ad ſupremum.

Colligitur quoque in quo conſiſtat immediatio vnius Angeli ad alium. Cùm enim Angeli non habeant cognitionem diuiſibilem niſi penes diuerſas ſubſtantias; clarum eſt, eum qui vnam ſubſtantiam vnâ diuiſibili-

tate comprehendit, esse immediatum illi qui duas substantias vnâ diuisibilitate colligat; & hunc, ei qui tres; & sic vsque ad supremum. Et quod naturæ Angelorum sunt hoc modo, sicut species numerorum vel figurarum.

Quare numerus quoque Angelorum ex numero substantiarum videtur definiri posse. Cùm enim substantiarum corporearum determinatus sit numerus ex fine; qui est, vt natura sit optima expressio primi entis: ratio multitudinis Angelorum, erit ex diuisibilitatum inde consurgentium numero. Cùm enim quælibet substantia spiritalis sit comprehensiua totius naturæ corporeæ; neque possit comprehendi non cõprehensâ cognitione; Angelus qui vnâ diuisibilitate naturam corpoream & infimum Angelũ comprehenderet, plusquam duplo excederet immediatè inferiorem. Neque tamen posset aliquis medius inter illos duos constitui. Cum itaque non possit esse saltus in naturâ; diuisibilitates quæ fundant distinctionem angelicam, non possunt excedere numerum corporum. Quæ si

rectè dicta ſunt; numerus Angelorum erit numerus omnium ſubſtantiarum corporearum.

Patet etiam non poſſe creari à Deo aliquem Angelum medium inter aliquos duos. Cùm enim in ſpiritualibus & immutabilibus ſubſtantijs æqualia ſint, poſſe eſſe, & eſſe; palàm eſt, Angelum aliquem horum non poſſe eſſe in alio mundo. Sed in hoc mundo non poteſt eſſe alia ſubſtantia corporea, quam quæ ſunt. Itaque alius Angelus medius non poſſet habere ordinem intelligendi diſtinctum ab his; & per conſequens, non poſſet creari niſi vel ſupra omnes, vel infra omnes.

LECTIO VI.

De primo peccato Angelorum.

CVm tanta ſit multitudo Angelorum; & adeò differentibus naturis, quàm in continuâ elongatione à primo Angelo ad infimum neceſſum eſt contingere; palam eſt, non

posse non reperiri omne genus accidentium, natorum aduenire angelicæ naturæ; atque proinde aliquos eorum à rectæ rationis regulâ deuiasse; cùm hoc possibile sit. Quod & Adæ ruina, quæ sine malo Spiritu impossibilis erat, conuincit. Fatendum itaque est aliquos cecidisse. Enimuerò, cùm natura singulorum, sit sibi propria, nec quicquam commune habeant: Sed quam quisque perfectionem habere potest, à Deo solo & sese habere potest: Sed neque falsum quidpiam opinari possint, neque habere affectiones supponentes falsum: clarum est, deuiationem à ratione, non posse esse ex appetitu alicuius secundum sese impossibilis; vtpote cuius neque appetitum elicitum habere possint, cùm supponat errorem in intellectu; neque natura eos ad tale quidpiam possit inclinare.

Non itaque culpa angelica fuit appetere veram Deitatem; seu esse similem ipsi in naturâ vel participatione æquali. Neque rursus esse vnitum hypostaticè Verbo Diuino; quod similiter declaratum est esse im-

possibile. Neque voluisse habere visionem Dei sine congruis mediis; quod est voluisse effectum sine causis. Nihil enim horum in naturam omniscientem & ex sese rectam cadit.

Vniuersalitèr itaque nihil, siue in Deo secundum sese considerato, siue in ordine toto corporearum substantiarum, appetitui angelico displicere potuit. Cum hæc omnia, & in sese radicata sint per impossibilitatem contrarij; & ex eâ parte repugnent appeti; & prætereà sunt quoad superiora conformia & quodammado principia naturæ ipsius: quoad inferiora verò, etiam superbiæ ipsius; cùm plenam potestatem in inferiora habeant.

Sed neque Angeli determinatam proportionem habent ad corpora: & corpora propter communitatem materiei, & quia sunt ex naturâ suâ instrumenta, disponi nata sint non secundùm meritum suum, id est, naturæ dignitatem, sed secundùm vtilitatem & congruentiam ad vniuersum; fit in corporum dispositione, posse contingere aliquid, quod non

ſit ſecundùm inclinationem particularis Angeli ad tale corpus; & inde fieri vt appetitu innato diſſentiente, etiam appetitus elicitus ſequatur & auerſetur diſpoſitionem Dei.

Neque difficile eſt coniectare vbi prima fuerit labes Angelorum. Cùm enim Angeli nati ſint præſidere corporibus, & ea mouere; & hominem quoque palam ſit inter corpora eſſe, & ad operationes ſuas per motum antecedentem perduci, ſicut cætera corpora; fit etiam curam hominum ad angelicam præſidentiam pertinere. Et quoniam rationalis natura ſuprema eſt corporearum; eum Angelum cui ſuprema cura humanæ naturæ ex proportione ſui eſſe competebat, etiam vniuerſaliter omnibus corporibus præſidere debuiſſe. Cùm itaque ex Incarnatione Homo ad hoc, & etiam Angelis præſidendum deputatus fuerit, pronum eſt credere, hoc illi Angelo diſplicuiſſe.

Cùm enim omnium objectorum, in quibus occaſio auerſionis à Deo naſci poteſt, ſupremum & maximè conſiderabile fuerit præſidere humano

no generi; & ex parte naturæ angelicæ maxima inclinatio ad hoc obiectum fuerit; & quasi maximè plausibilis & apparens occasio auersionis à Deo aliter res disponente; patet concurrere omnes eas causas quæ persuadere possunt, in aliquo magis quam in alio hanc defectionem incepisse.

Obijcies, Luciferum principem Angelorum à pluribus Sanctorum æstimatum; & ex excellentiâ suæ naturæ occasionem superbiæ ei datam. Respondetur, adhuc sub iudice litem esse inter Sanctos. Sed illam causam non rectè assignari. Cùm excellentia naturæ consistat in maiori inclinatione ad Bonum; & in nostro casu, ad Deum, qui supremo Angelo immediatè superior est. Vnde ex excellentiâ naturæ, inferendum est eum esse remotissimum à lapsu. Quod enim in nobis excellentia naturæ sit occasio superbiæ, est ex eo, quod talis excellentia est partialis, id est, in vnâ aliquâ facultate animæ; puta intellectu, vel alio, de quo superbimus: & quod reliquæ facultates, vel aliquæ saltem, sunt impares illi excellenti: vnde fit

vt vltra meritum illam æstimemus. Quod in Angelis, præſertim primo, non licet ſuſpicari. Foret enim, maximum Dei opus habere in ſeſe improportionem, quæ in corporibus non niſi ex contingentiâ ineſt.

Verùm cùm docente Dionyſio acceperimus, citra reuelationem in his nihil temerè pronunciandum; ex reuelatione verò tantùm de quatuor choris, Exouſiarum, Dynamium, Archarum, & Angelorum (niſi fortè ſub hoc nomine etiam Archangeli veniant incluſi) cecidiſſe acceperimus; non facilè in ſuperiores choros hæc labes inuehenda eſt. Adde quòd Exouſiæ & Archæ dicuntur Rectores tenebrarum. Vnde ſupremum ex ordine Exouſiarum fuiſſe intelligitur.

Adde quod Exouſiæ videatur primus chorus, qui reſpectum ad inferiora dicat. Vnde principem ſuperbiæ ex eo choro fuiſſe conuenit. Archarum quoque ex eo quòd adminiſtratio corporum ab iis quaſi primariò fluat, videtur inſignior & amplior fuiſſe ruina. Vnde horum duorum choro-

tum mentio illuſtrior eſt in malam partem.

Ex quibus poteſt intelligi, quòd Draco tertiam partem ſtellarum, id eſt, Angelorum, ſecum traxerit, etiam in naturâ ipsâ fundamentum habuiſſe. Cùm enim tres chori potiſſimè peccauerint, Exouſiarum, Archarum & Angelorum; propterea potuit tertia pars Angelorum dici cecidiſſe. Vel quia Angelorum chorus videatur numeroſiſſimus, vt qui ſit ad ſpeciales operationes deſtinatus; tot fortaſſe plures ex iis ciciderint (puta infirmiſſimis) vt verè proximè tertiam partem adæquauerint totius Angelorum multitudinis.

Et hoc quidem fuiſſe Angelorum peccatum, (præterquam quod in Apocalypſi clarè docetur Satanam voluiſſe deuorare filium Dei, antequam de cælo deiectus eſſet) ex communiter dictis colligi poteſt. Nam in hoc peccato clarum eſt eum voluiſſe occupare ſedem Dei; & eſſe illi æqualem; & ab omnibus honorari vt Deus; & Vniuerſo præeſſe. Quod ſuperbia & ambitio fuerit pec-

catum ipsius, & consequentia peccati, inuidia in genus humanum.

Quod autem aliqui Luxuriam Spiritalem, seu nimium amorem sui putent primum peccatum Angeli, non est rationabile. Cùm tota cuiusque angeli perfectio seu potius fundamentum perfectionis, sit in amore sui; & amor sui qui culpatur, sit verè defectus amoris sui; puta, velle sibimet bona viliora potiùs quam maiora: verus autem amor sui non possit esse nimius.

LECTIO VII.

De Viâ Angelorum, & Auxilijs ijs datis.

EX ipsâ naturæ angelicæ contemplatione, nō relinquitur vllus ambigendi locus, an tota & finalis eorum perfectio sit momento consummata necne. Cùm enim ex naturâ suâ non habeant in se nisi esse, siue pensentur ex substantiâ, siue ex cognitione: esse autem purè non dicat

illam mutationem, quæ non sine commixtione τȣ͂ non esse cum esse perficitur: conficitur totam ipsorum œconomiam puro statu τȣ͂ esse; atque adeò momentanèe, esse peractam.

Idem apparet, si consideremus indiuisibiliter in iis fieri quicquid fit. Si itaque plura fiant, & cum successione in Angelo; ponatur primum factum; & quia indiuisibiliter actum est, vnico temporis instanti actum est. Addatur itaque posterius; & quoniam etiam ipsum instantanèe consummatur; instans autem seu indiuisibile temporis, additum indiuisibili, non facit nisi indiuisibile; vtrumque in indiuisibili consummatũ est, quantum est ex vi actionum. Potuerant itaque quantolibet numero gerenda, in vno instanti esse gesta: quapropter, cum angelica natura non postulet aliud, & acta sunt.

Idem habetur, si consequentiam effectorum spectemus; saltem in bonis; in quibus actio sequens, est consequens ad priorem. Cùm enim in momento nostri temporis posita sit

adæquate cauſa poſterioris actus; puta ipſa natura Angeli, & actus prior; & non ſit aliud ex quo naſcatur actus ſecundus; & ipſe actus ſecundus non requirat moram: vel actus actui inſtantanèe ſuccedet, & tempus ex inſtantibus conſtabit; vel vterque actus in eodem inſtanti erit, & momento conſummata erit angelica perfectio.

Ex oppoſito, ſi conſideremus inſtantia angelica, hæret vbique aqua. Quid enim ſignificat? Num eſſe inſtans eſt eſſe durationem in quâ contradictoriæ non poſſunt ſimul eſſe veræ? ſed cum angelica natura ſit velocior & penetrabilior noſtrâ, breuior iis quam nobis aſſignanda foret ad hoc duratio. Deinde contradictio ſequitur rationem τȣ̃ eſſe, quæ nobis cum illis communis eſt. Neque illi vim noſtræ contradictionis ignorare poſſunt. Adde, vt non componatur tempus ex inſtantibus, æquanda ſunt hæc inſtantia parti alicui temporis. Palam itaque eſt, eo ipſo inſtans angelicum eſſe ſupra naturam ſucceſſionis, cùm indiuiſibiliter ſucceſſio-

nem præhabeat. Sed eo ipſo quod eſt ſuperioris naturæ ad ſucceſſionem, euiternum eſt; & non ſubiectum interitui; non itaque vni parti temporis,ſed toti futuro tempori correſpondebit.

Sed fac determinatæ parti temporis æquari. Num actus omnium Angelorum erunt æquales? Et cùm ſubſtantiæ eorum diuerſimodè efferantur ſupra naturam corporis, actiones vniformes erunt? ſi verò vnius inſtans ſit majus inſtanti alterius, non ſimul conſummata foret via omnium Angelorum;& aliqui Beati fuiſſent,dum alij adhuc in viâ, alij miſeri. Qui caſus ſatis immutarent rationem œconomiæ angelicæ, ſi fuerunt cogniti; & ſi non fuerunt, ponenda eſt in Angelis præſentium obiectorum ignorantia.

Rurſus, ad hoc ab authoribus ponuntur plura inſtantia, vt qui boni prius fuerunt, poſſent mutari in malos; quod eſt, contra Bonitatem Diuinam: ſi enim nihil lucrandum erat diuturnitate, prorſus abſonum erat differri eis præmium; cùm Deus

non creauerit illos nisi principalitèr propter bonum ipsorum. Deinde euidens est, esse contra naturam angelicam mutari secundum voluntatem; quare mali contra dispositionem suæ naturæ, hâc morâ deuenissent mali; & tota positio est contra naturam angelicam, in quâ non esse successionem actuum, latè supra disputatum est.

Dices, primum actum non fuisse plenè deliberatum. Cur enim? num tempus potuit deesse agentibus instantaneè operantibus? vel non omnia considerauerant? Sed prætERquam quod omnem scientiam ex ipsâ creatione acceperant, quid cogebat eos resoluere ante omnium inspectionem? & certè imprudens actio fuisset; cùm ponatur non solum bona, sed à Deo specialiter profecta. Tandem plenior deliberatio, affectui priùs bono addita, nata est meliorare & non corrumpere actionem.

Obiicies, primum actum, cùm sit completio creationis, specialiter attribui Deo; & perinde si foret malus,

Deus

Deus foret author peccati. Reſpondetur, quod quoties plures cauſæ concurrunt ad eundem effectum, effectus non totalitèr attribuitur vni, ſed ſingulis reſpondet aliqua proprietas effectus. Cum itaque ad primum actum Angeli, etſi ſit in inſtanti creationis, voluntas Angeli concurrat cum Deo, non eſt adæquatè ſeu ſecundùm omnes qualitates tribuendus talis actus Deo. Vnde ſi qua malitia vel imperfectio in eo ſit, hæc non in Deum, ſed in voluntatem creatam refundenda eſt.

Rurſus euidens eſt, actiones longè poſitas, referri ad cauſam ſubſtantiæ; cum pertinent ad perficiendam ſubſtantiam. Sic enim & motus grauium & leuium referuntur à Philoſopho in generantem; & augmentatio Animalium, eodem modo nata eſt referri. Quare non ex eo quòd ſit in primo inſtanti, ſeu in inſtanti creationis, ideo refertur in Deum; ſed quia ad perfectionem operis pertinet. Quare vel primus actus deliberatus referetur in Deum, vel nullus omnino actus qui ſit liber.

Præterea, quid eſt hoc referri? vel enim ſignificat imputari, vel eſſe actum ipſius. Sed hoc poſterius excluderet voluntatem Angeli, ab hoc vt eſſet cauſa principalis. Si verò tantum imputatur; Peto à quibus? ab Angelis vel ab hominibus? Sed Angelis non competit aliter res apprehendere quàm ſunt. Ad homines autem, præter Philoſophantes, non pertinet de inſtantibus angelicis quicquam ſcire; Philoſophorum autem non eſt humano more res angelicas æſtimare, neque ex apparentibus præcipitare ſententiam.

Tandem conſideretur, non morâ temporis, ſed actionum mutatione & varietate, creaturam recedere & elongari à Deo. Si itaque angelus tot actiones in inſtanti peragat, quot homo viginti annis; poſtrema actio tam longè erit ab hoc vt imputetur Deo, quam quod homo in articulo mortis agit: palam autem eſt ex dictis, hominem neque mille annis poſſe illam actionum ſeriem perficere, quas Angelus vnico momento; clarum eſt itaque vitium actionis angelicæ non meritò imputari Deo.

Obijcies rurſus, Sanctos & Concilia pronunciare Angelos de bonis factos eſſe malos. Quare neceſſe eſt plura inſtantia in ijs ponere, in quorum aliquo fuerint boni, in alio facti ſint mali. Reſpondetur, definitiones Conciliorum factas eſſe contra errorem Manichæorum & Priſcillianiſtarum, qui aſſerebant Angelos malos non ex ſuâ electione liberâ, ſed à naturâ, malitiam habere, & à Deo creatos ſic eſſe, vt ex vi ipſius creationis fuerint mali, non vitio ſuo.

Vnde cùm Sancti Patres de Angelis loquuntur, quaſi priùs bonis, poſtea malis; non accipiendum eſt ſecundum differentias temporis (niſi clare id exprimant) ſed ſecundùm conſequentiam naturæ; vt ſignificet ex Deo & primâ causâ bonos eſſe; ex ſemetipſis malos. Quod Auguſtinus docet ab errore omni liberum eſſe. Qui autem Patres clarè diſtingunt tempora, ex ijs fere ſunt, qui Angelos corporeos exiſtimauerũt: & de ijs, vt talibus, diſcurrebant & pronunciabant.

Ex dictis patet, quid in Angelis lo-

cum habeat illuſtrationum & inſpi-rationum ſanctarum. Scilicet illa cognitio quâ totam naturæ & myſteriorum ſeriem comprehendebant; quæ quatenus motiua oſtendebat, quibus Deo obſequi clarè melius erat, illud erat & agebat, quod in nobis ſunt & faciunt illuſtrationes: & quatenus diſponebat affectum angelicum ad idem, eatenus inſpirationum officium & nomen promerebatur.

Quoniam autem hæ illuſtrationes & inſpirationes, in ſanctis Angelis operatæ ſunt effectum ad quem datæ ſunt, ex eo quòd ordinatio rerum creatarum à Deo extrinſeca ipſis Angelis, comparata ad affectus bonorum, fecit eos efficaces ad vitam æternam, quod non fecit reſpectu reproborum; patet gratiam quam vocant efficacem datam bonis, & non malis. Cùm enim non fuerit in aliquibus, manifeſtum eſt gratiæ rationem habere reſpectu eorum in quibus eſt.

Cumque Deus nihil operetur fruſtra; & illuſtrationes inſpirationeſque

hæ non habuerint fructum in reprobis; patet easdem bonorum non reproborum causâ esse datas; & per consequens, comparatas ad hoc qnod communiter operantur in reprobis & sanctis, habere rationem gratiæ, cùm non ex meritis ipsorum, sed propter particulares electos omnibus sint indultæ. Quare clarum est etiam reprobos habuisse gratiam quâ poterant esse boni, etiamsi non fuerint.

Sed cùm hæ illustrationes & inspirationes sint respectu Angelorum permanentes, & quasi pertinentes ad actum primum; euidens quoque fit, hanc gratiam comparari ad eos, sicut sanitas ad hominem; & non sicut adiutorium transiens & relinquens suppositum habitualitèr imperfectum; qualis est vsus baculi ægroto; & cuiusmodi est gratia auxiliaris in hominibus post lapsum Adæ.

Ex quibus intelligitur, quid sit natura Angelis: illæ videlicet dotes, quæ cùm sint communitèr in electis & reprobis, habent etiam effectus ad quos datæ sunt in vtrisque; saltem quoad

ſpeciem. Patet enim Angelos per cæcitatem & obſtinationem, etiam operationes communes imperfectè agere; & eſſe fauciatos, etiam in naturalibus, ſicut homines; impoſſibile enim eſt ab vltimo fine eſſe auerſum, abſque eo quòd operationes contra rationem & naturam fiant.

Patet quoque gratias illas habituales Angelis datas eſſe ſecundùm proportionem ad ſuas naturas. Cùm enim conſiſtant in cognitione; & cognitio angelica ſit neceſſariò proportionata naturæ; palam eſt & illuſtrationes eſſe eidem naturæ proportionatas, & quia illuſtrationes ſecundùm vim ſuam in affectum ſunt inſpirationes, proportionati ſunt autem intellectus angelici affectibus, fit etiam inſpirationes, atque adeò totam gratiam habitualem, iuxta proportionem naturæ eſſe datam; & Angelos ex purâ gratiâ efficaci eſſe diſcretos.

LECTIO VIII.

De Actione Angelorum in inuicem

Continuato discursu elucescit, quòd quoniam angelica perfectio consistit in conuersione ad superiora; natura autem perfectibilia dirigat ad suam perfectionem: ex impetu suæ naturæ & cognitionis sui, per prius dirigi quemlibet Angelum ad contem plationem superiorum: & saltem supremum ad contemplationem immediatam ipsius Dei; mediante quo obiecto, cætera omnia comprehendat.

Et quoniam natura quodcumque de potentiâ versus actum impellit, per status gradus & media perducit ad terminum & finem, & per faciliora progreditur ad difficiliora: palam autem est, quòd cognitio immediatè superioris est facilior, quàm cognitio longè positi; necesse est primum Angeli obiectum, immediatè consequens essentiam ipsius Angeli, esse

Angelum immediatè ſuperiorem. Et quia rurſus, facillimum ſecundo obiectum eſt Angelus ipſi immediatè ſuperior; etiam & Angelo inferiori, poſt cognitionem immediatè ſuperioris, facillima erit cognitio proximè ſuperioris; & ſic vſque ad ſummum, & Deum, ordinatè proceſſura eſt ipſius ſcientia,

Dices, Deum debere eſſe primò viſum poſt eſſentiam Angeli; vt patet & ex connexione effectus & cauſæ, & ex ſimili in Adamo. Reſpondetur hoc in Adamo rationabiliter contingere; tum quia non inconuenit cognitionem ipſius de Deo eſſe imperfectam; tum quia cognitio Dei erat futurum ei principium multarum actionum, per quos cæterorum cognitionem acquiſiturus erat: tum quia non vno certo modo, ſed per plures vias ad eandem cognitionem pertingere natus erat.

Angelus autem cùm in momento omnem cognitionem natus ſit comprehendere; cognitio Dei (etſi poſt alia) erat ei principium primæ volitionis liberæ; & meliùs, cùm meliùs

ex omnium cæterorum cognitione cognoſcatur. Vnde à perfecto cognoſcente niſi per illa non debuit cognoſci. Vt qui non niſi vnâ viâ ordinatiſſimâ ad vnum cognitum procedat.

Dices, cùm Deus poſſit immediatè cognoſci ex eſſentiâ Angeli; Angelus autem omnem ſibi poſſibilem cognitionem hebeat; eum ex neceſſitate cognoſciturum Deum immediatè ex ſuâ eſſentiâ. Reſpondetur, Angelum in vniuerſalitate ſuæ cognitionis, cognoſcere omnia omnibus modis quibus ab ipſo ſunt cognoſcibilia. Sed hoc accidit ex plenitudine ſcientiæ; dum verò apprehenditur ſcientia Angelorum incipiens & quaſi in fieri, per faciliora procedit, id eſt, à magis conformibus & connaturalibus, cuiuſmodi ſunt proximæ illi naturæ, quæque ex prioribus comprehendi natæ ſunt.

Et quia eſſentiæ Angelorum ſunt ſicut numeri vel figuræ; & euidens eſt numerum vel figuram immediatè ſuperiorem poſſe cognoſci ex inferiori; palam quoque eſt eſſentiam ſuperioris Angeli, ex eſſentiâ inferio-

ris poſſe cognoſci. Cùmque Angelus quoad exiſtentiam non pendeat niſi à ſolo deo, & à meritis ſuæ eſſentiæ; id eſt, ab eo quod ſit digna eſſe pars mundi, ſeu per ſe ſpectabilis, & accommodata maximè ipſi cognoſcenti: etiam clarè videt inferior magis eſſe neceſſarium vt ſuperior exiſtat, quàm vt ipſemet; ac proinde exiſtere ſuperiorem.

Vnde fit euidens, ſuperiores Angelos eſſe à priori inferioribus, & quodammodo cauſas quaſi Ideales; etſi non concurrant ad eorum exiſtentiam actione efficienti. Quare neceſſum erit Angelo poſtquam cognoſcendo peruenerit ad Deum, repetito itinere in ſe reuerti quaſi à priori, cognitione comprehenſiuâ: & ſic per participationem cauſalitatis Diuinæ, quaſi per modum artificis, cognitionem ſuam deriuare ad inferiora.

Obijcies, ſi hæc ſic ſe habeant, non poterit Deus alium aliquem Angelum facere, quam quos fecit; neque aliquem horum non feciſſe; cùm omnis Angelus immediatè ſuperior ſit neceſſarius per modum obiecti An-

gelo inferiori. Rursus, neque posse perfectiorem primo Angelo, cùm non possit esse alius Angelus cui naturale sit immediatè subesse Deo, & omnia in eo videre; cùm neuter neutrum possit excedere, & per consequens æquales, & consequenter ijdem forent.

Respondetur, si quæstio sit de hoc mundo, palam est in eo consistere laudem artificis, vt nullum ipsius membrum deficere possit, vel accommodatius fieri, absque luxatione totius operis. Cùm itaque Angeli sint præcipua membra ipsius, omnino credendum est, Deum neque alium inserere posse, neque aliquem horum prætermittere, absque deformitate mundi. Et quo maior est huius veritatis necessitas, tantò & mundum esse perfectionem, & artificium magis commendabile.

Sin de exorti Dei potentiâ, absque comparatione aliâ, quam inter Deum & creabile, sit quæstio; sic nihil concludi potest, quin Deus excelsiorem Angelum possit creare, qui alia aliqua nobiliora quàm quæ sunt in hoc

mundo in ipſo poſſet videre, & eſſet perfectior ſupremo Angelo, ſed non accommodatus ad optimum mundum. Non poſſe autem inter duos Angelos creari medium, non eſt maius inconueniens, quam inter duos numeros vel figuras immediatas, Deum non poſſe facere medium. Etſi ſicut corpus aliquod produci poſſet inter corpora ordinata in hoc mundo, quod tamen non producetur quia hunc ordinem violaret; ſic etiam medius Angelus producibilis etiam dici poſſet; qui tamen ſi foret, ſpecioſitatem connexionis Angelicæ diminueret.

Ex his vlteriùs dilucet, quòd quoniam Angelus immediatè ſuperior, eſt medium in quo inferior videt ſuperiora ſe; eſt reſpectu inferioris quaſi lumen; & per conſequens illuminat ipſum. Et quoniam eodem modo per ſingulos ſuperiorum pertingit ad eos qui immediatè ſunt ijs ſuperiores; ab omnibus ijs mediatè illuminatur. Et quia deſcendit iterum à priori, rurſus à Deo & illis omnibus illuminatur, & magis quàm priùs.

Quia verò ſua ipſi eſſentia eſt æqualis & coniuncta, ad inferiora verò habet ſuperioritatem, & propterea non indiget aliquo illorum ad ipſa cognoſcenda; propterea non illuminatur ab ijs; ſed quoniam ex cognitione ſuperiorum deſcendit ad ipſa cum plenitudine cauſarum à priori, à ſuperioribus etiam circa ipſa illuminatur, melius ea comprehendens ex iis. Et quanquam ſuperiora meliùs per inferiora etiam cognoſcat; quia tamen hoc eſt à poſteriori, & ad abundantiam non ex neceſſitate; non dicitur ab iis illuminari: ſicut habens demonſtrationem, non dicitur melius ſcire ex eo quod habeat etiam apparentem aliquam rationem.

Quoniam verò omnis cognitio valet ad affectum in animó bene diſpoſito; affectus autem Angeli eſt ad inferiora & ſuperiora, & bene diſponitur, quatenus non amat inferiora niſi propter ſuperiora: palam eſt illuminationem ſuperiorum, quatenus facit videre qualitatem obiectorum vtrorumque, eatenus & purgare infe-

riores ab amore objectorum creatorum; & reducere omnes affectus eorum vt ſubordinentur, & quaſi coeant in vnum ad Deum; quod vnire appellat Dionyſius.

Ex quo rurſus patet Angelos reprobos non illuminare, neque purgare, vel vnire inferiores bonos; quantumuis habeant rationem obiecti reſpectu ipſorum, ex vi naturæ. Quia cùm reprobi non ſint in ſeſe boni, non eſt ex vi ipſius obiecti quòd Angelus inferior bonus maneat illuminatus. Sed quia non recipit impreſſionem ab ipſo niſi quatenus conuenit cum ſuperioribus bonis, & ab ipſis mediante lutulento canale deriuat ad ſemetipſum; idcirco à ſuperioribus bonis tantummodò illuminatur.

Reprobi proinde excæcant, contaminant, & diſſipant eos quibus propria ſua imprimere poſſunt; id eſt, inferiores ſimul lapſos. Quia faciunt eos nimium æſtimare inferiora, & amore ipſorum voluntatem eorum inquinant, & ad plura diſpertiunt. Quorum contraria cùm à bonis procedant, vides vtroſque

quaſi perſuadere ſequaces ſuos, & facere eos facere quæ faciunt; & per conſequens, eſſe cauſas omnium quæ inferiores eorum ſectatores operantur.

Euidens iam eſt in quo conſiſtat pugna inter Michaelem & Diabolum; & cur Michael primus inferiorum qui ei reſtitit, meruerit hoc nomen, *Quis ſicut Deus*. Ille autem nomen *Sathanæ*, id eſt, ſcãdali ſeu offendiculi; & Diaboli, id eſt, calumniatoris, quaſi inducentis ad mala vnde accuſentur ea facientes; & ſerpentis antiqui: ſerpentis enim nomen inſidiatorem, & tentatorem, & ex vi deriuationis, & ex metaphorâ nominat. Nomen autem *Beelſebub*, ex multitudine cruoris, vel muſcarum circa altaria ipſius, accidentale nomen videtur eſſe &: poteſt Dominum crudelitatis vel vanitatis ſignificare.

Ex dictis etiam patet, quid ſit angelica locutio: & quod ſolus ſuperior loquatur, & inferior audiat. Cum enim locutio ſit manifeſtatio incogniti; palam eſt inferiorem non poſſe loqui ad ſuperiorem; non ma-

gis quàm eum illuminare. Neque refert, quòd in Sacris Scripturis memorentur Angeli promiscue loqui ad sese; tales enim locutiones sunt visionariæ, non ad aperiendas suas mentes inuicem, sed accommodatæ ad illuminandos prophetas spectantes, & auditores postmodum legentes, de Mysterijs quæ docent.

Linguæ autem Angelorum, quarum meminit Apostolus, sunt linguæ quibus Angeli describuntur locuti hominibus; quæ notæ erant fidelibus ex Sacrarum literarum vsu: de talibus enim linguis ipsi tunc erat sermo, quæ erant stupendæ infidelibus: vt patet ex dictis; & ipse Paulus & priùs, & in eo ipso textu testatur, subijciens, quòd sine charitate faciant hominem æs sonans vel cimbalum tinniens; quod non conuenit nisi sonis & vocibus; quales non possunt existimari formari ab Angelis ad sua colloquia.

Non rectè itaque in hoc textu fundatur collocutio Angelorum; quæ supponere deberet Angelum ignorare plurima; non simul & vno actu cognoscere quæ cognoscit; & per conse-

consequens, mutare actus; esse durationem propriam actuum angelicorum, & quidem loquentibus & audientibus communem; non cognoscere cogitationes cordium; ab extrinseco accipere cognitionem; & per consequens, non ex connexione deriuari ipsius cognitionem ad plura: quæ ex supradictis repugnant naturæ angelicæ.

Præterea ea positio impeditur in explicatione signorum, num corporalia sint, an spiritualia? num necessaria, an ex placito? an singuli Angeli propria signa habent, quæ cæteri omnes intelligant; an sint eadem signa omnibus communia? cur cùm vnus alteri loquitur, cæteri non audiant? Quid sit excitatio ad audiendum? an fiat etiam inuito audiente? an prærequiratur voluntas eius? Vtrum quoque sint qualitates in audiente vel loquente?

Præterea de modo agendi, an sit per sympathiam, seu per modum conditionis præcise; an per actionem Physicam vnius Angeli in alium? An vnus Angelus possit mentiri al-

teri? & plura similia; quæ manifestum est partim esse impossibilia in naturâ; partim tracta ex vsu humano, & suppositione politicæ cuiusdam & socialis conuersationis inter Angelos; quæ de se est inconueniens, vt supra declaratum est. Quare cum constet nullam esse Physicam actionem Angeli in Angelum, ratio actionis eorum in inuicem manet exposita.

LECTIO IX.

De Actione Angelorum in corpora, & specialiter in homines.

ACceptâ à Metaphysicâ Angelorum lege, ne quid præter rarefactionem immediatè agant; & in eorum potestate cuncta esse quæ per rarefactionem fieri possunt; & elementalem conuersionem (quæ naturalium omnium est fundamentalis) consistere in rarefactione: palam est, nihil in his quæ nos circumstant adeò admirandum esse, quod non possit angelicâ virtute perfici; & hoc, morâ oculos nostros fallente,

etſi non in vero inſtanti.

Patet itaque omnia miracula quæ in Sacris libris commemorata ſunt, & quæ fidelibus vltra exceptionem in Eccleſiâ hiſtoriis commendata ſunt, non ſolùm potuiſſe fieri ab Angelis, ſed etiam ipsâ re patrata eſſe, quoties vox Diuina vel in Chriſto, vel alitèr non eſt ſpecialitèr applicata. Tum enim Deus per vocem ea operatur: cæteroqui verò, cùm Deus nihil præter ipſum *eſſe* immediatè operetur, palam eſt angelico miniſterio opus eſſe.

Rurſus cùm ea quæ in gratiam Eccleſiæ (vltra quæ ad naturalem mundi conſtitutionem requiruntur) peraguntur, alia ſint quæ ad hoc deditâ operâ fiunt, vt ex eo proficiant, quòd nota ſint eſſe præter naturæ leges ordinarias; alia verò ipſo dumtaxat eſſe ſuo Eccleſiam promoueant: palam eſt, non poſſe neque debere prioris naturæ effectibus cauſas aſſignari, quæ conſueto tenore eos producant. Sic enim falſitate mediante veritas ageret; & cùm aperiri nata eſſet fallacia, non ſolùm inefficax,

ſed perſuaſioni contrariæ inducendæ idonea foret talis operatio.

Eæ autem operationes, quæ ſolâ ſui exhibitione promouent Eccleſiam, niſi ordinatis in ipsâ conſtitutione Eccleſiæ, & accommodatione naturæ ad ipſam, cauſas proprias ſortiantur, non poterit perfecti artificij (quale à Deo expectari fas eſt) integritas & decor ſaluari. Quare non eſt expectandum, vt ad illiuſmodi operationes mundo quaſi infirmo medicæ Angelorum manus adhibeantur.

Ex quibus conficitur, angelicam operam non requiri, neque miſceri naturæ, niſi cùm neceſſitas per ſe vrget; id eſt, vt non effectus tantùm, ſed etiam modus effectus, ſcilicet vt præter naturæ leges fiat, requiritur. Ex quo rurſus patet, fidem illorum, in quorum gratiam opus extraordinarium fit, eſſe cauſam miraculi facti; vel finalitèr, vt cum fit vt ipſi credant: vel impulſiuè, cùm vel qui facit, vel ille cui fit, petunt & expectant à Deo talem operationem.

Vndè rurſus clarum eſt, cur toties

in Sacris Scripturis audimus, *secundum fidem tuam tibi fiat: Fides te saluum fecit*: quod quidam habuit fidem sufficientem ad sanitatem: quòd fides velut granum sinapis, mitteret montem in mare: quòd propter infidelitatem Dominus non potuerit facere signa; non quòd potestas ei deesset; sed quòd in illis dispositio: & similia plura; quæ testantur hanc esse miraculorum seu mutati naturalis ordinis propriam & per se causam.

Patet quoque cur miracula seu angelicas operationes frequentius audimus certis locis & occasionibus patrari. Cùm enim fides in Deum, per confidentiam in precibus alicuius Sancti; & hæc, ex testimonio eorum qui opem ab illo Sancto meruerunt; & per apprehensionem sanctitatis loci alicuius, aut imaginis, aut hominis, augeatur; fit eam in similibus circunstantijs requirere Angelorum ministerium, sæpiùs quàm in aliis.

Et hoc etiam patet, miracula esse quidem plerumque signa fidei; & per consequens etiam alicuius gra-

dus ſanctitatis; non tamen majoris; cùm plerumque naſcantur ex addictione intellectûs & voluntatis, circa particulare aliquod objectum; cùm (niſi per ſpecialem inſpirationem à Deo hoc fiat) maioris ſanctitatis opus foret, remittere diuinæ diſpoſitioni totaliter quomodo ea res agi deberet. Ex aliquâ itaque ſanctitate, ſed non perfectiſſimâ, plerumque ſunt miracula.

Patet etiam cur parentum, pauperum, & afflictorum & benedictiones deſiderandæ, & imprecationes timendæ ſint; quando videlicet ex iuſtâ cauſa procedunt: quia ſcilicet ex magno plerumque affectu naſcuntur: qui cùm fidei coniunctus eſt, ipſam & auget; & per conſequens, facit creſcere in talem, vt à Deo exaudiatur, & angelicas manus requirat.

Vlterius, cùm in angelicis naturis, nihil poſſit ſupponi aliter quàm ſecundùm quòd à naturâ propenſionem acceperunt agi; neque Deus aliquid ad libertatem exercendam, ſeu animi gratiâ (quod fatuorum eſt) agere credi debeat, immò nihil niſi

prout expedit creaturis & opificio ſuo; euidens fit, Angelos præſidere corporibus iuxta proportionem optimam ipſorummet ad corpora poſſibilem in hoc ſtatu Vniuerſi; atque adeò ſecundùm quod eſt eis naturale.

Quare ſolos duos choros poſtremos immediatè agere circa corpora: Archas tamen, Dynames, & Exouſias, eſſe à quibus poſteriores chori leges ſuas primariò trahant, ſecundùm naturam ſingulorum operum: primos verò quatuor choros, nullam ſpecialem operam corporibus impendere. Vnde ipſi (magis verò tres primi) ſunt purè aſſiſtentes. Kyriotetes enim licet non ad corpora, ad ſeſe tamen aliquam conuerſionem habent. Tres ſequentes medij ſunt inter aſſiſtentes & miſſos. Duo poſtremi propriè miſſi & adminiſtratorij omnes, vt de ijs dicit Apoſtolus.

Quoniam autem propinquiſſima & proportionatiſſima Angelis corpora ſunt humana ſeu homines; in quibus Angelorum qualitates vniuocè reſplendent, ſaltem ſecundùm ani-

mam: eademque, finalia naturæ; & ex eo capite vniuersalitatem quandam respectu naturæ participantia: Palam est, Angelos singulos singulis hominibus specialitèr proportionatos reperiri. Cùm enim secundùm diuisionem factam virtutum humanarum, necesse sit, singulos homines aliquem singulorum gradum principalem in se habere; idem quoque proportionalitèr sit principalis in aliquo Angelo: clarum est, hunc Angelum illi homini specialitèr esse proportionatum.

Ex quo habetur, cur talis Angelus huic homini præsideat; & quòd hoc ex naturâ sit, ab ipsâque infusione animæ; quia inde incipit proportio. Quia tamen ad finem supernaturalem est tota motio Angeli; hoc donum naturæ in Adamo integræ datum & non perditum lapsu, ad nos deriuatum est. Neque obstat circa aliquos nunquam fortassis naturæ leges inuerti; hoc enim non impedit quin Angeli ex naturæ proportione præsideant & aduigilent.

Et hanc quidem curam tutelarem esse

esse propriam vltimi chori, suadet immediata proportio. Vnde fit Archangelorum munia esse ea, quæ ad vniuersam Ecclesiam, vel certè aliquam particularem Ecclesiam in ordine ad vniuersalem, seu vt effectus in eam redundet, spectant. Sic Michael pugnare contra Draconem; exurgere pro filijs Israel; esse principem Ecclesiæ; & adiuuare particulares Angelos legimus. Gabrielem mitti legatum de reparatione mūdi. Alium tubæ sonitu reparare vniuersum. Raphaelem exemplum curæ diuinæ in populi Israelitici adhortationem exhibere. Quæ omnia publicum ministerium testantur.

Consequenter ad Archangelorum chorum pertinebunt publica corpora, & eorum administratio, seu actio. Quare Angeli ignis, ventorum, & aquarum, qui commemorantur in Apocalypsi, ad illum chorum spectabunt. Hæc enim corpora, sunt vniuersalia naturæ instrumenta ad agendum. Vnde quoque est, quòd nullus terræ Angelus legitur deputatus; quia terra patientis, non agentis vicem habet.

Specialitèr inter operationes Angelorum commemorantur, apparitiones in corporibus ſolidis; & quòd preces piorum offerant Deo. Quarum hæc clarè Metaphorica eſt, & non ſignificat aliud, quàm preces noſtras facere dignas quæ audiantur; puta per curam & aſſiſtentiam ſuam. De prioribus aduertendum, non ſemper Angelum apparere quoties tale corpus mouet; ſed ſæpe Deum. Ille enim apparet quem exhibet, ſeu cuius repræſentatio eſt in tali corpore; non verò qui facit talem repræſentationem. Quoties itaque repræſentatio eſt Dei, Deus apparet non Angelus; etſi ſolus Angelus immediata ſit cauſa repræſentationis.

Tandem concluditur, omnia bona quæ hominum generi aliquo modo contingunt, à Deo per Angelorum miniſterium ad homines deriuari. Cùm enim ex Philoſophiâ conſtet, corpora prima per ſe lucentia, Angelorum ope moueri; & mediante eorum motu, omnes operationes naturales fieri; & ex diuinitùs traditâ doctrinâ didicerimus, & mundum &

Adamum formatum & instructum eorundem ope; & ex dictis omnes operationes supernaturales vel certè plerasque, & generales ex quibus omnia nostra opera bona ortum habent, ab ijs oriri: clarum est, omnia bona nobis ab ijs proficisci, & ijs accepta referenda.

LECTIO X.

De Actione malorum Angelorum, tum in Homines, tum in Angelos bonos.

VTque ab Angelis omnia nobis bona proueniunt, sic omnia mala à Diabolo. Cùm enim ex persuasione Diaboli pertracti sint primi parentes ad peccatum; & ex eo peccato fluxerit inordinatio appetitus sensitiui in toto genere humano; & ex eâ, omnia peccata & ignorantiæ; quin etiam mortalitas & morbi, & mala quæcumque tum naturæ tum violentiæ: Palàm est, à Diabolo omnia mala in humanum genus fluxisse.
Et hoc non solùm tanquam à cau-

sâ quæ posuit effectum materialiter; sed tanquam à causâ actualiter concurrente. Quantùm enim necesse est, vt causa præmota moueat, tam necessarium est, vt à causâ deficiente effectus prodiens sit deficiens. Vnde patet (vbi Deus non supplet) defectum ex vi causæ positæ à Diabolo sequi, quantum positiuus effectus sequitur ab eo, qui & primam causam posuit, & actu præterea præmouet; cùm ad non esse, non sit alia præmotio.

Patet iterum, cùm omnes creaturæ sint ministri Dei; & Deus eis vtatur secundùm qualitates earum; quòd sicut bonis Angelis vtitur ad benefaciendum, sic malis ad malefaciendum: & nunquam è conuerso. Quare cùm aliquid mali inferendum est hominibus præter tenorem causarum consuetum; tunc patet esse articulum agendi Dæmonibus. Siue hoc malum sit propriè malum, siue tantùm dispositio ad maius bonum: sicut in sancto Iobo.

Dices, pluribus locis sacræ scripturæ constare, Angelos bonos malefe-

ciſſe hominibus; vt qui peſtem intulit Hieroſolymis; interfecit exercitum Sennacherib:&c. Reſpondetur, cùm Deus ſit cauſa mali pœnæ quatenùs bona eſt; nihil repugnat etiam Angelos bonos eſſe miniſtros ipſius; Sed quatenus bona eſt;& non immediatè, ſed mediatè; ſcilicet mediantibus Angelis malis. Et ſic Angeli citati tantum imperio præfuerũt actioni vt à Deo proficiſcenti, non autem executionem ipſam exercuerunt.

Conſentaneum quoque eſt dictis, eſſe ſingulos Dæmonas appropriatos ſingulis hominibus, ſaltem vitioſis, ſecundùm proprietatem vitiorum ipſis naturalium, id eſt, ex parentibus tractæ inordinationis. Cùm enim non ceciderint Angeli, niſi ex ijs choris qui conuerſionem aliquam habent ad corpora; palàm eſt Dæmonas magis conuerſos eſſe ad corpora, quàm bonos Angelos. Cùm itaque cætera corpora ab humano diſcedant per exceſſum vel defectum, ex quibus naſcuntur vitia; etiam Demones cum ſimilibus hominibus maiorem connexionem habent, quam Angeli ex vi

naturæ cum bonis.

Hinc videas, cur Dæmones quicquid poſſunt mali operantur; etiamſi non lateat illos, plus boni hominibus poſtmodum exinde euenturum. Cùm enim appetitus nocendi præualeat in eis fulgori veritatis, etiam contra ſcientiam operantur (vt & Animæ ſeparatæ reprobæ): & inde fit vt miniſterium eorum nunquam deſit Deo, ad iudicia ſua exercenda; abſque eo quòd impellat eos, vel aliquo modo præter naturam & inclinationem eorum imperet. Vnde leguntur & in Iobo, & in viſione Michææ, ſponte ſeſe obtuliſſe.

Vnde apparet, non poſſe illos quicquam, præter eos articulos, quando iudicia Dei requirunt, mali à ſeſe patrare. Si enim poſſent, totum vniuerſum confunderent; cùm quicquid poſſibile illis foret mali, ſemper agerent. Neque etiam poſſe quicquam boni ab ijs prouenire, vt plus mali ſequatur; quia non reguntur ratione; & pronitas ad malum faciendum ſuperat in illis vim veritatis totaliter.

Quare ſuſpectæ ſunt familiares illæ

historiæ, quòd vnus Dæmon ſubleuet malâ quæ alius Dæmon infligit. Et multò magis damnanda ſunt Iudicia eorum, qui quicquid vidēt fieri, quorum cauſas ignorant, ea ſtatim magicis artibus tribuunt, & operationi Diaboli: cùm magis (ſi operationes ſunt bonæ) Angelis & Deo attribuere deberent; qui ſunt nobis omnium bonorum cauſæ & authores; & volunt omnia bona à ſeſe expectari; exemplo Salùtatorum & Pſalmidicorum, & aliorum profitentium gratias gratis datas.

Sequitur Dæmonas non facile miſcere ſeſe rebus humanis, niſi quando malum aliquod ſic oporteat à Deo proficiſci, vt appareat hominibus, præter naturæ ordinem profectum: verbi causâ, cum imprecationes vehementes, præſertim parentum vel afflictorum hoc exigunt, vel fides petentium: vt cùm Paulus Elymam excæcauit: & in ſimilibus. Non enim maior libertas Diabolis, quam Angelis tribuenda eſt.

Suſpectæ proinde ſunt tot hiſtoriæ priuatorum malorum & damnorum,

Dæmonum operâ illatorum; & quæ re ipsâ ſunt Chriſtianæ vitæ & actioni nociuæ: nam & faciunt infirmos quærere opem Diaboli; cùm ipſe credatur faciliùs exaudire quàm Deus, & ipſum faciunt timendum. Vnde redduntur fideles obnoxij ad vitanda illa quæ poſſunt illum irritare, & ad eum placatum habendum.

Præterea ſi ſimiles hiſtoriæ forent veræ, mundi gubernatio magis penderet à Dæmonibus, quàm à Deo, quoad particularia. Nam huiuſmodi hiſtoriæ ſunt quotidianæ, teſtibus & iudicijs comprobatæ: cùm hiſtoriæ de ſanctorum auxilijs, & longè rariores, & rariſſimè publicis teſtimonijs confirmatæ. Sed & hiſtoriæ de Dęmonibus multitudinibus communes, & integris monaſterijs præſertim mulierum: Cùm ſanctorum conuerſatio difficulter vni alicui exortis ſanctitatis communicetur.

Ex vtroque capite falſæ ſunt hiſtoriæ de oraculis, augurijs, auſpicijs, & extiſpicijs, & ſimilibus Idololatriæ fulcimentis, quorum perpetuus erat vſus nullâ vtilitate, inſigni malo; &

præterea plerumque bona erant quæ petebantur. Nullo itaque modo credendum aliquam fuiſſe in his veritatem. Niſi ſi quando Deus vſus eſt communi errore ad aliquid prænunciandum : ſicut in Balaamo & Sibyllis;& tunc rem geſtam eſſe per bonos Angelos, non per malos; quia veritas á bonis nata eſt prodi, non à nequam ſpiritibus.

Obijcies tot loca ſacræ ſcripturæ, in quibus ſit mentio augurum,& reſponſorum Dæmonum; & ſpecialitèr de Pythoniſſâ, quæ excitauit Samuelem. Reſpondetur non negari augures,id eſt,profitentes auguria.Sed dici eos circulatores fuiſſe & planos,& præſtigijs artificioſis,non ope Dæmonum præſtitiſſe quæ faciebant. Nihilo tamen minus merito ſuo fuiſſe grauiſſimè punitos; quia populum à cultu Dei auocabant, & ad idololatriam adigebant. Clarum enim eſt, exprobrari vbique â Deo idolis, quòd neſcirent futura;neque poſſent adiuuare ſuos cultores : quod fuiſſet inconueniens , ſi quotidie ope Dæmonum vera prædicebant, & multa bona ijs præſtabant.

Quoad historiam verò Samuëlis, respondetur, Pythonissas fuisse ventriloquas; quæ quia ex imperfectione aliquâ & monstrositate naturæ, vel etiam arte, habeant præter ordinariam vocem, posse simulare aliam quasi longinquam; fingebant sese suscitare mortuos, & eos ex sepulchris hianter loqui: & pluribus cæremoniis dementatis, consulentibus responsa ex suo capite reddebant; neminem spectandum, sed tantum vocem audiendam exhibentes.

Deus autem miscuit sese & exhibuit Samuëlem improuisum mulieri. Vnde & ipsa extimuit vt vidit Prophetam ascendere de terrâ, quod non erat ei consuetum. Licet enim ista non possint conuinci ex literâ, liberè tamen hanc explicationem patitur textus. Et qui tunc exhibuit Samuëlem erat Angelus, non nequam. Sed dicitur Samuël prophetauisse, quia verè ipse apparebat ministerio Angeli, non Angelus qui eius apparitionem faciebat.

Obiicies rursus fidem tot historiarum, maximè de Apollonio Tyanæo,

qui dum cæderetur Romæ Tyrannus, ſignificauit illud longè poſitus: & confirmant Hiſtorici certiſſimè factum. Reſpondetur Hiſtoricos plerumque famam, magis quam oculatos teſtes, in priuatis actionibus exponendis, ſequi. Vnde etſi quantum fama eſt indefectibilis (vt in publicis effectis) eo vſque ijs fidi poſſit; vbi tamen ex relatione aliorum pendet, ibi incerta admodum eſt hiſtoria.

Quod verò ſpectat Apollonium Tyanæum, palam eſt vaniſſimum & mendaciſſimum hominem fuiſſe. Quoad hoc autem particulare factum (quoniam ab hiſtoricis refertur tanquam certiſſimum) ſi factum fuit, ſecretâ, vel mihi certè incompertâ humanæ Animæ vi, geſtum crediderim; quæ per ſomnium prope mortem, & in furioſis, aut penetrat aut certè multorum teſtimonio perhibetur penetrare, aliqua abſentia vel futura de quibus ſollicita eſt. Aduertendum tamen Dionem (qui hoc confidentiſſimè narrat) perpetuum eſſe in ſimilibus nugis, & Superſtitioſum, & proindè deceptu facilem.

Obijcies tertiò consensum omnium Doctorum Infidelium, immò & Sanctorum plurium Patrum. Respondetur, eos doctos qui in libris alienis legendis summam doctrinam posuerunt, multitudine authorum ferè regi; & hos quidem plerumque his fabulis assensos fuisse; ex quibus specialitèr fuit Plutarchus, qui libellum de cessatione Oraculorum scripsit. Verè enim vulgus, id est, plures (etiam eorum qui paululum caput supra cæteros eleuauerunt) his nugis obnoxij fuerunt.

Quoad Philosophos verò, semper plures erant qui hæc irriderent. Sic Diodorus Philosophos Alexandrum comitantes docet Chaldæos irrisisse. Sic Epicurei & alij. Sic viri prudentes plures contemnebant auspicia. Cato mirabatur Aruspicem posse sine risu alium Aruspicem intueri. Tullius in libris de Diuinatione, Lucianus in Incredulo, deridet similia. Insignis verò est historia apud illum Pseudomantis; vbi artes & imposturæ Oraculorum nudantur.

Sancti verò Patres, cùm contra in-

fideles & apud infideles locuturi essent; si grauem testium nubem apertè repudiarent, periculum incurrebant opinionem proteruiæ & pertinaciæ de Christianis in Infidelibus generandi : atque proinde magis quærebant quomodò hæc fieri possent declarare, quàm an vera forent inuestigare. Quod in plerisque etiam non poterant, vel quia antiqua erant, vel quia absentia. Sed neque aliquos tantâ authoritate dicentium motos esse inconuenit.

Consequens est, non esse aliquam artem Dæmonas eliciendi in conspectum hominum : cogendi eos ad mirabilia operanda; imperandi inferiori per superiorem; immò neque lædendi per carmina fruges vel personas; vel incantandi, vt vocant, siue homines siue Animalia, siue in bonũ siue in malum : & hæc profitentes esse vel nequissimos circulatores; vel certè læsi cerebri, qui sibi persuadeant se facere quæ nunquam agunt.

Omnia enim hæc includunt promiscuam potestatem Diaboli ad ma-

lefaciendum, abſque articulo notorio diuini Iudicij. Rurſus multa bona ab his dicuntur hominibus euenire; vt inuentio theſaurorum; ſanitates aliquæ, &c. Item miranda in naturâ opera, vel ſcientia futurorum, quibus irretiuntur homines, vt quærant à Diabolo, quæ ſolius Dei eſt promittere & dare. Vnde præiudicium eſt doctrinæ & actionis Chriſtianæ vel credere hæc poſſe fieri & ſolere.

* Obijcies ex ſacris literis Incantatores Ægyptios, qui reſtiterunt Moſi, & ſimilia illi miracula perpetrauerunt. Et quòd ſæpe mentio habeatur de ijs qui incantant ſerpentes: & quod huiuſmodi effectuum profeſſores ſtipendiabantur à Regibus Ægyptiorum & Chaldeorum. Adde etiam innumeras hiſtorias antiquas & modernas.

Reſpondetur, ex Hebræo textu manifeſtè elici, incantatores Ægyptios fuiſſe Phyſicos; id eſt, qui naturalia experimenta fecerunt: & non carminibus, ſed ſecretis, id eſt, artibus vulgò incognitis feciſſe quæ fece-

ſunt. Cùm enim Ægyptus terra ſit ex omnibus olim notis calore & humore redundantiſſima, & feraciſſima ſerpentum & Animalium ſubito naſcentium; & populus ingenioſus: habebant Ægyptij artes maturandi generationem imperfectorum Animalium.

Et fuiſſe operationes eorum leues, & non comparabiles Moſaicis; etiam ex ipſo textu conſtare poteſt. Ex eo quòd ſerpens Moſis deuorabat ſerpentes eorum: & Moſes per totam Æpyptum plagas inducebat; Magi verò tantummodò aliquid ſimile operabantur; vt oſtenderent ſpeciem operationis non fuiſſe vltra artem. Vnde ſerpentes & ranas poterant facere, quæ humida ſunt: Cyniphes autem non potuerunt; quia difficilis eſt tranſmutatio ſiccorum; & non niſi per mixtionem humidi poteſt ſubitò perfici generatio.

De incantatoribus verò ſerpentum, etiam hodie ars quædam dicitur eſſe in aliquibus Africæ regionibus, ſibilo euocandi ſerpentes: ſicut perdices & coturnices ſimilibus arti-

bus decipiuntur. Contrectare etiam innocuè ſerpentes à naturâ aliquibus datum eſt; vt de Marſis & Pſyllis memorant hiſtoriæ. Et medici aliqui memorant, quomodo homo cibis vel vnctionibus agere poſſit, ne ſerpentes eum velint ſiue morſu, ſiue aculeo vulnerare. De hiſtoriis eadem eſt reſponſio quæ ſuperius.

Obijcies rurſus & publicam Chriſtiani populi famam, & Iudicia publica, &, quod vtriſque maius eſt, Sanctorum plurium miracula, quibus incantamina diſſoluta memorantur. Reſpondetur quod fama partim nititur relationibus priuatorum; quæ quàm non difficilè inquinentur, omnibus notum eſt; partim verò iudiciorum authoritate; quæ plurima fuiſſe, & à viris tum probis, tum prudentibus exercita, nullus eſt ambigendi locus.

Attamen hæc Iudicia inter Chriſtianos non niſi à paucis ſæculis adeò celebria fuiſſe conſtat. Et prætereà, ſæpiſſimè in ijs, de rebus quæ à Phantaſia pendent, actum fuiſſe; de quibus difficillima eſt inquiſitio; ex eo quod,

quod, non ſolùm habitualiter læſi cerebro, ſed etiam actualiter, & vnâ vice tantùm, parati ſunt deierare, ſe vidiſſe & audiuiſſe, quæ numquam viderint vel audiuerint, ſed ex vi Phantaſiæ illis objectum fuerit. Et hoc etiam cadit in Perſonas & pias, & cæteroqui à communi hominum prudentiâ non alienas. Vnde Iudices, niſi ſpecialiter acuti & perſpicaces fuerint, ex allegatis & probatis manent conuicti, & ad ſententiam dicendam obligati.

Quantùm autem Sanctorum miracula ſpectat, non eſt mirum, ſi Diabolus ſeſe miſceat, vbi eſt articulus miraculi faciendi. Similes itaque hiſtoriæ, quantùm ſunt authenticæ, tantùm credibile eſt Diabolum actu aliquid vltrà corporearum cauſarum vices egiſſe; quantumuis miraculum nonnunquam poteſt conſtare, cùm quod morbo vel alio impedimento naturali vetabatur, remotâ per miraculum tali causâ, excutioni mandatur, abſque eo quòd Diaboli opera neceſſaria fuerit interueniſſe.

Ex his conſequenter intelligitur,

in quo consistat pugna Angelorum; puta, bonorum contra malos. In eo scilicet, quod Angeli sancti destruant opera Diaboli; & Diabolus conetur impedire progressum sanctorum Angelorum. Cùm enim constet, Angelos siue bonos siue malos pendere à solo Deo quoad esse, & operari, & qualitates eis intrinsecas; patet non posse esse aliter inter eos pugnam, quam oppositionem operum circa idem subjectum.

Sic in cælo pugnatum est inter Michaëlem & Diabolum circa alios Angelos: in terris circa corpus Mosis: apud Danielem circa liberationem populi; & tandem pronuntiatum est in fine mundi futuram pugnam inter Draconem & Michaëlem exurgentem pro filiis Israël; in quâ potentissimè expressum est, pugnam hanc futuram in magnâ oppressione, & tandem liberatione fidelium.

Non itaque credendum est Principem Persarum & Græciæ siuè Ioniæ bonos Angelos fuisse, sed nequam Spiritus: & vt nomina sonant, Spi-

ritus dissensionis & luxuriæ. Non enim apparet quid Princeps Græciæ habuerit ibi agendum ; sed neque Ionia bene pro Græcia sumitur, cum pars fuerit Asiæ & imperij Persarum, etsi habitata Græcis : Sed cùm à luto deriuatum sit nomen, congruè pro luxuriâ accipitur ; vt significentur vitia dissensionis, & commixtionis cum fœminis alienigenis, impediuisse liberationem populi.

Sic etiam intelligitur quomodo Ecclesia & Sancti pugnent contra Diabolum. Ad quod pertinet, quod Paulus tertio ad Ephesios ait, multiformem Sapientiam Dei mediante suâ prædicatione per Ecclesiam esse manifestatum Principatibus & potestatibus ; id est, Diabolis manifesta facta ; non quasi per instructionem, sed per destructionem operum ipsorum ; excitatâ contra eos Ecclesiâ in gentilitate, id est, in ipso illorum regno tamdiu occupato & oppresso.

LECTIO XI.

Quomodo Angeli sint in loco: & Dœmones in Energumenis.

EX dictis quoque patet, quomodo Angeli dicantur esse in loco. Cùm enim notum sit sapiētibus, incorporea non esse in loco per applicationem virtutis suæ ad extrema loci formaliter, sed metaphoricè; & virtus agentis dicatur quātitas eius, erunt Angeli in loco per applicationem virtutis suæ ad extrema loci; Metaphorâ non inusitatâ, postquàm sic dicimus solem esse in fenestrâ, Planetam vel signum in capite, aut pedibus, &c.

Quoniam itaque, cum Angelus mouet corpus quod est in loco, applicat vertutem suam extremis corporis moti, quæ coniuncta sunt extremis loci; palàm est, quòd esse in loco Angelo, erit esse in corpore per virtutem suam; quod corpus est in tali loco. Constituitur itaque ex duplici notione τὸ esse Angeli in loco;

ſcilicet, actionis in determinatum corpus; & ſitûs illius corporis in loco: per quarum vnam eſt in corpore locato; & additâ reliquâ, eſt in loco.

Cùm autem applicatio virtutis ſit per affectum & voluntatem; alitèr autem boni, alitèr mali ſint affecti ad corpora; affectus enim reproborum ſunt ſubjecti corporibus; vt qui amore inferiorum contemnunt ſuperiora; affectus autem piorum ſunt ſubiecti Superioribus, & indifferentes & liberi circa corpora; fit reprobos alligatos eſſe ad loca in quibus ſunt, & ijs contentos & concluſos. Pios verò eſſe in locis & corporibus tanquam præſidentes & dominantes ijs, & ea continentes.

Præterea cùm conſtet Angelos eſſe proportionatos corporibus; euidens fit, nullum poſſe eſſe vbique; præſertim cùm ſuperiores non immediatè actiui ſint in corpora, & inferiores cum minoribus corporibus proportionem habeant. Rurſus non eſſe plures Angelos in vno corpore & loco; cùm vnus ſufficiat tali corpori

mouendo: non enim vanæ actiones ijs tribuendæ ſunt, neque tale corpus reperiatur, cui mouendo vnus aliquis Angelus non inueniatur proportionatus.

Similitèr patet eundem Angelum non eſſe in pluribus locis; quia vnius corporis vnus eſt locus: neque poſſe eſſe in indiuiſibili loci, cùm nullum tale ſit. Non repugnare autem eſſe in loco longiſſimo & arctiſſimo, ſi corpus quod mouet tali figurâ moueri conueniat; cùm ex parte ipſius nulla ſit repugnantia ad quamlibet formam loci; & proportio ad corpus ſit ſecundùm ſubſtantiæ rationem, non ſecundum figuram.

Patet conſequentèr motum Angelorum eſſe conformem motui corporum. Vnde nihil ſpeciale de eo occurrit dicere. Neque ſimiliter de mutatione corporum: non enim tranſeunt de immediato corpore vno ad aliud immediatum; ſed ſemper idem corpus immediatè regunt quamuis aliâ & aliâ ſpecie: Cùm enim non deſint ſufficientes Angeli, & nihil præter naturam in ijs putandum. ſit

agi;& ſit ſpecialis proportio cuiuſlibet corporis ad determinatum Angelum;& non qui mouet, ſed cuius figura mouetur eſt qui apparet;quorſum vnus Angelus pluribus corporibus accommodari dicendus eſt?

Quid autem circa mutationem loci ex exorti Dei poteſtate, ſeu per contradictionis leges, poſſit conuenire, non multum laborandum eſt; tum quia nihil de naturâ Angelicâ dignum ſcitu explicat; cúm ij non ex caſu & concurſu fortuito regantur, ſicut corpora; neque Deus præter naturæ tenorem quicquam in ijs operetur; & maximè quia eſſe in loco & mouere, ferè conſiſtant in extrinſecâ denominatione; & tota quæſtio magis in actionem quàm in localitatem refunditur.

Patet rurſus ex dictis quid ſit Angelos beatos eſſe in cœlo. Cùm enim in ſimilibus Analogijs ſecundarijs, conceptus oriantur ex primarijs; ex eo quòd Deus ſpecialitèr dicitur eſſe in cœlis; & Angeli videre faciem eius; ſiue eſſe præſentes ei; ſiue eſſe vbi ipſe eſt; neceſſum quoque eſt,

Angelos dici esse in cœlo. Angelis itaque esse in cœlo, componitur ex his duobus; Deum esse in cœlo; & Angelos esse præsentes Deo, seu esse vbi Deus est.

Ex quo dilucet, quomodo non sit necesse, Angelis descendere de cœlo, vt agant aliquid circa commendatos sibi pupillos; quia alio sensu dicuntur esse in cœlis, alio verò in reliquis corporibus. Neque laborandum est inquirere, quam actionem habeant circa cœlum; vel quem ornatum ei conferant, vt in eo specialiter esse dicantur: Cùm totum hoc negotium ex deriuatione vocum ad plures significationes pendeat.

Euidens quoque est, quomodo Dœmones ponantur ab Apostolo in aere. Sicut enim Deus dicitur specialitèr esse in cœlo, quia virtus ipsius in admirandis operibus magis elucet in cœlo: sic quoniam terribilissima opera Dei, & mala quæ infert, maximè in aere sunt visibilia, puta in peste, tonitruis, fulguribus, &c: dicuntur Dœmones specialitèr esse potestates aeris, & habitare in aere.

Non

Non itaque rectè putantur aerei Dœmones ex ijs eſſe, qui leuiùs peccauerunt, & nugones inter nos agunt. Palam enim eſt, Apoſtolum ibi ponere ſummos, & tenebrarum rectores. Sed neque cum dictis ſtat, aliquos Diabolos familiaritèr cum hominibus conuerſari, & promiſcuè humanis & minimis actionibus ſeſe miſcere. Neque ſatis intelligunt angelicam naturam (cuius infimus gradus adeò excellit grauiſſimorum hominum ſcientiam & prudentiam) qui ſic de ijs philoſophantur.

Ipsâ ſequelâ ducimur ad intelligendum Dœmones non propterea ex inferno emigrare, vt hic aliquid mali moliantur. Sicut enim ſanctis eſſe in cœlo, eſt frui Deo; ſic Dœmonibus eſſe in inferno, eſt eſſe remotiſſimos ab eo ſecundùm affectum. Qui enim poſſunt intelligi rudentes inferni; niſi praui eorum affectus? quæ caligo & tenebræ ſpiritibus, niſi cæcitas intellectus ex deprauato affectu? per hæc in infimo collocati ſunt, vbicumque ſecundùm operationem ſuam in corpora ſeſe moueant vel teneant.

Vnde quod à Christo Domino satanas tanquam fulgur cecidisse de cœlo dicitur; propter impetum seu magnum voluntatis impetum, (non quia de loco ad locum transiuit, cùm necdum tellus foret aut infernus, saltem per distinctionem locorum) & propter remotionem à Deo & Angelis cum Deo in cœlo existentibus, secundùm mentalem differentiam intelligendum est.

Tandem constat, quomodo dicantur & esse, & habitare in hominibus. Sicut enim, quos Spiritus Sanctus mouet, in eis esse dicitur; &, si constantèr eos mouet, in ijs & manere, & ipsi templum ipsius esse: sic palam est, si quis à Diabolo mouetur, dici in eo Diabolus esse; &, si constantèr ab ipso moueatur, dici in eo habitare. Vnde patet cur Angeli non dicuntur similitèr esse in hominibus? quia scilicet sunt tantùm Ministri Spiritus Sancti; Diabolus autem est primus author malorum, vt Deus bonorum.

Ex quo rursus patescit, cur ij in quos Diabolus accepit potestatem,

vt ſecundùm corpus faciat eos agere quæ omnino aliena ſunt ab humanis actionibus, dicantur energumeni, ſiue poſſeſſi à Diabolo. Quia ſcilicet conſtanter agunt opera quorum Diabolus author eſt. Et quoniam ſecundùm mentem aliud volunt, quàm quod ſecundùm externa membra operantur: Ideò operatio non ijs, ſed Diabolo in ijs operanti tribuitur; cùm impiorum operationes, ſic Diabolo, vt etiam ipſis agentibus tribuantur.

Ex quibus ſequitur, energumenis hoc ſolenne eſſe, vt læſum cerebrum habeant. Cùm enim ex vitiatione cerebri procedant inordinatæ actiones, tam quæ vires, quàm quæ debilitatem indicant; & homo ex tali læſione non ſit iam dominus actionum ſuarum; meritò Diabolo ſimiles defectus attribuuntur. Vnde etiam eſt, vt exorciſmi & cæremoniæ quibus phantaſia corrigitur, inſtituti ſint ad ejectionem horum ſpirituum, & curationem ſimilium oppreſſorum.

Sacrarum itaque Scripturarum loquendi modus, quo omnes infirmita-

tes Diabolo tribuuntur, ſecundùm naturam eſt. Siue enim Diabolus immediatè, & prætèr naturæ ordinem, aliquid in paſſo operetur; ſiuè tātummodò mediantibus cauſis naturalibus; patiens oppreſſus eſt à Diabolo; & liberatur à ſeruitute ipſius, quoties ab aliquo morbo vtrouis modo inflicto liberatur. Vtro autem modo Diabolus agat, non niſi ex peniſſimâ inſpectione naturæ dignoſci poteſt.

Non enim deſunt qui Spiritum malum qui inceſſebat Saülem & Aſmodeum, morbos fuiſſe conijciant; quòd alter cantu lenitus eſt; alter fumigatione eiectus: quæ non profutura fuiſſent, contra perſonalem coniunctionem maligni Spiritus. Quod autem Angelus dicatur eum in ſuperiore parte Ægypti religauiſſe; eſſe prorſus metaphoricum; cùm localitas in Angelis non ſit propria; & ſignificare Luxuriæ morbum in eâ regione abundare: de quo vitio notati ſunt Ægyptij.

Sed neque parcunt Dœmonijs eiectis à Chriſto & Apoſtolis; Lycan-

thropiam interpretantes Dœmonas qui in porcos eiecti sunt; dictos multos propter complicatum morbum, & multiplicitatem actionum inde causatam: Phrenesim autem eorum, per vapores exhalatos, Christo iubente, in porcos transiisse: vt mali grauitas innotesceret populis; & appareret Dei benignitas conseruauisse homines, ne ipsi sese præcipitarent; quod eodem malo tacti, fecerunt porci. Et afferunt in confirmationem alibi dici virtutem exijsse de Christo, puta, in mulierem curatam.

Pythonissam quoque Pauli, morbo laborasse volunt. Et quod ipsa & aliqui Dœmones à Christo eiecti occlamarent eos sanctos, ex ipso morbo accidisse; qui non sine amentia est, & facit apprehensiuos, & eius quod apprehenderunt molestos inculcatores. Et sese adiuuant ex eo quòd dicatur, quòd Dœmonia sciebant eum esse Christrum; quod interpretantur ex Hebræâ Phrasi, faciebant scire, seu publicabant. Nulla est enim consequentia vt non permitteret ea loqui, quia sciebant; quasi si mentiti fuissent,

permissurus fuisset ea loqui.

Eodem referunt quod aliqui Dœmones disputabant cur venisset torquere eos ante tempus: alij verò rogabant ne mitterentur extra regionem vel in abyssum. Explicant enim ex furiosorum apprehensionibus timuisse eijci locis notis : & ex admixtione aliquâ hydrophobiæ specialiter timuisse proijci in mare, quò fortassis alij conati fuerant, eos deducere. Quod autem de porcis meminerunt, fuisse diuinâ prouidentiâ factum; quià sic miraculo conueniebat. Neque necesse est de dictis furiosorum rationabiles causas reddere. Similitèr quòd dixerint nondum esse tempus eius, ex iis quæ audierant de aduentus Christi tempore, celeberrimâ per id temporis apud Iudœos quæstione, prouenisse, ad suas partes accommodatâ solutione , & non ex scientiâ aliquâ, vt euidens est.

Neque potest negari, quin in sacro textu sit aliquod fundamentum sæpius interpretandi operationes Diaboli, pro malis naturalibus: sicut cùm de Salomonis temporibus

dicitur, non fuiſſe Sathan. Et cùm in Pſalmis dicitur de Iuſto, quod non timebit à Dœmonio meridiano. Tentationes quoque dicimus à Diabolo procedere; cùm Iacobus dicat; *vnumquemque tentari à concupiſcentia ſua.* Paulus vtrumque videtur coniungere cùm ait, *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Septem quoque Dœmonia Magdalenæ, ſeptem fuiſſe vitia aliqui Patres dixerunt. Quid, quod Paulus afflictiones quas ſubſtinebat vocat Angelum Satanæ? Chriſtus ipſe mulierem incuruam, alligatam à Satanâ? Euangeliſta omne genus morborum vocat *omnes oppreſſos à Diabolo.*

A Lucâ dicitur Lunaticus, qui ab aliis, habere Spiritum ſurdum & mutum. Quæ ipſa morbi non Diaboli ſunt ſigna. Quale Dæmonium dicitur non exire niſi in ieiunio & oratione; quià ſua fides patientem non adiuuat; Vnde exigitur Parentis fides à Chriſto Domino, vt eum curaret. Difficile tamen eſt omnia per defectus naturales explicare.

Patet itaque non temerè præſu-

mendum de Diaboli præſentiâ ; & minùs dictis laborantis credendum, niſi per operationes clarè ſupernaturales conſtet de perſonali eius præſentiâ. Non dico quantùm ad exorciſmos, qui non ſolum non nocent, verùm plerumque proſunt, (etiamſi dumtaxat morbus ſit) ſed quoad calumnias & condemnationes Perſonarum innocentium, titulo Magiæ, & ſimilibus criminibus ; vt hodie incipiunt cautiores eſſe Iudices.





INSTITVTIONVM SACRARVM PERIPATETICIS inædificatarum.

LIBER TERTIVS.

De Institutione, Progressu, & Consummatione Sanctæ Ecclesiæ.

LECTIO I.

De causis Sanctæ Ecclesiæ Perpetuitatis.



Omponenti quæ dicta sunt, apparet Ecclesiam à Christo Domino ædificatam, esse singularibus admodum dotibus præditam; & imprimis scientiâ eorum quæ ad

ſalutem pertinent certiſſimâ imbutam. Cùm enim ſit doctrina à Christo Domiuo prædicata & tradita Apoſtolis;ipſe autem ſit ipſa prima veritas,firmior omni principio demonſtrationis humanæ,indefectibilisà veritate , & potens ipſo verbo ſuo facere vera quæ loquitur ; palam eſt, nullam ſcientiam poſſe eſſe adeò certam, quàm eſt doctrina Chriſtiana.

Clariſſimum quoque eſt, eandem doctrinam ſuperare omnem ſcientiam claritate & facilitate perueniendi ad illam ; adeò vt nulla imbecillitas humana repellat quemquam ab eâ ; & vt ſtultus in illâ errare non poſſit. Tradita enim eſt vocibus omni generi humano communibus Patris, Filij, Spiritus, Perſonæ, Naturæ. Et quæ deinde de Chriſto traduntur, familiariſſima ſunt : atque adeò tota hæc doctrina clariſſima eſt, & captu facillima , & conueniens etiam Ruſticis, Aniculis , Infantibus.

Modus quoque tradendi eſt connaturaliſſimus homini ; videlicet per fidem ; quæ humanæ naturæ, plerum-

que in ignorantiâ & tenebris exiſtenti, eſt circa omnia naturalia & moralia conſuetiſſima. Prudentibus quoque, ab ipsâ eorum prudentiâ, in materiâ ſibi ignotâ, qualis eſt Myſteriorum fidei, commendata & imperata. Sic enim Medicis, Nauarchis, Iuriſconſultis, & cuilibet alicuius ſcientiæ perito, ſi nos ipſi ſimus imperiti, ipsâ prudentiâ duce tradimur gubernandi, & ex eorum dictis regendi.

Ex parte quoque Voluntatis, factus eſt nobis vltimus finis, ſeu primò amandum, facillimè & apprehenſibile, & amabile. Per hoc enim quòd Chriſtus eſt ſimul Deus & homo; iam objectum amoris noſtri, non eſt amplius inuiſibile & inconceptibile, cuius nulla ſit ſpecies vel ſimilitudo, quâ illud quaſi apprehendere & tenere poſſimus. Sed corporeum, familiare, & vnum ex illis, ad quæ amor noſter primariò ex totâ naturæ conſtitutione natus eſt dirigi; puta, eiuſdem nobiſcum naturæ, & vnum è nobis.

Congeſta ſunt amoris argumenta

potentissima, ex fortissimis persuasionis locis, socij, fratris, cohæredis, amici, amantis, patris, benefactoris, patientis pro nobis, redimentis nos, quærentis nos, corpore & sanguine suo nos pascentis, nihil a nobis petentis, nisi vt ametur, cum maximis promissionibus mercedis summæ & beatitudinis pro adeò innocuo labore, & interminatione maximarũ pœnarũ iis qui aliud quàm ipsum amãt; & vno verbo omnium bonorum spe, & omnium malorum timore.

Adde his, quòd quoniam vna veritas non potest esse contraria alteri; sed magis testimonium ab illâ accipit; necesse est doctrinam Christianam ex ipsâ sese amicam esse scientiarum; præsertim verò illarum quæ nobilissimæ sunt, & coniunctas doctrinæ ipsius veritates inquirunt: qualis estMetaphysica,& Physicæ quæ de cæli & terræ naturis veritates ratione cõprehensibiles inuestigãt. Cum huiusmodi veritates ex necessitate ipsam doctrinam Christianam confirment.

Vnde fit vt sicut est apertissima hæc doctrina simplicibus & sine inquisi-

tione credentibus ; ita ſit celſiſſima & difficillima cum ratione in abſconditas ipſius veritates inquirentibus. Vtpote quæ altiſſimas naturæ veritates ſupponit , & ijs ſuperædificetur. Vnde & ſcientiarum omnium neceſſe eſt eſſe & ſuauiſſimam comprehendentibus : Quo enim altiora ſunt principia & proximiora radici omnis firmitatis , eò etiam neceſſum eſt, ſint & delectabiliora & maiori firmitate radicata , & inter ſe connexa ; & per conſequens demonſtrabiliora tum ex cauſis tum ex effectis.

Et quoniam beatitudo eſt maximè conformis naturæ, & per conſequens etiam via ad ipſam; neceſſum eſt, particulariter ſcientiam moralem quæ virtutes & vitia tractat , eſſe maximè conformem doctrinæ Chriſtianæ. Et quod ſequitur, cùm virtutes ſint ſecundùm naturam, vitia contra ipſam, doctrinam Chriſtianam habere excellens teſtimonium ab ipsâ naturâ ſpiritali hominis , tanquam maximè laudabilem & conformem naturæ, quia virtutibus naturalibus conſonet,

vitiis penitus repugnet.

Rursus quoniam quò magis ciues sunt in pace, iusti, benefici, modesti, non ambitiosi, non raptores, non luxui dediti; in bello vero magis inediæ & laborum patientes, & contemptores vitæ; vtroque publica priuatis præferentes: eò Reipublicæ facilior est administratio, & commodior securitatis & abundantiæ procuratio: Palam est, doctrinam Christianam ex eo quod Ethicæ conformis est, & eam eleuat ad altiora, commodissimam quoque & conformissimam esse Politicæ, seu Rerumpublicarum administrationi.

Ad hæc, quoniam scientiæ sunt fundamenta Artium, vtpote quæ causas tradant, & altissimas rationes eorum effectorum quorum regulæ artibus continentur; clarum est, doctrinam Christianam etiam Artium matrem & nutritiam esse. Cùm itaque Artes ad commodum vitæ humanæ, & eiusdem ornatum ordinentur; clarum est commoda omnia humanæ vitæ, ex doctrinâ Christianâ nata esse redundare: & ex na-

turâ rei longè commodiorem esse Christanorum, quàm infidelium vitam.

Neque minùs cùm vita corporalis ad beatitatem obtinendam facta sit; & voluptates corporeæ sint confòrmes vitæ corporeæ; & proinde necesse sit, illam vitam corpoream esse in suo genere optimam, quæ plurimas & maximas habeat; vt alibi fusius deduximus; & vitam corpoream optimam optimè beatitati acquirendæ inseruire: necesse etiam est, Christianam disciplinam (quæ Magistra est beatitudinis) & vitam nostram etiam corporis voluptatibus replere; & pie viuentes centuplum earum habere præ malè viuentibus.

Ex quibus omnibus rursus conficitur, quòd, quoniam doctrina Christiana & vita secundùm illam acta, ex omni parte est naturæ conformis & ab eâ confirmata & suffulta; necesse sit ex naturâ rei eam esse magis durabilem & constantem, quâlibet aliâ doctrinâ quomodocumque introductâ; quales cùm falsæ sint, & falsitatis conuincibiles, cùm ex ne-

cessitate aliquâ in parte repugnent naturæ, & sibimetipsis contradicant, in semetipsis habent radicem interitus & ruinæ; & per consequens, non nisi vi & ignorantiâ sustineri possunt.

Accedit, Christianam fidem omnibus ijs modis esse confirmatam, quibus disciplina aliqua firma reddi potest. Introducta enim primò est per voluntariam acceptationem; ex persuasione, partim miraculis, partim exemplis optimæ vitæ, & partim veritatis vi factâ: postmodùm antiquitate, consuetudine, lege, moribus, præmijs & poenis non futuri tantum sæculi, sed & præsentis roborata. Et non extrinsecùs tantùm, sed in penitissimâ conscientiâ, vbi homo non videt, radicata & plantata.

Adiuuat Ministrorum sanctitas. Ex eo enim quòd tam ingentia Mysteria ijs commissa sunt, & non solùm docenda, verum etiam tractanda; necessum est, vt (si paulò cordatiores sunt) in ipsis ingentem animi puritatem, & in populo ritè instructo, immensam de ijs æstimationem, & ver-

ſus eos credulitatem procreent. Quibus ſi addas, ſacerdotalem functionem non eſſe niſi perpetuum ſanctimoniæ exercitium, (ſi dignè miniſtretur) & aſſiduam in populum beneficentiam; habebis tantam populi in eos reuerentiam, vt omni illorum dicto obedire ſacrificium putent: modo ipſi vitâ ſuâ, dignitati Ordinis non detrahant, & eam eleuent.

Tota prætereà mundi machina & ſeries cauſarum naturalium, ad hoc tanquam vltimum finem accommodata, vt hominem reddat idoneum & ſubjectum huic vitæ: immò & angelica miniſteria & miraculorum oſtenta per violationem Legum ordinariarum ad idem directa; quantam vim habeant ad conſeruationem Chriſtianæ fidei in cordibus humanis, vix æſtimari poteſt. Certè nullatenus dubitari, quin eam longe ſtabiliorem & firmiorem quâlibet aliâ doctrinâ faciant.

Sed cùm conſtet mundum hunc viſibilem rationalium cauſa creaturarum; has verò ad beatitatem adæquatè creatas eſſe: Beatitudinis autem

adipiſcendæ (ſaltem publicitùs) in propatulo ſit non eſſe aliam viam regiam , præter Chriſtianam doctrinam : manet euidens , extinctâ doctrinâ Chriſtianâ , non ſupereſſe cur mundùs conſeruetur ; atque adeò ex proportionibus mediorum & finis perfectè colligi , eam æquæuam eſſe mundo; & ipſum interiturum , cum illius conſeruationi deficient cauſæ.

LECTIO II.

De Inceptione & progreſſu ſanctæ Eccleſiæ.

CVm verò ex dictis conſtans ſit, doctrinam Chriſtianam fidem audientium requirere ; & fidem ſuper authoritate loquentis ſtabiliri ; & authoritas loquentis conſiſtat in opinione quòd ſciat, quæ nunciat, & nolit falſum dicere; & dicenda ſint eiuſmodi, vt ſolus Deus debeat eſſe primus eorum author; neque nuntij poſſint eſſe veraces niſi à Deo audierint; neque credi facile poſſit à Deo ho-

mines aliquid audiuiſſe, niſi ſigna ſupra naturam, & quæ credi debeant à Deo proficiſci, oſtendant; & talia ſigna dicamus miracula: palam eſt, primòs nuncios Chriſtianæ fidei, authoritatem per operationem miraculorum acquirere debuiſſe.

Quia autem miracula hæc non vno ſolo in loco, neque vni ſoli homini, neque vno ſolo tempore neceſſâria erant; ſed in omnibus locis ad quæ dicti prædicatores mittendi erant; & omnibus primis prædicatoribus in totum orbem mittendis; & tandiu donec conſuetudine & generali in ſingulis terris receptione iam doctrina Chriſtiana inualuiſſet: palam eſt, hanc poteſtatem in Eccleſiæ principijs ordinariam debuiſſe eſſe & ordinarijs medijs collatam & conferibilem.

Vlteriùs, cùm externa in humanis actionibus ab interioribus naſci habeant; cauſa autem interior quâ prædicatores moueri debeant, ſit charitas; & charitatis pars materialis ſit amor; & amor motus quidam ſpirituum nobiliorum circa cor; & per

consequens, causa amoris multitudo talium spirituum; charitas autem non quilibet amor sit, sed sanctus: consequens est, virtutem hanc Thaumaturgicam à Spiritu Sancto seu plenitudine charitatis, connaturalitèr suam radicem trahere; & ex ipsius redundantiâ in corpus exoriri.

Oportuit itaque plenitudinem Spiritus Sancti aliquibus immediatè à Deo dari; & ab ijs alijs communicari. Et quia homines inter sese agũt per signa visibilia; sed & Deus cum hominibus humano more: vtrumque horum visibili aliquâ cæremoniâ gerendum erat. Et quoniam nihil amorem formaliùs repræsentare natum est, quàm spiritus, qui cum propter virtutis abundantiam est vehemens, fit cum sonitu, & replet & superimplet eos in quibus est; & ex qualitate suâ est facile accensibilis, quales sunt Spiritus vitales & specialitèr spiritus amoris:

Idcirco, *Cum complerentur dies*, destinati, *factus est repente de cœlo* (vt à Deo profectum esse pateret) *sonus tanquam aduenientis Spiritus vehe-*

mentis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes (futuri prædicatores.) Et quoniam corda ipsorum erant calida; accensus est hic Spiritus, & ascendit sursum vt ignis; emicuitque supra verticem eorum: *Et apparuerunt illis quasi dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Et quoniam fons interiùs in corde erat, *sedit super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

Et quia sic repleti erant, vt etiam vires suas in corpus exerceret, & ex abundantiâ cordis os loquitur; cæperunt linguis testari quod in corde solidatum erat; *& cæperunt loqui magnalia Dei.* Et hoc vnusquisque *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*; qui secundum naturalem conformitatem singulorum ad singulas nationes & terras (ex quarum habitudine nascitur linguarum diuersitas) singularum nationum linguas singulos docebat, & impellebat ad eius nationis linguam proferendam, cui erudiendæ singuli maximè idonei erant.

Hæ autem virtutes, quia non ad personæ bonum, sed ad vtilitatem Ecclesiæ donantur, *gratiæ gratis datæ,*

quasi purè gratiæ solent dici; numerò nouem, Angelicis & Ecclesiæ ordinibus correspondentes. Primæ siquidem Hierarchiæ appropriantur Sapientia, gubernàtioni Ecclesiæ necessaria; Scientia (quæ etiam aliquando Prophetia dicitur) & habet duas partes intelligentiam scilicet mysteriorum omnibus notorum eleuatiorem quàm sit in vulgo fidelium, & penetrationem aliorum vulgo incognitorum. Tandem Fides quæ tradita prout traduntur fideliter capit & retinet.

Mediæ Hierarchiæ sanitatum gratia (in qua concluditur Dæmoniorum eiectio, & sublatio serpentium) quæ omnia subsistentiæ fidelium sunt necessaria; Operatio virtutum, id est, omnis alterius generis miraculorum, quæ tantum ex occasione requiruntur; & Prophetia specialitèr dicta, cui correspondet reuelatio, & est donum quoddam prædicationis quo mira & mirè efficacia dicta inopinè à Deo infunduntur: res quæ multum commendat prædicatores, & per quam magnam gratiam ad

regendum populum nanciſcuntur.

Infimę Hierarchiæ Diſcretio ſpirituum, id eſt, auditorum ab alijs, rectane ſint necne: vt omnia probantes, quod bonum eſt teneant; Linguæ deinde & linguarum Interpretatio; non enim omnes qui linguis loquebantur, eas poterant interpretari: & alij intelligebant quidem linguas, ſed non poterant loqui; vtrumque autem horum Archangelis & Angelis recte quadrant; ſicut & diſcretio ſpirituum Principijs; vtpote eligentibus ex quibus ſit ad operationem procedendum.

Sed & ordinibus à Chriſto in Eccleſiâ inſtitutis, quos miniſteria vocat apoſtolus, aptè comparantur hæc dona. Apoſtolis, ſapientia; Prophetis, ſcientia; Doctoribus, fides; deinde operationibus ſanitatum & miraculorum, ſua dona: ſuſceptionibus & gubernationibus, ſpecialis Prophetia & diſcretio ſpirituum; vnde & ſpirituales videntur dicti. Tandem genera linguarum & interpretes, vltimi ordinum fuerunt. Qui & primi ex Eccleſiâ euanuerunt, ſubla-

tâ per multiplicationem Ecclesiæ linguarum necessitate.

Quoniam autem omnium rerum naturalium, in sese principium natiuitatis habentium, commune est, vt quò longius à principio absunt, eo dilutior in ijs sit natura principij & minus de eâ habeant: consequens est, Ecclesiam his donis in principio redundantem, violentâ quasi charitate & ardore sanctimoniæ efferbuisse. Quò autem ab Apostolorum ætate longiùs dilabitur, eò minùs & parciùs hunc feruorem sentire: sed alienis & mundanis cogitationibus magis inquinari.

Quia tamen animal sic à teneritudine infantis & geniali calore discedit, vt vice ipsius fortitudo neruorum & robur ad actiones ipsius proprium succedat: sic etiam euenire natum est Ecclesiæ, vt etsi spoliata primo feruore, non propterea statim deficiat, sed aliud genus constantiæ acquirat. Quare eum fides infantiæ, scientia virilitati in potiori hominis parte correspondeat & comes sit; hic etiam progressus in Ecclesiam cadet, vt feruori

feruori fidei ſuccedat ſcientiæ immobilitas, quæ charitatem ſuſtentet.

Et ſic experimento ex hiſtoriâ haurimus, ſucceſſiſſe primorum Prædicatorum & Martyrum zelo magnam Epiſcoporum & Doctorum fidem, explicantium & contra hæreſes defendentium ſcientiam; donec infeſtantibus Eccleſiam maiori varietate & ſubtilitate Hæreticis, ſucceſſit rhetorico decertandi ſtylo dialectici acuminis ſubtilitas; eouſque cribata, ut iam ſchola ipſo ſuo acumine labaſcat, dialecticâ incertitudine omnia æquante, & falſis vera confundente, & pænè præferente.

Patet autem ſecundùm naturæ curſum, ſuccedere inquiſitioni logicæ cenſuram & ſententiam demonſtratiuam. Et quoniam patet naturæ ita implantatam eſſe gratiam, vt ſeſe conſertis quaſi annulis & membris connexis trahant; non eſt dubium quin pleraque fidei myſteria, demonſtratiuè cognoſci poſſint, atque adeò procedente in meridiem Eccleſiæ lumine, aliquando demonſtranda ſint. Qui ſtatus cùm altiſſimus ſit intellec-

tus nostri, erit quasi virilitatis Ecclesiæ, post iuuentutem, adolescentiam, & infantiam.

Hic status, cum sit supremus naturæ humanæ, morũ quoque meliorationẽ secum feret; & imperia faciet mitiora, & bella rariora inter Christianos, commoda vitæ maiora, & artes cultissimas. Cumque gubernatores bella forinseca securitati domesticæ necessaria compererint, turbulentam Reipublicæ sobolem in barbaras nationes exonerabunt. Quibus cum artium præsidio excellant, eas & armis facile superabunt, & imperij æquitate in officio continebunt, & ad fidem Christianam perducent: & sic Christus toto terræ globo regnabit.

Neque dubium quin hic status Ecclesiæ sit diutissime perseueraturus; vt in quo sit naturæ humanæ flos & vigor. Sed ipso mundo paulatim senescente, & homines secum ad temperamentum bilis atræ deuehente; succedet paulatim generatio crudelis, carnalis, obstinata, difficulter audiens rationem, sed vi desideria sua prosequens, & scientiæ artium

que comtemptrix; & cum ſemel ratione vtentem portionem numero & potentiâ ſuperauerint, totum orbem facile ad nequitiam auertent, & impetu ad omnia mala perducent.

Tunc quantò diſpoſitio ignea corrupta eſt violentior & deterior aqueâ, tantò etiam humana natura corruptior erit, quàm tempore diluuij, & acrioribus malis caſtigabitur: donec ille articulus venerit, quo viſum erit Deo per vltimum ignem omnia deſtruere, & reſtaurare in illum ſtatum, qui vltra motum ſit: ſtatus enim motus totus erit præteritus, poſtquam natura humana ab extremis aquæ, ad extremũ ignis, quaſi per omnes naturæ gradus erit tranſlatus, & Eccleſia omne genus boni & mali experta.

LECTIO III.

De Fine mundi: & quod futura ſit Reſurrectio corporum.

APpropinquante igitur mundi fine, quoniam reprobi magnâ

pertinaciâ propter humoris naturam in quâ fundata eſt eorum nequitia; fideles verò magnâ conſtantiâ, propter ſecuritatem ſcientiæ, quâ freti propugnant veritatem, ſibi inuicem aduerſabuntur; neceſſum eſt vincentibus temporaliter reprobis, excitari contra Eccleſiam perſecutionem, qualis numquam ante illa tempora capax fuit humana natura.

Et quoniam reprobis non deerit artium peritia, & per conſequens poterunt multa ignorantibus miracula patrare; non deerunt principibus Magi, qui per efficaciſſimas præſtigias populum pellecturi ſint ad ſequendos tales principes; adeò vt abſque magnâ Dei prouidentiâ & oppoſitione verorum miraculorum, tota plebs fidelium, atque adeò ipſi electi ſeducerentur, partim terrore Principum & perſecutione, partim ambiguitate veritatis inter vera & falla miracula vacillantis.

Rurſus quia diſpoſitio quæ hos mores inducit, eſt bilis atræ, quæ facit ſuperbos, ambitioſos, & immiſericordes; ex quibus rurſus ſequitur deſi-

derium dominandi alijs, & non parcendi humano ſanguini; clarum eſt futura bella & frequentiora & maiora, & maioribus odijs & crudelitate, quàm vllâ priùs ætate. Totus itaque orbis perſonabit bellis & famâ bellorum; genus autem humanum rareſcet, & paulatim ad extinctionem præparabitur.

Deinde cùm ex ardenti calore ſolis ſuper terram generentur vapores in cauernis terræ; circa illa tempora neceſſe eſt huiuſmodi vapores plurimùm multiplicari; &, quod ſequitur, tellurem immanibus concuſſiosionibus vexari: & cùm ſimiles concuſſiones acciderint infra mare (præſertim ſi vapor eruperit) fieri ingentes motus, & ſonitus maris ad littora cum horrendis minis euoluti, & modò ea ſuperantis, modò ſolo terrore homines enecantis.

Partim quoque ex vaporibus è cauis telluris erumpentibus, partim ex ipsâ intemperie aëris ex nimio calore redundante fumis & vaporibus noxijs, peſtem hominibus & animalibus incidere; & partim ex defectu

culturæ, partim ex ſterilitate terræ, partim ex intemperie ſtationum anni, fruges malignè humano generi ſuppeditari. Vnde tertium Dei flagellum, famis videlicet illis infligetur.

Sicut autem infra tellurem, ſic etiam neceſſe eſt ſupra aërem (eo quem regionis mediæ locum appellant) meteora calida multiplicari. Vnde frequentia neceſſe eſt eſſe fulgura & tonutrua; ſpecialitèr vero ſtellas, quas vocant cadentes, ex craſſo humore eleuato natas, copioſiſſimas eſſe & decidere, quaſi groſſos è ficu vento iactatâ. Sed neque deeſſe poſſunt Cometæ & aliæ terrificæ faces, quæ humanas mentes ſolent perturbare.

Et quoniam Meteora quæ apparent circa ſolem & lunam, ex illîc poſitis vaporibus ſolent conflari, non poterunt non eſſe huiuſmodi apparitiones frequentiſſimæ, omneſque fermè terribiles vt illæ quæ precedunt terræmotus, & quæ præcedunt horrendos illos ventos, de quibus ex torridâ ſunt frequentes hiſtoriæ; &

tandem *aliæ* inſolitæ & grauiores quæ ex intemperie illâ (inuiſâ prius) ex neceſſitate ſunt orituræ.

Congeſtâ tandem & oneratâ nimium regione mediâ vaporibus craſſis & pinguibus , quales per vehementem calorem exudantur à composito ; propiùs ſemper terras accedet ipſius ſpacium & poteſtas ; neque poterit natura ſeſe exonerare , neque vento diſpellere lentas illas caligines : quod videtur exprimere Sacer textus ijs vocibus , quod poteſtates quæ ſunt in cælis fluctuabunt , vel quod *virtutes cælorum mouebuntur* ; id eſt, remouebuntur vel vacillabunt; neque idoneæ erunt ea paragere quæ ſolebant. Scilicet ſi cælorum nomine aëris regiones ſignificentur , ſin verò æther ; tum ſenſus erit , curſus lunæ & ſolis & planetarum & ſtellarum incertos futuros ; & à tenore conſueto defecturos : vel ex eo quòd vento magni maris partim ceſſante partim perturbato , Terra motum ſuum etiam fluctuantem & inſtabilem habebit : Vnde fiet , vt ſidera appareant nobis concuti & vacillare.

Vel certè significat reliquum Mundi, eodem tempore quo nostrum terrarum orbem similia symptomata passurum, & finem simul accepturum. Vnde apparebunt nobis per incertos Astrorum discursus, futuræ vniuersalis ruinæ certa omina & monstra.

Consequenter patet quòd *Sol obscurabitur*, seu sanguineo colore trans tot vapores apparebit: neque *Luna nostra illuminabit*, sed nigra apparebit quasi saccus cilicinus; cùm debiliorem sole lucem & actionem habeat: & per consequens si solis lumen non aliter possit hanc massam vaporum quàm sauguineo rubore tinctum eiaculans lumen penetrare; luna magis fusco, & per consequens nigro aspectu demonstrabitur.

Atqui hæc cum semper augeantur, necesse est tandem in flammas erumpere, & ex ipsâ extremi caloris vi purgari aërem. Tum primò *Elementa calore soluentur*, id est, vaporosus aër & aqua, quæ circa terram sunt, in purissimum aërem resoluentur. Et quoniam necesse est horum principia circa zonam torridā existere, co-

getur aër craſſior circunſtans magnâ rarefactione aëris & fugâ ab igne non ſine ingenti ſonitu & impetu, ad polos ſeſe recipere.

Hoc eſt autem *cælos tranſire magno impetu* (vt docet Petrus) & cum ſonitu, vt ſonat Græca phraſis. Et ex eo ſequitur quòd hiante & claro medio cælo, condenſabitur aër vtrimque verſus polos tantùm, vt etiam conſpici poſſit ſtans quaſi vndæ maris rubri vel Iordanis: & hoc eſt *cælum recedere velut librum inuolutum*, id eſt, quaſi in cylindricam ſpeciem, talis enim erat libri inuoluti ſpecies apud antiquos; qualis ſi manus chartæ reuoluatur in ſeſe ſpiralitèr.

Cum vero natura ignis ſit, ita materiei ſuæ inuiſcari, vt paulatim euolet, & ſemper minus & minus reſtet in eſcâ; neceſſe eſt ſuperante tandẽ eſcâ quæ grauis eſt, & effugiente igne puriore, reliquum cùm ardentiſſimus & impuriſſimus ſit, futurum in terram magno impetu decidere, & illic commixtum cum igne alio qui ex ſubterraneis cauernis ſeſe exerit, totam telluris ſuperficiem in cineres conuertere, & conſumere.

Et quia ſemper ignes & vapores combuſtibiliaque corpora non deerunt, quovſque trans regionem metalliferam terræ peruentum ſit ; palam eſt, quicquid vſibus humanis ſeruiit, in cineres conuertendum. Quod eſt exuri opera hominum. An autem etiam ulteriùs ad telluris centrum penetraturus, ſit ignis inuentâ ſemper nouâ eſcâ, neque ſcriptum reperio: neque ſuppetunt ex ignotâ telluris ſubſtantiâ quid cum ratione ſuſpicari liceat.

Sic itaque concidet hæc tam pulchra mundi machina, generationum ſeriei dedicata. Sed quia Animæ rationales in corpore genitæ, & ex corporibus natæ, & ad eas aliquando ſubſtantialitèr vnitæ, non poſſunt non eſſe aliquatenus imperfectæ, dũ corpore viduæ ſunt, neceſſe eſt non ſic remanere totã ſubſtantiam telluris quæ fuit materia corporũ ipſorum, ſed vel adæquatè, vel ex parte reſtitui & reduniri animabus quæ ab ipsâ reſolutæ ſunt.

Accedit quod cùm modus ſciendi omnium ſubſtantiarum cognoſciti-

narum, ſit ex cognitione ſui ferri ad cognitionem cæterarum ſubſtantiarum; & humanæ animæ acceperunt ſcientiam per reflectionem ſuper totum hominem, qui erat ſuppoſitum illarum cum acquirerent ſcientiam; conſequens eſt ſcientiam illarum eſſe imperfectam, donec rurſus fundetur in eodem ſuppoſito.

Conſequens eſt & appetitum naturalem animæ humanæ, qui eſt fundamentum omnium electionum ipſius, ferri ad bonum ſuppoſiti ſeu hominis cuius erat; & per conſequens, habere corpus perfectum, pertinere ad ipſam quaſi partem beatitudinis ipſius; neque perfectè eſſe beatos, qui adhuc conſortio corporis non fruuntur. Palam eſt itaque de perfectione mundi eſſe, vt fiat animabus corporum ſuorum reſtitutio.

Quid, quòd anima abſtracta ex vi ſcientiæ vniuerſalis acquiſitæ, habet eſſe principium actiuum; & tamen non poteſt agere niſi mediante ſuo corpore in quodlibet aliud. Non itaque eſt perfectum ens in rerum naturâ, ſine ſuo corpore. Quod inde

aggrauatur, quòd tota vita ſecundùm rationem conſiſtat in continuâ quâdam praxi ſubiectionis corporis ad animam; poſcit itaque natura vt quò anima eſt perfectior in hâc virtute, eò magis habeat corpus quòd ſibi ſubijciatur. Mutandus itaque eſt mundus non abiiciendus.

LECTIO IV.

De ſubſtantia Reſurrectionis.

CVm itaque mens humana non ſit ex ſemetipsâ in ſemetipſam actiua, propter ſimplicitatem ſuam; neque in corpus alienum ſine proprio; palàm fit, reſurrectionem non poſſe ab ipſis animabus perfici effectiuè; maximè quoad motum, & diſpoſitiones præerequiſitas in corporibus tranſmutandis, ante vnitatem materiei cum ipſis animabus: Supereſt itaque ſicut in origine Mundi, ſic in reparatione, formationem corporum angelico miniſterio eſſe perpetrandam.

Cùmque ex naturæ ordine & pro-

portione, ſingulis hominibus ſingulos conſtet eſſe coordinatos Angelos; nullatenus dubitari poteſt quin ſingulorum operæ ſingulis corporibus effingendis ſint applicandæ. Et quoniam particularium proprietates prærequirunt vniuerſales quaſdam diſpoſitiones, præſertim in generali hâc inſtauratione; rerum vniuerſalium verò ordinatio pertineat ad Archangelos; palam eſt etiam Archangelorum miniſteria ad præparationem in vniuerſum eſſe adhibendam.

Quare, cùm ignis in materiam humidam & craſſam incidens, tonitrua & ingentes ſonitus excitet; ſed & vehemens ignis non ſine concitatiſſimo aëris motu ſeu vento, neque ille ſine ſonitu contingat; non poteſt cogitari Archangelos conflagrationem telluris, per quam ſit vniuerſalis adaptatio materiei ad particularia ſingulorum miniſteria, perficere poſſe, abſque ingenti ſonitu, qui à polo ad polum vſque, non tam audiatur, quàm extendatur; cùm humidiſſima telluris ad polos ſint concremanda.

Habetur itaque Archangelica tuba

resurrectionem principians. Cogitare enim tubam æneam vel ex aliâ materiâ, & buccas Archangeli inflantes, est mysteria augustissima detrahere ad sordes; maximè cùm neque mortuis, neque Angelis suscitantibus significatione aliquâ opus sit; his non colligentibus scientiam ex objectis; illis verò nondum aures habentibus quibus audiant. Sed motus ad miscendum aërem cum cæteris elementis, & quasi spiritum mortuis reddendum, necessarius est. Vt ex visione simili Ezechielis patere potest.

Ab singulis verò, quorum artificio nihil deesse potest, non potest expectari nisi summa perfectio elaboratorum corporum in suo cuiusque gradu. Gradus autem est singularitas, & singularitas à dispositionibus primæ conceptionis limitatur. Qui itaque status corporis perfectissimus ex illis dispositionibus consequi potest, ille ab Angelo processurus est, vtpotè ipsi Angelo maximè conformis, æquè atque ipsi animæ insinuandæ, quæ est talis corporis finis.

Vnde patet si qui sunt defectus ex ipsis seminariis rationibus corpori inextituri in hâc vitâ, id est, in optimo statu huius vitæ; huiusmodi imperfectiones etiam in futurâ vitâ non defecturas; vt quæ, licèt respectu naturę communis sint defectus, tamen respectu huius singularis, sint proprietates; neque monstrositates, sed veritates sint reputandę. Si qui verò defectus post conceptionem ex accidenti inuaserant indiuiduum, illos non secum in æternitatem reseruabit.

Petes: si quis ex seminarijs rationibus haberet defectum, qui impediret peruentionem ad vsum rationis, siuè defectu ætatis, siue fatuitatis vel amentiæ; an etiam eundem defectum retineret? Respondetur posità suppositione hoc secuturum; neque officere necessariæ perfectioni animæ; cui sufficit, vt impressio talis fiat in corpore, qualis in primâ conceptione nata est fieri; quæque in animâ faciet talem, qualis anima capax est secundùm statum animæ.

Positis dispositionibus requisitis ad

animam, ex vi communis influentiæ τȣ̃ esse à Deo, sequi vnitatem, atque adeo totum hominem, sine vlteriori actione constat; eodem modo quo in generatione naturali sequitur substantia alterationem, & in diuisione pluralitas sequitur mutationem figuræ. Et resurgit propter identitatem animæ (respectu cuius signatur & idem est corpus) idem prorsus & animal & homo, licet immutatus, & alio cum modo.

Cùm enim anima in sese præextiterit, & habuerit esse, per communicationem sui esse ad corpus, non perdit quod esse sit primò etiam in viâ executionis ipsius animæ; neque subit necessitatem habendi corpus, vt habeat esse sicut in primâ generatione. Sed talitèr existit quoad substantiam & intrinsecum modum existendi, quomodo de Christo Domino suprà explicatum est; exceptis, quæ ex ratione personalitatis & existentiæ diuinæ, necessum est esse in ipso specialia.

Dices, quòd cùm anima per separationem habeat operationem suam indepen-

independentem à corpore, etiam post restitutionem impossibile est vt prima operatio sit communis corpori. Cùm itaque ratio animalis specificetur à primâ operatione, Homo resurgens non poterit esse essentialitèr animal. Adde quòd cùm nulla sit ei necessitas corporis ad existendum, (quæ tamen est adæquata ratio cur materia requiritur ad formam) neque essentialiter erit corpus, sed dumtaxat accidentalitèr; quasi si corporis ratio adueniat spiritui iam constituto.

Respondetur, quod cùm prima operatio hominis post resurrectionem sit cognoscere & diligere semetipsum; & de ratione suimet non solùm in homine, sed etiam in animâ separatâ sit corpus; palàm est primam operationem objectiuè pendere à corpore; & per consequens, hominem esse essentialitèr animal. Vnde patet quoque, cur resurrectio fuerit necessaria Christo; non dumtaxat propter nos; sed etiam propter semetipsum; videlicet vt amor sui foret perfectus; qui erat prima operatio ipsius.

Cùm autem animal ſit ens naturale & metaphyſicum, homo qui in hoc mundo, id eſt, durante motuum ſucceſſione, eſt ens naturale, id eſt, ab alio mobile ſeu applicabile, vt pars mundi; poſt reſurrectionem ceſſante motu, perdit hanc rationem accidentem ſibi ex ſtatu ſucceſſionis, & manet ens ſeu animal metaphyſicum; id eſt, ens de cuius ratione ſit habere tales partes, non autem iam mobile ab alio, ſed tantùm à ſeipſo, tanquam iam perfectum & ad perfectionem perductum, & finis mundi præteriti.

Ex quo patet quomodò materia ſit neceſſaria animæ rationali. Durante ſiquidèm ſucceſſione, neceſſaria erat ad accipiendum eſſe, & bene eſſe, quoniam ſeparata anima non amplius perficitur. Poſitâ autem perfectione, non poteſt eſſe neceſſaria niſi ad integrè eſſe. Cùm enim prima operatio imperfecta ſit ſine corpore, ipſa ſubſtantia imperfecta quoque eſt; & eſſe animæ excedens ſubjectum, niſi corpus ſit; & proinde corpus neceſſarium ad hanc exiſtentiam

habendam. Si autem corpus aduenit tempore enti actu, non propterea ordine causalitatis posterius est; sed in genere causæ materialis præcedit, sicut in primâ productione hominis.

Ex hâc eminentiâ animæ supra corpus, fit animam quoàd cognitionem non præueniri à corpore; tum quia opus non habet; vtpote plena omni cognitione; tum quia hoc non fit sine motu corporum exteriorum mouentium internas partes corporis humani; qui cum dependeat à motu solis, cum illo cessaturus est. Cùm itaque iam corpus ad animæ impassibilis naturam sit perductum, ab extrinseco non erit natum pati. Sed si pateretur, anima non foret immunis, propter identitatem quam cum eo habet.

Non tamen eadem lex est de passione ab intrinseco, hoc est, quæ exordium habeat ab ipsâ animâ: quæ si non posset esse, iam corpus non foret subditum animæ, neque per illud anima posset agere; cum corpus non moueat nisi quatenus priùs mouetur

& patitur: & ſic poſt reſurrectionem Chriſti Domini, non meminit Sacra hiſtoria alicuius ſenſationis, vt quod aliquid viſu, auditu, tactuue cognouerit; ſed plurium actionum ab animâ procedentium; vtpote quòd ſit locutus, inſufflauerit, ambulauerit, viſus, contrectatuſque ſit, comederit, &c.

Rurſus, conſideranti eminentiam naturæ ſpiritualis ſupra corpoream, & perfectionem ſcientiæ & affectus quæ ex neceſſitate in animâ coniungendâ reperitur; & quòd non ſit neceſſarium corpus niſi ad integritatem; pateſcit corpus omnimodis animæ ſubiectum eſſe; adeò vt quicquid per corpus natum eſt fieri, ex voluntate huius animæ ſecuturum ſit; & per conſequens anima quantitatem, raritatem, & figuram poſſit pro libito immutare, vltra reſiſtentiam naturæ, ſed non ſine limite, vel vltra potentiam fortioris etiam hominis.

Cùm enim homo ex naturâ ſuâ ſit finis & dominus naturæ; palam eſt perfectionem ipſius debere eſſe vltra vim naturæ, quatenus ea perſonam

ipſius contingit ; & per conſequens, non poſſe naturam actiones ipſius circa ſeſe impedire, poſtquam ad terminum peruenerit. Sed quoniam in ipſo termino gradus ſunt, & vnus alio potentior; palam eſt etiam actionem vnius eſſe validiorem actione alterius, & inferiorem non ſuis viribus, ſed ordine futuri mundi tutum à violentiâ eſſe.

Conſequens eſt, reſurgentes poſſe lucere ſi velint, rarefactis in ignem ſpiritibus, & ex aëre circumſtante nutritis & refectis, vt iugis ſplendor emittatur. Sed cum neque oculi ſint qui talem ſplendorem videant, ex eo quod reſurgentes non patiantur ſecundùm ſenſus; neque ad integritatem naturæ pertineat; neque congruus ſit ſtatui futuro (cùm ex perpetuâ motione & emiſſione partium conſiſtat) non eſt credendus inexiſtere reſurgentibus.

Non minus euidens eſt poſſe eos per modum cryſtalli admittere lumen & nullam vmbram facere ; & per conſequens eſſe inuiſibiles : poſſe ſi velint vmbram facere, ſed lumen

non reflectere, pereunte lumine infra cauitates; quomodo perceptibiles erunt sed non visibiles: posse quoque qualibet figurâ lumen remittere, quod est in alienâ figurâ spectari: posse denique subitò apparere & dispa-rere. Quoniam hæc omnia ex mutatione raritatis & figuræ euidentissimè consequuntur.

Neque magis difficile est ijs rarefacto aliquo spiritu vel parte corporis, illud aëre vel igne leuius efficere, vel æqualis grauitatis; & per consequens ascendere, descendere, progressiuè moueri, celerrimè item per modum luminis vel olei infundere sese per porosa corpora sine eorum vel sui læsione: non tamen per imaginariam & aporosam firmitatem sphærarum Peripateticarum, quæ cum Theologiâ non bene componitur: & hæc omnia sine penetratione seu potius confusione partium quantitatis, quam comminiscuntur moderni.

Magis ergo claret esse immortales; cùm nihil illis adhærere citra ipsorum voluntatem, & per eandem

quidlibet adhærens reijci possit; nihil item eos diuidere valeat, sine quibus nulla est ad corruptionem via. Patet itaque omnes proprietates quæ in Christi corpore experimento compertæ sunt post resurrectionem, quasque dotes appellare consueuerunt Theologi, fundari in his duobus, quòd corpus resurgentis necessarium sit tantummodo ad integritatem animalis, & sit adæquatè subditum regimini animæ.

Neque necessum est inculcari identitatem corporis resurgentis. Cùm enim materia ex sese neque partes neque indiuidualitatem habeat, vt quæ ex sese non sit ens, sed entis potestas; materiei esse hanc, est esse sub hâc formâ. Vnde vbi constans est forma, corpus semper idem est, sub quibuslibet quantitatibus & qualitatibus, sicut in animalibus perfectis censeri & dici videmus, non obstantibus mutationibus naturalibus & violentis. Cùm itaque anima rationalis eadem sit ante & post resurrectionem, etiam corpus idem erit.

Vnde superuacuè texuntur dispu-

tationes de partibus ſeminarijs ſubſtantialibus, nutrimentitijs, excrementitijs,&c: quomodo inueniendæ ſunt partes, quas homo in vitâ habuit? quomodo diſtribuendæ inter eos qui eaſdem partes habuerint? quæ omnes ſupponunt partes actu & entitates indiuiduales plurium materiei partium ex ſeſe. Vnde non mirum ſi ex falsâ ſuppoſitione implicentur tenentes. Sed Auicennæ difficiliùs condonandum, qui cùm alioqui ſententiam Ariſtotelis tueatur, ſimilia Chriſtianis improbiſſimè obijcit.

LECTIO V.

De Modo Reſurrectionis.

VLterius cùm Chriſtum ex ſummitate montis Olіueti aſcendiſſe in cælum, id eſt, eouſque vt nubes inter ipſum & ſpectantium oculos interuenirent, legamus; neque ampliùs de aſcenſu ipſius conſtet. (Quod enim ſuprà omnes cælos vſque in ſpatium imaginarium tranſiuerit,

uerit, repugnat demonstrationi philosophicæ; sicut & concameratio cælorum pagana. Transgressio autem Angelorum, & sessio in solio Dei clarè sunt metaphoricè pronunciata de eminentiâ virtutis & dignitatis, & non translatione locali.) Sed & corpori glorioso quoad sese nullus locus sit incongruus, cùm nihil ei nocere possit: neque indecorus, cùm indecentia ab humanis pendeat moribus: ac perinde Christus ibi manserit vbi gubernationi mundi magis conueniebat: nostrum autem telluris globum, principalem esse Vniuersi portionem, ipsa Christi apud nos incarnatio demonstret: fit Christum illic constitisse, vnde in iudicio appariturus erat; cùm ad cætera inutilis foret loci determinatio.

Cumque Christi mandato vltimus exarsurus sit ignis, Archangelica opera à Christi ipsius præsentia exordium sumet. Quarè ab illo primum loco fugabitur fumidus aër, & in cylindricam formam consistentiæ inuoluetur. Et quoniam forma ignis est pyramidalis; latior erit vacuitas cir-

ca ipſum Chriſtum, maximè ante faciem ipſius, & longior: ad dexteram & ſiniſtram moderatior: pone breuiſſima. & per conſequens, circa Chriſtum purus aër in crucis figuram deformabitur; cuius antrorſum ſit truncus, brachia verſus polos, retro capitellum.

Cùm verò lux candidiſſima circumdet Chriſtum, & reflectatur à corpore ipſius: erit ſpecies ipſius tanquam lucidiſſimæ ſtellæ in humana figura. Et propter atros ignes vſtulatarum nubiũ & meteororum vndique circunſtantes, apparebit vt vltricibus flammis armatus ad excidium orbis terrarum properare. Quod incendium, conſequenter primò in terrâ ſancta & regionibus ad Occidentem ſitis, id eſt, ante faciem Chriſti incipiet.

Si itaque radij Solis radentes horiſontem vtrimque reflectantur ad nos à vaporibus crepuſculinis, ſpectabilis quoque erit Chriſtus in eadem altitudine per totam terræ latitudinẽ, ſeu ab Auſtro in Septentrionem. Neque obſtat corporis exiguitas, lucida

enim quò lucidiora eò majora apparent. Et teſtatur non ignobilis Mathematicus ad ſeptimum Angliæ milliarium, reflexionis diſpoſitorum ſpeculorum vi, lectam eſſe inſcriptionem ſolidi Anglicani. Vnde fit Chriſtum etiam auguſtiori ſpecie ſpectandum fore.

Fiet itaque ſuccedente in locum ſubſolani in pacifico mari dominantis Archangelicâ tubâ, quam diximus vehementem ventum eſſe; & tantum qui aptus ſit reſurgentium exercitus in vicem molis terrenæ circa centrum collocatos, eâdem velocitate quæ telluri prius competebat, conuertere, omnes reſurgentes octodecim præter propter horarum ſpacio Chriſto Domino præſentari, Angelicâ curâ eos ſic diſponente, vt ſingulorum facies ad Chriſti faciem ſine medio opaco ſint conuerſæ.

Vnde patet quòd cùm corpus humanum aquâ marinâ paulo grauius ſit (cum in eâ demergatur;) quòd ſi tota telluris & aquæ maſſa in corpora humana conuertatur; maſſa hominum occupatura ſit locum longè vni-

uerſo telluris corpore ampliorem; tum propter varietatis gradum, tum propter collocationem idoneam vt à ſingulis ſe mutuo non impedientibus valeat ſpectari Chriſtus; ad quod neceſſum eſt plurimas vacuitates aëre ſolo refertas ijs miſceri.

Cùm autem (quantum eſt ex parte operationis diuinæ) homo ſecundum primum actum ordinetur ad Deum, vt ab vltimo fine incipiat eius operatio; ſicut in creatione Adami factum eſt, & ſicut in initio vſus rationis, neceſſum eſt primum actum circa vltimatum finem exerceri: etiam in reſurrectione, vltima diſpoſitio ad animam, adæquatè conſummatur cum illo motu, quo lumen à Chriſti corpore reflexum notitiam cauſat talem; & vnuſquiſque reſurgens in eodem inſtanti ſit primò viuens & videns Chriſtum.

Ex eo autem quòd viſio corporalis Chriſti quoad materialem ipſius partem, ſit diſpoſitio ad vnionem animæ cum corpore; fit animæ in hâc vnione illum indi habitum, qui ex hâc viſione & præcedenti diſpoſitione con-

ſurgit: & per conſequens ſanctis ſeu ijs quibus Deus vltimi finis rationem habebat, in immenſum ex hâc viſione affectum creſcere. Eos contrà quibus vltimus finis in alio collocatus fuerat, extremâ mæſtitiâ & pœnâ ex hâc ipsâ viſione affici & conſternari.

Et ut ab igne grauium & leuium ſeparatio ſecundùm locum contingit, ſic ex hoc Chriſti lumine, ſanctorum & reproborum localem ſeparationem fieri conſequens eſt; ſanctis, ex affectus vehementia ad Chriſtum in aëra raptis: reprobis tanquam ab aduenіente & circumeunte terram Chriſto fugientibus, & ad centrum verſus compreſſis. Sanctis à dextera, id eſt, dignitate, actiuitate, & principio motus; reprobis in neglectu, paſſibilitate, & ſequelâ quaſi ſiniſtrâ collocatis.

Quoniam autem excidium Mundi per fatalem ignem, Mundum quidem deterioratum, ſed non deſtructum ſupponat: Neque enim aër vapores adeo groſſos ſuſtinere poteſt, quàm ex terra eleuari poſſunt; & ſi

posset; ipsi occursu & contiguitatè sese mutuo inflammare, & aërem præcipitatione sua purgare nati sunt. Adde quod cùm mores humani faciliùs corrumpantur, quàm natura; priùs dignus erit perire mũdus, quâm pereat, & sit ex natura inhabitabilis: fit ultimum incendium aliquos homines viuos inuenturum.

Cùm itaque Deus & natura (cùm in apprehensionem humanam non operantur) breuissimâ & facillimâ viâ ad effectum ferantur; facere autem ex viuis quales post resurrectionem futuri sunt, faciliùs sit quàm ex cineribus; palam est non morituros qui tunc viuunt: sed per gubernationem Angelicam mediante igne expurgatum iri aggrauantem partem corporis, & perfectè subjectum iri animæ. Ex quo sequatur existentiam euadere primò animæ, & consequenter corporis, id est, illum statum quem resurgentes habent.

Ex hoc fit, cognitionem eorum esse eleuatam quantùm cognitionem animarum separatarum. Et quoniam hoc ijs accidet cùm per motum tel-

luris offeruntur Christo ; visionem Christi in his sicut in cæteris futurum principium cognitionis alterius vitæ. Quare par erit ratio viuentium & resurgentium ; & pariter boni ad Christum rapientur in aëra, pariter mali relinquentur , & suâ auersione ad centrum comprimentur ; etsi diuersimodè ad hæc disponantur pro subjectorum varietate.

Quoniam autẽ hæc mutatio cognitionis,& éxaltat præmia, & aggrauat pœnas pro qualitate meritorũ ; & est principiũ æterni & finalis singulorum status; oritur quoq; ex visione Christi: euidens est Christum & tribuere præmia,& infligere pœnas, & discernere merita, & assignare loca æternæ mansionis,& viuis & defunctis. Quæ cùm sint illa quæ Iudices in hoc mundo per cognitionem & pronuntiationem sententiæ faciunt ; patet Christum (sine ijs quæ materialitèr sese habent) esse Iudicem viuorum & mortuorum.

Beata autem Virgo & cæteri sanctorum, qui corpora sua receperunt ante mundi exitium ; cum huiusmodi iudicium in receptione corporis ac-

ceperint, non in hoc ſenſu in extremò iudicio iudicabuntur. Sed illis iudicari, erit recipere ſedes & ordinem inter Beatos; ſiue per tranſlationem localem (ſi opus ſit,) ſiue dumtaxat per denominationem ab acceſſu aliorum ad ipſos; & rurſus per manifeſtationem iudicij ipſorum; & viuis quoad ſubſtantiam, & reſurgentibus quoad modum. Omnibus enim neceſſe eſt iuſtitiam Dei eſſe manifeſtam.

Similitèr Angeli tam boni quam mali iudicandi erunt, per manifeſtationem iudicij ipſorum & proportionis præmiorum ad merita. Et prætérea per hoc quod requiem accepturi ſunt ab operibus ſuis; ſicut pronuntiatur de Deo poſt creationem Mundi. Quod reſpectu malorum eſt incarcerari in inferno, ſeu in lacum iræ Dei proiici: reſpectu verò bonorum, cælo quaſi reſtitui; ſecundùm modum cogitationum noſtrarum, & phraſim ſacræ Scripturæ ſeſe ad eas accommodantis.

Pari locutione accipimus creaturam, id eſt, mundum liberandum

esse à seruitute corruptionis : & eam abhuc ingemiscere & parturire & expectare adoptionem filiorum. Quod non est aliud , quàm successionem mutationum & generationum transmutandam esse in constantem habitum & qualitatem; non amplius existente aliquâ causâ motus ; cùm filij hæreditatem acceperint , id est, ea ad quæ nati sunt, propter quos videlicet mutationes institutæ sunt. Sed & cum formarum quæ materiei natæ sunt inesse, nobilissimæ sint animæ rationales, quibus post resurrectionem quasi totaliter suberit materia ; etiam ipsa quodammodo parturijt cùm ad hoc peruenerit: & intereà dum ad hoc laboratur , ingemiscit & quasi parturit.

Rursus quia reprobi tum Angeli tum homines , in bonis & Angelis & hominibus , etiam infantibus recèns baptizatis, videbunt iniquitates & demerita sua , & quàm facile & iucundum fuerat recte viuere: ab omnibus obiectiuè redarguuntur paria factis accepisse ; & per consequens omnes Sancti , specialiter verò Apostoli &

propiores Christo, dicuntur reprobos iudicare. Sed in sensu minùs proprio quam Christus; & ij qui à reprobis spectantur in comitatu Christi; qui alio speciali modo sunt iudices. Porrò cùm in singulorum conscientijs, & per memoriam præteritorum, & per habitum animæ relictum ex toto decursu vitæ, scriptæ sint omnes actiones totius ipsorum vitæ; patet eas esse libros, qui in iudicio proferuntur, quæ, quatenus cuncta cunctorum cunctis arcana patescunt, dicuntur aperiri. Quatenus autem hæc scriptura est malarum actionum, eatenus à Diabolo; quatenus autem bonarum, ab Angelis. Et proinde quasi in scriptis Diaboli accusare, Angeli defendere dicuntur.

Liber verò vitæ, Dei prouidentia seu prædestinatio est, & proinde dicitur esse in cœlis. Vnde pertinet ad iudicium quasi cognitio Dei vel Christi Domini; & significat indefectibilitatem in iudicando. Propterea enim scripto cogitata signamus, vt non elabantur è memoriâ; & vt sint accuratiora. Liber verò mortis nul-

ſus commemoratur; quia ſcribimus quæ curamus. Reproborum autem ſtatus, præſertim reſpectu prædeſtinationis, eſt neglectus & contemptus.

LECTIO VI.

De Viſione beatificâ quoad ſubſtantiam ipſius.

PRotinus ex dictis expeditum eſt, eos qui viui reſeruati ſunt ad iudicium, vi iudicij accepturos plenariam omnium rerum cognitionem; quanta ex ſtatu ſeparationis compe-tit animabus; & pręterea additamentum illud quod reſurgentibus competit ex coniunctione animæ ad corpus. Et, quod ſequitur, fieri perfectiſſimam creaturam, quæ ex tali materiâ qualis ipſi ſunt in articulo tranſmutationis, nata eſt fieri.

Nihilominùs cùm Deus ſit vnica formalitas, quæ adeò eleuata eſt ſupra omnium & exiſtentium & poſſibilium rationes, vt ſit ipſo genere ſu-

perior, & nullam rationem communem habeat: palam eſt non poſſe intellectum ex vi intellectionis omnium poſſibilium, nedum exiſtentium, per conſequentiam & quaſi virtuali diſcurſu erigi ad cognoſcendam talem formalitatem, quæ eſt (vt ita loquamur) quaſi definitio Dei; atque proinde non poſſe intuitiuè Deum videre.

Rurſus euidens eſt, eos qui ſanctè vixerunt, id eſt, exercuerunt ſeſe ad habendum Deum pro vltimo fine & ſolo bono; acceptâ hâc plenitudine ſcientiæ, ex eo quòd magis fortiter & euidenter cognoſcant hanc veritatem, infinitè creſcere in affectu videndi Deum. Et cùm voluntas ſit reflexio exiſtentiæ ſupra eſſentiam, quâ exercetur & applicatur virtus entitatis ad effectum deſideratum; non eſſe aliud talem ſanctum, quàm hominem ſecundùm totam virtutem ſeu entitatem, exercitum reſpectu viſionis Dei.

Cùm itaque ſicut cognoſcere ſe, eſt, eſſe ſeſe eſſe; ſic cognoſcere Deum, ſit eſſe Deum; id eſt, τὸ *eſſe* eſſe; vir-

tus autem entis ad esse, non sit nisi potentialitas, maximè respectu esse subsistētis, quod est & essentia & esse: conficitur talem Sanctum per omne quod in illo est, non esse aliud quàm actualem & exercitam potentialitatem essendi Deum.

Cùm itaque ex parte Dei, ex eo quòd sit ipsum esse (vel specialiùs loquendo, sit ipsum actu intelligi, seu esse actu intellectum, quod est esse suum intelligere passiuè, ita vt intelligi non sit in ipso denominatio, sed realis qualitas (ipsa scilicet quæ constituit Patrem,) & hæc qualitas seu proprietas sit subsistens, & per consequens nulli potentiæ propria, sed cuilibet accommodata;) non possit quicquam deesse quod pertinet ad rationem actus & actualitatis; conclusum est sanctos & Deum esse vnum ex potentiâ & actu; id est, sanctos clarè videre Deum.

Petes, an mensura visionis sit præcisè secundùm gradum charitatis, an etiam secundùm cooperationem intellectus humani; sic vt melior intellectus cum æquali charitate habitu-

tus ſit plus viſionis, quàm inferior cum eodem gradu charitatis? Reſpondetur, quòd cum charitas ſit materialiter actus intellectus; maior charitas non poteſt intelligi quaſi abſtractiuè, ſed conſiſtit in toto, id eſt, in intellectu cum diſpoſitione adiunctâ. Quare hæc petitio ſupponit charitatem eſſe ens diſtinctùm ab intellectu; & ſublato illo fundamento, nulla eſt.

Dices, quòd cùm quicquid vnitur Deo, non poſſit vniri ſecundum naturam, erit ſecundùm perſonam: & hæc vnitas beatorum erit Hypoſtatica. Præthereà cùm ſit realis & accidentalis, vel faciet hominem accidens Dei, vel Deum accidens hominis. Hoc videtur abſurdiſſimum: prius verò non conſiſtit cum naturâ viſionis, quæ eſt in vidente. Tandem accidentia rerum ſunt determinationes earum; ſed impoſſibile eſt ipſum eſſe ſeu Deum eſſe determinationem particularis & humani eſſe. Non itaque Deus hoc modo videtur.

Reſpondetur, objectionem rectè procedere de vnione ſubſtantiali in

quâ altera pars est imperfectè ens; sicut accidit in illâ in quâ Deus fit homo: hæc autem vnio est accidentalis, quâ homo manēs homo fit Deus, accidētali modo & non simpliciter. Vnde dicendum, quòd quia non humanitas Deo, sed Diuinitas copulatur homini; fit quidèm vnio in personâ, quatenùs accidentia pertinent ad personam; non vt persona Dei fiat persona hominis, sed de personâ hominis, & accidens ipsius.

Neque inconuenit substantiam aliquam esse accidens alterius, vt patet fere in sex posterioribus Prædicamentis. Neque Deum esse magis hoc modo accidens hominis, quàm per modum causæ, quatenus est creator. Quod autem accidentia dicantur esse determinationes subiectorum, pertinet intrinsecè ad priora quatuor Prædicamenta. Esse autem extrinsecam determinationem, verbi gratiâ, finem vel objectum creaturæ, non repugnat Deo, sed maximè illi conforme est; vt à quo omnia pondus & mensuram habeant.

Replicabis plures substantias non

posse realiter & propriè (etsi accidentalitèr) fieri vnum, nisi. fortè quantitatiuè, quod hic non habet locum. Respondetur, quod est inferi vel quantitatiuè fieri vnum in corporibus, hoc est in spiritualibus intelligi: cuius ratio, cùm sit esse in alio vt aliud, non potest dubitari, quin sit vnio plurium. In quo aduertenda est eminentia visionis beatificæ, quæ definitionem cognitionis magis propriè, quàm cæteræ verificat; cum cæteræ intellectiones sint cognitiones ipsius esse cognoscentis, & substantiæ alienæ non propriè cognoscentibus insint, vt in hâc contingit.

Obijcies, secundùm hanc explicationem, visionem Dei non esse vitam æternam; quod tamen Christiani omnes profitentur: cùm non sit motio aliqua animæ à seipsa. Respondetur, vitam secundum Philosophum dici ipsum esse viuentis, id est, principium motus ab intrinseco: & sic palam est cognitionem & amorem vltimi finis esse perfectissimè vitam: cum omnes operationes ab ijs habeant procedere: ipsum autē mouere sese propriè, tantum

esi reperitur in corporibus, & est materiale quidpiam respectu vitæ.

Ex explicatis patet non esse necessariam aliquam similitudinem creatam in visione beatificâ; neque aliquid conferre ad ipsam, sed magis eam impedire. Cùm visio consistat in vnitate cum ipso Deo. Adde quòd talis modus explicandi visionem sit contra Philosophiam; quatenus substantias supponit pro accidentibus ; quatenus inducit actionem eiusdem indiuisibilis in semetipsum; rationem similitudinum non intelligibilem; neque explicat rationem cognitionis.

Sed prætereà omnis similitudo creata Dei est impossibilis. Cùm enim Deus sit vnica formalitas, vel illa formalitas est formaliter in entitate quam dicis similitudinem , vel non est: si est, eo ipso est Deus, & increata: vel si amplius habet & distinguatur à Deo , plus Deo est. Sin ea formalitas sit infinitè distans, nullam prorsus similitudinem habet cum formalitate Dei; & per consequens, non est similitudo eius.

Idem conficitur ex eo quod ſi formalitas Dei ineſt formalitèr in ſimilitudine; eo ipſo eſt ſimilitudo adæquata Deo, & per quam natus eſt Deus comprehendi; & per conſequens, creatura nata eum comprehendere, poſtquam ſimilitudo eſt proportionata intellectui creaturæ cuius alioquin actus eſſe non poſſet. Tandem cùm omnis creatura, maximè verò accidens, ſit limitatæ exiſtentiæ & naturæ, quomodo poteſt fingi vnitas in naturâ, ſeu ſimilitudo eius cum Deo?

Longè minus poteſt dari ſpecies aliqua impreſſa Dei creata. Cùm enim ponatur ad efficiendam ſimilitudinem expreſſam & formalem; neque poſſit in hac virtute adiuuari à potentiâ: neceſſe eſt quoad hanc vim præcontineat expreſſam; & per conſequens ſit eminentèr ſimilitudo Dei; quod eſt magis impoſſibile, quàm eſſe formalem ſimilitudinem. Et cùm propter eandem viam ſit inuenta hæc ſpecies, omnes eaſdem difficultates patitur, quas habet ſimilitudo expreſſa.

Ex dictis facile colligitur in quo consistat videre Deum ; videlicet in accidentali illo composito Hominis & Dei, illi secundùm intellectum coniuncti. In quo, quia subjectum est principale (vt in compositis accidentalibus,) totum existit existentiâ subjecti, loquendo de eo formaliter. Et quod sequitur, habet esse creatum & ex tempore incipiens. Vnde etsi sit aliquid materialiter æternum & increatum in ipso ; tamen absolutè dicendum est esse creatum & temporaneum.

Est autem actio grammaticalis seu de dici, vel rationis ; id est, esse quoddam expressum per modum actionis; quales sunt, ardere, lucere, splendedere, feruere, &c. quæ significant esse actu calidum, lucidum, &c. Quia enim inter Prædicamenta, sola actio & passio per verba, id est, cum tempore exprimuntur; consignificatio autem temporis exprimit actualitèr esse ; quotiescumque volumus exprimere actu esse, verbo vtimur. Non tamen huiusmodi sunt actiones rationis ; quia non transfertur ad ea pro-

pria ratio actionis, sed dumtaxat conditio, id est, esse cum tempore, seu esse actu.

LECTIO VII.

De obiecto Visionis beatificæ, & incomprehensibilitate Dei.

VLterius, ex eo quod Deus est vnica formalitas; præcisa est radix plurium quæstionum, de ijs quæ videntur in Deo. Cùm enim euidens sit, nihil esse in Deo, præter hanc vnam formalitatem; æque patet visâ ipsâ; videri omnia prædicata, quæ non sunt aliud quàm ipsa; non alitèr quàm qui concipit aliquem habere omnem perfectionem intellectus & voluntatis, eo ipso nouit illum habere omnes virtutes intellectuales & morales.

Obijcitur, Deum abstrahendo à cogitatione nostrâ, esse iustum & misericordem; patrem, & filium; patrem generare, essentiam non generare, &c: & hæc omnia formalitèr:

atque adeò correſpondere actibus noſtris formalitates quaſdam in Deo, ſiue actu diſtinctas, ſiuè formalitèr quidem exiſtentes, ſed virtualitèr tantum diſtinctas: abſque quo à multis creditur non poſſe veras eſſe enunciationes, quas de Deo efferimus.

Reſpondetur, diſtinguendum eſſe quid ſit hæc eſſe formaliter in Deo. Si enim ſenſus ſit, aliquid eſſe formalitèr in Deo, quod eminentèr verificat has propoſitiones, id eſt, quod cùm ipſum non ſit objectum formale & ſpecificans apprehenſiones ex quibus conflatur propoſitio, repræſentatur tamen á propoſitione, ſicut leo ab vngue, homo à veſtigio, corpus ab vmbrâ, quadratum & circulus ab ellipſi vel rhombo pictis: ſic veriſſimum eſt huiuſmodi eſſe formalitèr in Deo.

Sin ſenſus ſit; eſſe in Deo ſingulas formalitates ſingulis apprehenſionibus attributorum correſpondentes, & earum ſpecificatiuas, & formalitèr ex æquo eas verificantes: ſiuè ponantur actualitèr formalitèr, ſed non realiter, ſiue tantùm virtualitèr eſſe

distinctæ: sic est falsissima propositio, & contra sensum Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & magnorum Doctorum, præsertim Sancti Dionisij & Sancti Thomæ; atque adeò contra sensum illustrioris Ecclesiæ portionis, id est, in hâc materiâ, ipsius Ecclesiæ.

Sacræ siquidem literæ dum docent nos per speculum & in ænigmate videre: & dum promittunt facialem & per speciem (quæ voces significant formalem & definitionalem cognitionem) & sicuti est, cognitionem, pro beatitudine nostrâ; clare docent nostros conceptus esse metaphoricos & improprios. Tantundem Sancti Patres cum docent Deum esse omnibus creaturis inuisibilem; nos non cognoscere substantiam Dei, sed circunstantia & creaturas; id est, creaturarum & circunstantium similitudines ad eum transferre.

Verè enim, si conceptus nostri haberent objecta formalia in Deo, essent proprij & non alieni, speciem suorum obiectorum in Deo formalitèr existentiũ exprimentes, & faciem

eius, non posteriora ; substantiam eius, non circumstantia vel creaturas, repræsentantes ; & eum, per ea quæ vere est, id est, sicuti est, depingentes. Neque posset Dionysius verè pronunciare quod esset non bonus, non Ens, non Pater, non Filius : & hoc magis propriè quàm opposita.

Neque potest responderi hæc dici propter inadæquationem nostrorum conceptuum, quos paucos habemus, cùm in Deo sint infinitæ formalitates repræsentabiles. Namque etiam respectu creatorum, hoc idem contingit ; cùm nulla sit omninò substantia quã adæquatè cognoscamus vel cognoscere possimus. Quis enim omnes vel Trianguli in abstracto proprietates & prædicata de eo demonstrabilia vel nouit, vel vnquam sese cogniturum præsumit ; nedum substantiæ alicuius ?

Accedit quòd vtraque positio manifestâ implicatione in ipsis terminis laborat. Si enim formalitatem formaliter actualiter esse ante intellectum, est formalitatem realiter esse ; etiam distinctionem formaliter

actualiter ante intellectum esse, est distinctionem realiter esse. Prior itaque positio ponens distinctionem esse actualiter formaliter ante intellectum, & non realitèr; sibi contradicit. Et rursus si rem esse, est rem esse quod est, id est, non diuisam à se, sed diuisam ab alijs, id est, vnam; duas formalitates esse, est duas vnas esse; & singulas esse formaliter, est singulas esse singulas, & vtramque duas; id est, formaliter non solùm virtualiter plures. Si enim tantùm virtualiter sunt duæ formalitates, sunt itaque formaliter tantum vna; & per consequens neutra harum, cùm neutra harum sit virtualiter vtraque.

Respondendo itaque ad argumentum dicitur, propriè loquendo, Deum esse formalitèr iustum, non esse in Deo, sed in creaturâ: vt *τὸ formaliter* sit modus prædicati non copulæ. Et ex additione modificationis *formaliter*, significare Deum verificare hanc propositionem, *Deus est iustus*. Cùm itaque Deum verificare, & propositionem verificari sint idem; & propositionem verificari sit

in

in creaturâ, & non in Deo; etiam Deum eſſe formaliter iuſtum, eſt in creatura. Sed Deum eſſe iuſtum, non addendo modificationem *formaliter*, tantùm ſignificat Deum eſſe principium faciendi iuſtè; quod eſt in Deo.

Obijcitur rurſus, quòd per realem actionem, quæ noſtris apprehenſionibus prior eſt, communicatur humanitati Chriſti realitèr diuinitas & eſſentia, non communicatâ Paternitate: atque proinde neceſſarium eſſe intercedere tantam diſtinctionem inter eſſentiam & paternitatem, vt vna per realem actionem & vnionem poſſit fieri vna, ſeu vnita humanitati, abſque eo quod alia ſit ſimilitèr vnita.

Reſpondetur primò, obijcientes non aduertere quòd non abſtrahant neque abſtrahere poſſint à noſtris apprehenſionibus. Etſi enim res facta abſtrahat, tamen ſi res facta declaranda ſit per voces noſtras, & voces noſtræ non referantur ad rem niſi mediantibus apprehenſionibus; non poteſt res vt dicta abſtrahere à noſtris apprehenſionibus. Senſus itaque eſt

quòd Incarnatio ſit talis actio vel vnio Dei cum homine, quæ nata ſit explicari dicendo Filium non Patrem eſſe hominem.

Decipitur & in alio objectio: verè enim communicatur Paternitas humanitati. Etſi enim falſum ſit, homo eſt Pater, verum tamen eſt, homo eſt vnum cum Patre: & non ſolùm homo, ſed etiam humanitas; ſicut & quod Pater eſt in humanitate, & magis quàm in ſacrâ hoſtiâ. Si itaque quod non erat vnum & factum eſt vnum, communicatum eſt; dicendum eſt Paternitatem communicatam eſſe humanitati. Neque tantùm Pater, ſed etiam Paternitas eſt vnum cum humanitate. Et hoc abſque eo quod humanitas vel Homo ſit Pater.

Sed abſtrahendo ab hâc veritate; Reſpondetur ad argumentum, omittendo quòd Paternitas non communicetur; & negando inferri inde quantumlibet minimam diſtinctionem extra intellectũ noſtrum. Sicut enim ſol vel lux ſine minimâ diſtinctione quæ ad rem noſtram ſpectat,

aliter ſeſe communicat ceræ , aliter ligno,propter varietatem ſubiecti;ſic Deus pro diuerſitate ſubiectorum , ſi pluribus vniretur , vni vnam , alteram alteri denominationem communicare poſſet. Et hic quidem Filius,& non Pater ; ille Pater, non Filius dici , ex varietate formæ per occaſionem ſubiecti: neque refert quòd communicatio lucis ſit effectiua ; quòd enim forma non communicetur formaliter & vniuocè,a ſubiectorum varietate trahitur.

His non obſtantibus , cùm attributa ſint nomina quibus reſpondentes conceptus quoquo modo exprimunt Deum , & indiuiſibilem illam formalitatem ; palam eſt illam formalitatem magis explicari per vnum attributum , quàm per aliud : & per conſequens, vt correſpondentem vni attributo, eſſe magis intelligibilem; vt alteri, minùs; atque adeò non repugnare vt ab vno vidente magis,ab alio minùs intelligatur. Cùm eadem forma comparata diuerſis ſubiectis, ſecundùm eorum capacitatem faciat vnum complexum perfectius , aliud imperfectius.

Dices, quòd cùm formalitas indiuiſibilis deitatis, per ipſum eſſe quòd eſt, verificet omnes conceptus attributorum; non eſſe intelligibile quomodo non omnia ſimul intelligantur; cùm non ſit aliud intelligi omnia, quàm intelligi hoc vnum. Neque recurri poteſt ad variam habitudinem ſubiecti; quià vel quælibet habitudo ſubiecti ſufficit vt videatur hæc formalitas ſecundùm propriam ſuam rationem, & omnia attributa videbuntur; vel non; & tunc neque Deus videbitur, neque erit clara Dei viſio.

Reſpondetur τὸ videri attributa, poſſe tripliciter intelligi: primò vt verè inſint Deo & ipſa & radix diſtinctionis in intellectu noſtro: & hæc eſt ſententia reiecta. Secundò, vt videantur prout attributa formaliter; id eſt, vt videatur Deus verificare intellectum creatum apprehendentem ipſum ſub tali nomine; & hoc eſt videre Deum & creaturam à qua denominatur. Tertio modo videtur Deus ſic, vt qui videt hanc viſionem & intellectum apprehendentẽ Deum

ſub nomine alicuius attributi, poſſit videre viſionem Dei non tantùm ſecundùm obiectum in ſeſe, ſed etiam ſecundùm complexum, id eſt, obiectum vt in viſione, præcontinere & eſſe reſolubilem in apprehenſionem attributorum: & hoc modo procedit præſens quæſtio.

Ad argumentum itaque dicitur, quod formalitas Dei accepta obiectiuè, ſeu præſcindendo à complexione cum intellectu, ſic eſt vnica; prout verò eſt in complexione, ſic eſt vna quidem ſed variata in ſingulis; & prout reperitur in infimo vidente Deum, ſic eſt in omnibus: prout autem in Christo Domino, ſic in nullo præterea; qualiter autem in ſeipsâ, ſic in ſolâ comprehenſione quâ Deus ſemetipſum comprehendit. Sed hæc non obſtant quin in reſolutione, id eſt, extra complexum, ſit eadem formalitas; & varietas pertineat ad viſionem non ad obiectum.

Neque hæc impediunt: quin minima viſio Dei ſit modo explicato reſolubilis in infinita attributa: & ſi creatura videns Deum, in æternum

loqueretur alteri non videnti Deum, & singulis horis magis intelligentem redderet, tamen nunquam posset peruenire ad hoc, vt explicaret Deum, quomodò ab ipso vidente intelligitur; immò neque aliquid simile aut suppar: sed semper non videns infinitè minùs sapiens vidente foret. Quomodo solent explicare Philosophi quòd nullus linearum numerus potest accedere ad quantitatem superficiei.

Consideratis enim dumtaxat quòd Deus habeat existentiam pro naturâ suâ, vel quòd sit plenitudo entis; statim apparet eminentiam prioris & extensionem posterioris infinitè excedere quamlibet substantiam creatam; quæ tamen est mensura sui intellectus; & per consequens singula hæc attributa esse prorsus inexplicabilia pro dignitate ipsorum: etsi omnes creaturæ linguas suas in æternum impenderent: & tamen non potest dubitari quin minima visio hæc cognoscat.

Et attributa quidem proposita sunt versùs creaturas, sicut omnia at-

tributa fere quæ nos contemplamur. Sed quoniam in rebus creatis manifestum est esse prædicata conuertibilia cum ratione communi, præter differentias in quas communis ratio resolubilis est; clarum est similitèr in Deo præter notiones inferiores, quæ ex creaturis transferibiles sunt, esse quasi quasdam conuertibiles, & quasi natas ex sese inuicem sequi; distinctio verò diuersarum visionum penes eas desumenda est, quæ quales sint longè à suspicione nostrâ abest; sed sunt propriæ obiecto; & per consequens tales, vt propriæ cognitiones per eas diuersificari sint natæ.

Sed neque superior videns potest explicare inferiori excellentiam illam quam habet; neque inferior vllatenùs suspicari in quo consistat; quia huiusmodi notitiæ non diuersificantur penes participationem quæ cerni potest in alio extra Deum; sed in purâ illâ formalitate quæ iuxta capacitatem videntis implet singulos intellectus indiuisibiliter & irresolubiliter; quia secundum hoc quod Deus est in se, non autem secundùm

quod est participabilis à pluribus, & diuisibilis in limitata.

Ex dictis rursus fit euidens, Deum esse incomprehensibilem à quolibet intellectu creato. Cùm enim varietas visionum sit ex complexione intellectuum cum formalitate deitatis; & illa sit proportionata intellectui diuino; manifestum est visionem cuiusslibet intellectus creati, esse tantò inferiorem obiecto cognoscibili, quantum intellectus est inferior intellectu diuino; atque adeò infinitè distare ab adæquatione obiecti cognoscendi, seu à comprehensione ipsius.

Rursus cùm differentia visionum sit penes notiones conuertibiles cùm Deitate; & tales notiones neque sint formalitèr vel originalitèr in obiecto, neque accipiantur per ordinem ad creata; palam est non variari nisi per ordinem ad ipsas visiones seu complexionem cum ipsis subiectis: tot itaque erunt quot subiecta. Cùm itaque quodlibet subiectum per infinita possibilia media distet ab intellectu diuino; etiam quælibet visio quotli-

bet ſimilium notionum, per infinitas diſtabit à viſione quâ ipſe Deus ſibi correſpondentem notionem in ſua amplitudine videt.

Obijcies ſupra dictum eſſe viſionem beatificam Chriſti Domini fuiſſe maximam quæ ſit poſſibilis. Reſpondetur viſionis Chriſti eminentiam ſupra cæteras non eſſe ſitam in ordine huius gradationis naturarum, ex quo hîc arguimus; ſed ex priuilegio accidentis mutantis eam & transferentis in aliam. Vnde nihil nocet præſenti argumento.

Patet vlteriùs viſionem Dei minimam eſſe ex naturâ rei comprehenſiuam omnium creaturarum actualium & poſſibilium. Cúm enim minimum attributum Dei infinitè excedat & præcontineat omnes creaturas actuales & poſſibiles; euidens eſt, Deum, ſecundùm quod à minimo videtur, reſolubilem eſſe in notiones omnium illarum; & per conſequens eam viſionem eſſe eminentèr viſionem omnium creaturarum adæquatè & à priori; hoc eſt, comprehenſiuam earum.

Cúmque ſingulæ animæ ſeparatæ cæteroqui cognoſcant omnes creaturas exiſtentes, ſed non perfectè à priori, cùm exiſtentiæ illarum à Deo non viſo pendeant: & vis cauſæ primæ eſt maior in quolibet effectu omnibus virtutibus cauſarum ſecundarum; fit videntes Deum fieri eo ipſo comprehenſores omnium exiſtentium ſeu totius entis: non videntes autem Deum, dici comprehenſores in ſenſu longè inferiori & potentiali reſpectu huius.

Adde quòd cùm principium influat ſuam naturam in concluſiones & effectus; & viſio beatifica ſit principiũ & cognitionibus & actionibus beatorum; manent eædem infinitè eleuatæ ſupra hoc quod ex naturâ ſuâ erant futuræ ex influxu talis principij. Et ſi reflexeris, principium hoc in ipſa animâ eſſe ipſum Dei eſſe, accidentaliter quidem ſed vere vnitum; vides actiones omnes creatorum inferiori modo, ſed etiam vere eſſe Theurgicas; ſicut de Chriſti Domini actionibus prius declaratum eſt.

Non tamen per ipſam viſionem

Dei ſpectantur creata. Cùm enim viſio Dei non ſit aliud quam complexio formalitatis Dei & intellectus; ſicut formalitas Dei non eſt niſi Deus, ſic palam eſt non facere formaliter intellectum aliud quàm videntem Deum. Et ſi intellectus quidpiam aliud videat ex vi huius, futuram diuiſibilitatem inter duas viſiones; & viſionem creaturæ fore conſequentiam ex viſione Dei; & poſſe conſiſtere, vt Deus quoad intrinſeca ſic videretur non viſâ creaturâ, & per conſequens, duos eſſe actus, & creaturam non eodem actu formaliter videri quo Deum.

Petes: cur formalitas Dei non poſſit beato præſtare viſionem creaturarum, cùm ipſi Deo hoc præſtet. Reſpondetur, quòd ſcientia quâ Deus nouit creaturas eſt adeò eminens ſupra rationem ſcientiæ quâ beatus cogniturus foret creaturas, quàm formalitas Dei, ſupra formalitatem creaturæ. Vnde etſi formalitas Dei poſſit eſſe formaliter illa ſcientia, non ſequitur poſſe eſſe talem qualis in beatis nata eſt inueniri.

Rursus cùm affectus à quo pendet quod videatur Deus, sit totus versùs Deum; Deus quoque superet vim intellectus & superimpleat eum per propria Dei: palam est, ex vi visionis Dei non posse intellectum quasi reuerti & exire a Deo versùs creata. Si enim plus posset, amplius Deum videret. Præterea cum visio creaturæ non sit entitas distincta, sed habitudo intellectus ad creaturam; non possint autem simul in subjecto esse duæ habitudines ad eundem terminum; visio creaturæ potest esse fortior ex visione Dei, sed nullo modo alia seu deplex.

Dices, supra dictum esse quod beatus videat Deum facere creaturas, saltem in communi: potest itaque vi visionis beatificæ conuerti ad creaturas: quo semel dato, poterit quaslibet videre. Respondetur eam cognitionem resultare quidem ex visione beatificâ, quæ primitatem & solitatem à se existentis bonitatis, & eiusdem vim in Deo videt; sed non esse formaliter ipsammet.

Ex quo intelligitur, quid sit creata videri in verbo. Puta, visionem

Verbi eſſe modo explicato principium illa videndi ſeu comprehendendi: neceſſum enim eſt plures habitudines inter ſeſe connexas eiuſdem animæ ſeſe inuicem roborare. Videntes itaque Deum ex ſuâ ratione eſſe principium eſſendi creatis rebus, inde in ſcientiâ creatarum rerum ſunt confirmatiores: ſicut & cognitio creaturarum, vt dictum eſt, diſpoſitiuè reddit cognitionem Dei eminentiorem.

Dices, quòd cùm nulla ſit relatio vel coordinatio inter Deum & creata; non poteſt intellectus deduci à cognitione Dei ad cognitionem creaturarum. Reſpondetur, quòd cùm creaturæ ſint eminenter in Deo nil repugnat ex vi objecti illic videri, ſiuè Deus habeat relationem, ſiuè non: ſicut ſi ſciatur quà fulmen feratur, & quod muſca occurrat, intelligetur muſcam occidi, licet fulmen non ad hoc miſſum ſit: non itaque ad hoc opus eſt aliâ connexione quàm in intellectu cognoſcente.

Accipitur tandem, nihil horum videri viſione beatificâ formalitèr, quæ

Theologi Attributa appellant, vt esse iustum, misericordem, &c. Verè enim hæc omnia formalitèr videre, est videre creata non Deum. Significant enim intrinsecè nostros conceptus; cùm non habeant esse distincta & esse formaliter quod sunt, nisi ab iis: quod autem videtur in Deo & verificat hæc & conceptus nostros, re ipsâ sit tam dissimile his, quàm Deus est creaturis.

LECTIO VIII.

De proprietatibus & causis Visionis beatificæ.

VIx commemoratione dignum est, hanc Dei cognitionem esse de nobilissimo obiecto quod in intellectum cadere natum est; & quòd cùm sit incomprehensibile, etiam exuperat intellectum nostrum. Quare cùm anima nostra separata non sit capax alterius boni quàm intellectualis, hanc visionem esse satiatiuam animæ secundùm se. Cumque om-

nis iucunditas ſequatur cognitionem; & cognitio totius compoſiti ab animâ ſit; ſequitur totum hominem hâc viſione ſatiari.

Dices, non eſſe ſatiatam animam quamdiu poteſt aliud appetere vel amare: ſed anima videns Deum, poteſt habere ſcientiam rerum creatarum, & illam etiam amare vel appetere: quare non ſatiatur pura viſione Dei. Accedit plura eſſe corporis bona per ſeſe appetibilia ab ipſo toto homine, quæ non repugnat haberi cùm viſione Deitatis: & per conſequens, etiam appeti & deſiderari poſſunt ab homine vidente Deum. Nec anima itaque neque homo ſatiatur viſione beatificâ.

Reſpondetur, quòd ſicut homo qui animum circa aliquam actionem vel voluptatem ita occupatum habet, vt non poſſit pro eodem tempore de alio cogitare, vel aliud deſiderare; pro illo tempore actu ſatiatus eſt: Ita ſi anima vel homo quamdiu habet viſionem Deitatis, non poteſt æſtimare vel deſiderare aliud; palam eſt eâ ſatiata eſſe. Et ſi obiectum tantum ſit,

vt occupet totaliter affectum, palam est nihil aliud habitum vel non habitum in pretio posse esse; atque adeò visione Dei saturari eam.

Et hoc non eo dumtaxat, quod de facto occupet animum; neque eo solo, quòd non sit aliud melius quod possit merito suo excludere hoc bonum ex appetitu: sed ex ipsâ proportione obiecti & appetitus, tum secundùm se, quia bonum sit magis appetibile quàm appetitus natus sit appetere, cùm sit proportionatum appetitui infinito: tum quia mediante visione in ipsâ complexione superimpleat appetitum, trahendo ipsum quantum trahibilis est; quod est simpliciter satiare.

Rursus ex eo quod charitas est principium & dispositio propria ad visionem, habetur videntem Deum non posse desiderare videre Deum plusquam de facto videat; posito enim quòd magis desideraret, plus haberet charitatis; & per consequens etiam plus visionis. Quare euidens est vidētem esse omnino saturatum, & desiderium seu voluntatem eius non posse

se excedere bonum quod habet.

Ex quo patet, quòd quantamlibet vim reliqua objecta habeant secundùm sese, eam totam perdant in compositione cum Deitate, & videntem Deum nullo modo trahant. Sed affectus deriuatur à Deo ad illa omnia quatenus de Deo participant, id est, secundum merita singulorum. Ex quo fit omnia à vidente Deum amari secundum ordinem charitatis; & per consequens, impossibile esse videnti Deum discedere ab hoc ordine, quod est peccare.

Euidens quoque est, ex parte hominis, non posse desisti ab hâc visione Dei, & per consequens, hominem necessario esse potentiam ad Deum vt intellectum. Cùm itaque positâ potentiâ actualitèr, eo ipso fit totum; fit non posse tolli visionem semel existentem: maximè cum bonitas Dei (etsi tantum efficienter concurreret) non possit deficere. Quare cum hoc non possit latere videntem Deum, palam est ipsum esse securum de bono satiante, atque adeò beatum.

Et cum ex naturâ ipſius viſionis ſit, vt objectum viſum faciat ſe amari; & amor faciat objectum videri ; fit ex ipsâ naturâ complexi, eſſe neceſſitatem quandam non deficiendi, quæ non ſit in alia quâcumque creaturâ, quæ cum clarè videatur per ipſammet viſionem, neceſſe eſt viſionem eſſe fruitionem Dei in æternum ex ipsâ eſſentiâ ſuâ; & per conſequens, eſſe æternitatem participatam ; & quendam gradum medium occupare inter puras creaturas & Deum, ex ipſo modo exiſtendi.

Ex his patet viſionem claram Dei ex naturâ rei eſſe immutabilem ; cùm per ſe cauſæ ipſius Deus & amor ex propriis ſuis ſint immutabiles. Sed quia ſubiectũ amoris eſt mutabile; & neceſſe eſt mutatis cauſis effectum mutari ; dictum autem eſt tum in Chriſto in hâc vitâ, tùm in reſurrectione mutari ſubjectum viſionis; palam fit, in his duobus caſibus, viſionis mutationem fieri; ſed in melius, vt auctior & perfectior ſit viſio. Vnde rurſus patet neceſſitas reſurgendi.

Cùm enim anima ſit forma corpo-

ris;manifeſtum eſt etiam poſt reſurre-ctionem ſic vniri corpori,vt ad primò mobilem partem corporis ſeu cerebri non comparetur effectiuè, ſed formalitèr; taliter vt motus talis partis procedat immediatè à ſemetipsà: hoc autem non poteſt intelligi abſque eo quòd anima vt actualis cognitio & ſcientia, ſit forma talis partis: ſiue quòd ipſa determinatio ſcientiæ ſit modus animæ quatenus eſt forma talis partis; ex quo fit, ſcientiam eſſe in perfectiori modo exiſtendi ex eo quod ſit in corpore: quare etiam viſio beatifica,ad quam diſponit; erit perfectior, ex modo exiſtendi in corpore quem habet anima.

Ex hoc ſequitur, quod ſi reſurgens acturus ſit aliquid corporalitèr in totâ æternitate (ſicut accidit Chriſto Domino, & illis qui reſurrexerunt cum ipſo) motus cerebri ſine vllâ mutatione in animâ ſecuturus eſt præciſè ex eo quòd ſit tale compoſitum; habet enim ex qualitate animæ informantis eſſe aliud & aliud, ſicut ipſa ſcientia ex ratione obiectorum eſt diſpoſita. Vnde non mirum ſi aliud &

aliud abſque mutatione extrinſecâ ex eo ſequatur. Vnde mutatio à ſenſibus erit ſuperuacanea.

Clarum ex conſequenti eſt, quòd quoniam purus viator habet talem exiſtendi modum, vt exiſtentia ſit priùs totius quàm animæ; etiam ſcientia ipſius non poteſt eſſe, niſi quæ ſit priùs totius; id eſt, tanta & talis, qualis ex percuſſione ſenſuum & animæ naturâ creatur in ipsâ mente: cùm itaque nulla Dei ſimilitudo ex purâ animæ vi, nedum ex vi corporis percutientis poſſit exiſtere in animâ; clarum eſt viſionem Dei claram, non poſſe puro viatori, non excedenti ſtatum eſſendi ordinarium, competere.

Cui ſi addatur, quod etſi creſcere poſſit viſio clara Dei, non tamen deficere vllâ vi poſſit; fit clarè conſequens, nulli purè viatori factam hanc gratiam, vt Deum clarè videret: & raptum Pauli tantùm fuiſſe ad corporalem præſentiam Chriſti per intellectualem viſionem, à quo inſtructus ſit, vt ipſe docet, de ijs quæ poſtea traderet Eccleſiæ, non autem de ipſa di-

uinitate: vt ſolet colligi ex ipſâ ipſius phraſi dicentis, ſeſe audiuiſſe arcana verba, cum deitas vnius ſit tantùm verbi.

Quod exinde confirmatur, quòd pateat extaſim vel raptum non conferre viſioni viatoris; vt quæ non alienat à ſenſu interiori, vt patet ex retractione ſpirituum ad cerebrum, & debilitatione corporis ex eâ.

De oculo aut ſenſu corporeo ad viſionem Dei claram eleuando, & per conſequens animalia beatificando, nulla poteſt eſſe quæſtio; poſtquam agnitum eſt hæc omnia non excedere motus locales; qui quàm longè ſint à cognitione Dei, nemo ignorare poteſt. Vnde tota illa quæſtio fundata eſt in eo, quòd hærentes in notionibus potentiæ & obiecti, & nihil vltra explicantes, rationes proprias corporis & ſpiritus neque diſtinxerunt, neque ſatis agnouerunt.

Conſtat item animam vel aliam creaturam quæ amat aliud bonum præter Deum propter ſe, ſiue alitèr quàm propter Deum, non eſſe capa-

cem visionis claræ Dei. Cùm enim visio consistat in coniunctione Dei ad animam per modum actus & potentiæ; quod autem amatur propter se, coniungitur amanti tanquam actus; patet creaturam amantem aliud quâm Deum propter sese, eo ipso esse actuatam secundum voluntatem, & non puram potentiam; & per consequens non cogere actum ad vnitatem; & per consequens, cùm in ijs quæ formalitèr se habent, quod non est, non possit esse; sit talem creaturam manente tali dispositione, non posse esse vnam cum Deo.

Ex hoc rursus infertur ita sese habere creaturam quamlibet ad visionem Dei ex naturæ viribus consequendam, sicut sese habet ad perfectionem charitatis. Cùm itaque nulla creatura eam habeat absque gratiæ adiutorio; palam quoque est, nulli creaturæ ex puris naturæ viribus competere visionem claram deitatis. Ex quo rursus habetur, quòd sicut charitas est lumen quo spiritalis homo omnia diiudicat; sic maximè quo mundatur cor vt sit capax visionis

Dei; quale ponitur à Theologis lumen gloriæ.

Verùm hæc non impediunt quò minùs in ſenſu quo moderni vocant naturale, non ſit poſſibilis aliqua creatura, cui non ſit naturale videre Deum; puta, accipiendo naturale pro eo quod eſt naturam habere reſpectum & ordinem ad Deum clarè viſum. Cùm enim Deus hoc modo ſit finis ipſius creationis & naturæ, & ſolum bonum in quo quieſcat natura intellectiua; non poteſt dubitari quin reſpectus maximus quem habet creatura ad Deum, ſit ad eum clarè videndum. Finis enim eſt prima cauſarum.

Accedit, quòd cùm ſcientia propriè non ſit niſi de exiſtentibus; neque perfectè cognoſcatur aliquid exiſtere niſi cognoſcatur per cauſam; neque cognoſcatur per cauſam exiſtere, niſi exiſtentia rurſus cauſæ perfectè cognoſcatur; & ſic ſemper procedatur vſque ad primam cauſam; fit clarum nihil omnino perfecte cognoſci, niſi videatur Deus, & in Deo quòd creaturæ ab ipſo exiſtant; vnde per cog-

nitiones ſubordinatas poſſit deueniri vſque ad quodlibet Indiuiduum cognitum.

Sed & prima & perfectiſſima ſpecies cognoſcendi deerit creaturæ intellectiuæ. Cùm enim ſupra demonſtrationem ſit intelligentia principiorum; & ſupra ipſam, ſimplex apprehenſio; ſimplex autem apprehenſio, ſi non ſit de exiſtentiâ,non ſit perfecta cognitio, & abſtrahat à veritate; non poſſit autem eſſe perfecta niſi de obiecto ſit cuius eſſentia ſit ſua exiſtentia: clarum eſt ſublatâ viſione clarâ Dei, tolli vnam nobiliſſimam cognitionis ſpeciem, ad quam natus eſt omnis intellectus. Cùm itaque creatura intellectiua feratur primò & principaliter ad cognitionem; & eò magis quô nobilior eſt cognitio; ſit euidens naturaliſſimè ad viſionem beatificam ferri.

Adde quòd quæſtio in terminis in quibus ſolet proponi, implicat contradictionem. Quærunt enim an ſit creabilis aliqua ſubſtantia; cui quòd eſt ſimplicitèr ſupernaturale, id eſt, ſupra omnem naturam, ſit naturale.

Cùm

Cùm enim eo ipſo quòd foret ſubſtantia creata, foret natura; quomodo poteſt aliquod poni eſſe ſimpliciter ſupernaturale, & tamen reſpectu ipſius eſſe naturale: Profectò enim ſi ipſi eſt naturale, non erit ſupra omnem naturam.

Quare ad rem quæſtionis dicitur: Quòd cùm Deus non clarè viſus non ſit Deus vt Deus; non etiam habet vim neceſſitatiuam mentis creatæ. Poſſibiles proinde ſunt circumſtantiæ in quibus data mens creata non traheretur ab ipſo. Poſitis itaque talibus circumſtantijs, data natura non perueniret ad viſionem Dei. Cùm itaque circumſtantiæ in quibus natura exiſtit, non ab ipsâ ſint, ſed à creante; palam eſt nullam creaturam ex vi propriorum ad viſionem Dei poſſe peruenire; & per conſequens eſſe à gratiâ non à naturâ quòd eam habeat.

Dices, poſſe cogitari creaturam cui competat ex vi creationis viſio beatifica, quaſi primus & principiatiuus actus cæterorum; quæ proinde non poſſet deficere ab habendo talem ac-

tum. Reſpondetur: Quòd cum viſione beatificâ nihil ſit melius, talis creatura eo ipſo foret in termino; & conſequenter non haberet alias actiones ſequentes, ſed hæc foret ſola actio ipſius: quæ cùm ſit propria actio Dei, natura talis creaturæ foret eadem quæ Dei; & hanc ipſius qualitatem cæteræ quæ ſunt Dei propriæ, ex neceſſitate ſequerentur.

Adde quòd ſi aliqua creatura eſſet ex ſuâ ſubſtantiâ charitas, vel in charitate, ex ſolâ creatione hoc haberet: à ſolo itaque Deo penderet beatitudo eius. Cùm itaque ex parte Dei non poſſit deeſſe bonitas, ex neceſſitate talis creatura erit; & per conſequens omnium creaturarum maximè naturalis & neceſſariò exiſtens erit.

LECTIO IX.

De Damnatione reproborum.

Ex oppoſito, eorum qui viui reſeruati ſunt ad iudicium; qui omne ſtudium & amorem ſuum circa

bona temporalia & quodlibet bonum extra Deum collocauerunt; ex eo quòd animam occupatam & immundam habeant, incapaces ſunt claræ Dei viſionis; & per immutationem hanc recepturi ſunt ingens augmentum illorum affectuum quibus bona temporalia propter ſemetipſa complexi ſunt; quorum compotes cùm eſſe non poſſint, clarum eſt infinitæ miſeriæ hæredes euadere.

Dices, eos qui purè concupiuerunt ſcientiam, eâdem potituros; & per conſequens, non futuros miſeros. Reſpondetur eos qui aliquo vitio non laborauerunt procul dubio etiam pœnâ ſequente vitium carituros; atque proindè qui purè ſcientiam propter ſemetipſam ſectati ſunt, omnium minimè miſeros futuros. Verùm quoniã etiam ſcientia ſine viſione Dei imperfecta eſt, etiam illos non potituros fine ſibi propoſito; & per conſequens, etiam ipſos ex hoc capite æternâ miſeriâ inuolutum iri.

Rurſus ex eo quòd ex viſione Christi Domini, & cognitione omnium rerum ſimul acceptâ, non poſſint

ignorare bonum viſionis Dei eſſe ingens & incomparabile, & ſolam fælicitatem: neceſſum eſt rurſus eos ex amiſſione tanti boni ſummâ pœnitudine affici; & per conſequens, indicibili miſeriâ circumplecti. Et ſi quidem ex merito ſpectetur, hunc dolorem eſſe omnium pœnarum illis grauiſſimam. Et hæc eſt quæ communitèr *pœna Damni* appellatur, & eam patientes, *Damnati*.

Dices, impoſſibile videri eos qui tantam æſtimationem viſionis claræ habituri ſunt, non ex eâ apprehenſione deſerere amorem cæterorum omnium, & hoc ſolum amare, & per conſequens Beatos fieri. Neque obſtat exemplum morientium. In ijs enim exit anima qualis eſt; in his autem per actionem in corpus fit noua immutatio; quare & locus eſt pœnitentiæ: & ex hâc ſententiâ ſequetur in die iudicij omnes homines futuros ſaluos, quod miſericordiæ diuinæ videtur valde congruere.

Reſpondetur, quod vi puræ rationis non poteſt tolli amor boni alicuius per ſe, niſi oſtendendo non eſſe

bonum per ſe: & vt oſtendatur non eſſe bonum per ſe, eſt oſtendendum quod non ſit conforme appetitui concupiſcentis. Conforme vero appetitui aliud eſt, quia eſt conforme appetitui qualis eſt; aliud verò quia eſt conforme appetitui non qualis eſt; ſed qualis foret ſi eſſet perfectus. Et quod hoc poſteriori modo eſt bonũ, eſt bonum reſpectu naturæ in communi; quod verò priori modo eſt bonum, eſt bonum ſimpliciter, huic hîc & nunc. Ponatur itaque appetitus in tali ſtatu, vt poſſit velle ſe non eſſe qualis de facto eſt; & huic demonſtrari poterit bonum hîc & nunc, non eſſe bonum ſimpliciter; & ſic reformari poterit appetitus. Sed ſi fixus eſt appetitus, quod eſt bonum ei vt tali, neceſſariò apparebit ſimpliciter bonum. Cum itaque viui in iudicio immutandi anima qualis eſt in corpore præſupponatur viſioni Chriſti, quaſi ex vi actionis transferentis modum exiſtendi eius: viſio ſuperueniens non poteſt docere per ſe volita non eſſe ei vt tali bona; neque per conſequens, amorem illorum tollere.

Adhæc euidens eſt, ſi homo in vitâ plura bona propter ſeſe appetijt, maximè ſi incompoſſibilia, quod pleriſque accidit; eos amores poſt iudicium remanere: & eſſe damnatum quaſi monſtrum ex difformibus & inter ſeſe pugnantibus membris vel animalibus, vel magis feris rabioſis compoſitum: viribus ad menſuram animæ ſeparatæ exaltatis, obſtinatiſſimoque furore ſeſe inuicem & ipſum hominem vexantibus; qualem ſcyllam emblematicè depinxere Poëtæ.

Ex his patet vnde ſit obſtinatio in damnatis; puta, partim ex naturâ exiſtentiæ ipſorum, & plenititudine ſcientiæ, & ex eo quòd nulla amplius ſupereſt mutabilitatis occaſio; vt ex Philoſophia patet. Vnde ſequitur nihil mirum eſſe pœnas Damnatorum eſſe æternas, poſtquam obſtinatio in voluntate peccandi eſt æterna: non enim prolixior eſt pœna quàm peccatum. Adde quòd ipſa Damnatorum peccata ſunt ipſæ pœnæ in quas per illa inciderunt.

Ex quo rurſus colligitur quàm irrationabilitèr philoſophantur, qui

obſtinationem Damnatorum referunt in Deum, ſiuè per infuſionem habitus vitioſi, ſiuè per denegationem gratiæ ſeu habitualis ſeu auxiliaris, ſiuè generalis concurſus: tum quia hunc effectum procedere immediatè & principalitèr à Deo, non poteſt conciliari cum debito ſenſu bonitatis ipſius; tum quia non poteſt euadi quin Deus ſit cauſa peccatorum ipſorum, etſi iuſtè: hoc enim non tollit quin eorum ſit cauſa.

Infertur quoque, omnes actiones Damnatorum eſſe mortalia peccata. Cùm enim omnes actus ſint vel circa finē vel circa media; & quæ circa media, ſint propter aliquē finem: Ex eo autem quod Deus non ſit finis eorum, quilibet amor finis ſit mortale peccatò; & conſequenter quælibet actio ex tali amore procedēs: clariſſimum fit omnem actionem & cogitationem Damnatorum liberam, eſſe peccatum mortale.

Neque obſtat quod legũtur Damnati pœnitere & agnoſcere culpam ſuam; pro fratribus orare; & Dæmones etiam credere, & prædicare

Christum. Non enim omnis pœnitentia est virtuosa, etsi sit de malo; vt patet in Saule, Esau, Simone mago, &c. Oratio Epulonis (prætterquam quod parabolica est, & idcirco non literalis authoritatis) potuit esse ex vitioso amore fratrum; qualis in multis reperitur. Neque Dæmonũ fides piam affectionem supponit, & prædicatio ex inuidentiâ potuit oriri.

Concluditur prætereà etiam in damnatis esse aliquam lætitiam secundum quid, sed non simplicitèr. Cùm enim lætitia simplicitèr, sit cùm animus ita occupatur bonis, vt obliuiscatur mala; & per consequens, nullam tristitiam mixtam habeat; hoc autem non possit contingere in damnatis: palam est eos non posse habere lætitiam aliquam simpliciter. Siquidem eo ipso propter immutabilitatem status ipsorum, essent semper læti, neque tristitiam vllam haberent.

Quia tamen sunt super omnia affecti ad semetipsos; neque possunt ignorare aut obliuisci bona & perfectiones quas verè habent: clarum

eſt quod de ijs lætantur; & non tantum ſecundum menſuram dictorum bonorum, ſed ſecundùm menſuram, ſecundùm quam illa æſtimant. Delectantur quoque de voluptatibus quas in ſæculo habuerunt. Cum quibus conſiſtit quod de ijſdem affliguntur & triſtantur: cùm ſtatus ipſorum ex contrarijs affectibus ſit compoſitus.

Palam itaque eſt, damnatos non deſiderare non eſſe; cùm ſemetipſos, & per conſequens, ſuum eſſe ſuper omnia diligant. Immò, quod maius eſt, ſuas ipſorum pœnas diligunt, & iis carere nolunt. Cùm enim manifeſtum ſit huiuſmodi pœnas eſſe actus voluntatis, neceſſariò etiam voluntarij ſunt; & cùm non extrinſecùs cogantur, procedunt ab intrinſecâ diſpoſitione ſubſtantiæ: & ſi eas abſolutè nollent, non eſſent: euidens proinde eſt, quòd ſimpliciter ijs carere nolint.

Neque obſtat, quod in hoc mundo qui prudentes videantur, cupiunt mortem vt eximant ſeſe pœnis. Imprimis enim hoc eſt ex imbecillitate

animi; cùm clarum ſit, animum quò fortior eſt & magis recolligit ſeſe, eo minus ſentire dolorem; & in extaſi prorſus ab eo eſſe immunem. Imbecillitas ergo eſt quæ facit nos ſentire dolorẽ; & multò magis per grauius malum velle illum fugere. Prætereà aliud eſt mors, quæ ſtatũ debitũ aliquando nobis affert, aliud non eſſe; quod omnia mala ſuperat. Et ex parte comparatorum, aliud homo carne oppreſſus, aliud ſpiritus cuncta liberè videns, & verũ ab apparenti diſcernens.

Ex dictis quoque claret, quomodo ſingulis peccatis proportionatæ ſunt & ſpeciales pœnæ. Cùm enim ipſe affectus peccati ſit pœna ipſius, palam eſt ſingulas pœnas, ſingulis peccatis reſpondere. Peccata quoque remiſſa, id eſt, quorum affectus totaliter eſt extirpatus ex animâ, non puniuntur ob eandem rationem. Sed quorum affectus abſolutus deletus eſt, ſed habituales aliquæ inclinationes manſerunt, in æternum puniuntur; tali habitu per ſtatum ſequentis vitæ in actum emicante, ſi ex alio affectu manent damnati.

Quoniam autem impij resurgentes, non magis animum mutant quoad finis vltimi affectum, quàm reseruati; patet eorum damnationem augeri, tum ex statu resurrectionis, propter coniunctionem corporis & perfectionem actuum inde accrescentium; tum ex visione Christi in iudicio & corporali agnitione gloriæ. Vt constare potest ex paritate quam cum reseruatis habent, in his duabus conditionibus; vt comparanti facillimè patebit.

LECTIO X.

De purgatione peccatorum in mortuis.

VLteriùs ex eo quòd plerique piorum, qui culturæ animorum non omnino sunt negligentes; etsi Deum pro fine vltimo sibi proponát, nihilominus corporea bona non purè propter ipsum, sed quadantenùs propter semetipsa amplectuntur; necesse est eos ex vi mortis seu immuta-

tionis, parem affectum in futuro sæculo sortiri, neque visione Dei dignari: & per consequens, cùm illum pro vltimo fine habeant, ex desiderio eius & pœnitentiâ negligentiæ suæ grauissimas pœnas sustinere.

Attamen cùm causa cur impij non sint mutati secundum affectum in melius, sit quia propter vitiosum affectum circa vltimum finem, non manet in illis principium correctionis: in his autem rectus est affectus circa finem, sed adeo debilis, vt non possit omninò tollere affectus circa aliud: per visionem autem Christi confirmatur voluntas circa finem: palam est in ijs meliorandum esse affectum; atque adeò eos idoneos euasuros, ad visionem beatificam ex vi iudicij.

Et quod de his dictum est, à fortiori valet de illis qui in hoc sæculo correxerunt iudicium de bonis temporalibus, sed nondum fæces malorum habituum emundauerunt. Quare hi à fortiori visionis beatificæ compotes erunt. Neque interest quòd dicatur habitum vno actu non tolli: hoc enim

vt verum eſt plerumque, ſic aliquando etiam in noſtro vſu inſtantiam patitur; quantò magis vbi tam eminens cauſa agit in ſubjectum iam indiuiſibilitèr paſſiuum.

Ex quibus intelligitur, quomodo illa dies probat opera quæ homines superædificamus ſuper fundamentum Chriſti; id eſt, ſuper fide viuâ, ſeu charitate quâ amatur Deus ſuper omnia. Quomodo aliquorum opera non ardent, aliorum ardent; & hi detrimentum patiuntur ſeu mulctantur affectibus ad creaturas quos habebant; ſalui tamen ſunt propter fundamentum charitatis. Sed quaſi qui exierunt de fornace ignis ardentis, ambuſti ſcilicet & purificati.

Dicuntur autem præuij dolores & deſideria purgare hos, non quia immutationem aliquam actualem in ijs cauſent ante diem iudicij, quæ ſpiritibus puris non competit: ſed quia preces eorum, quæ gratiores ſunt quàm in hâc vitâ, accelerant diem iudicij, & ſunt diſpoſitiones quæ faciunt iudicium habere adeò eminentem effectum circa illos. Et tantum-

dem pronunciandum est de precibus Ecclesiæ, & particularium, quæ funduntur pro ijs.

An autem ex coniunctione affectuum nostrorum cum ijs, aliqui ante vniuersale iudicium eximantur ab his pœnis, non potest nobis constare citra reuelationem publicam & Apostolicam. Priuatæ enim historiæ, etsi à Sanctis conscriptæ, & rationes citra demonstrationem compositæ, non habent vim veritatis in tali materiâ confirmandæ; quæ non à pietate & prudentiâ, de quibus in viris sanctis non est dubitandum, sed à reuelatione diuinâ pendet. Præsertim cùm constet publicam esse sententiam antiquiorum Patrũ tam Græcorũ, quam Latinorũ, purgationem mortuorum ab igne iudicij extremi perfici.

Ex his deducimur ad hoc, vt quoniam Sanctorum antiqui testamenti & legis naturæ, cultura animorum multùm hærebat in bonorum temporalium expectatione à Deo; vniuersalitèr credamus, neminem ipsorum ante Christi passionem, participem fuisse visionis claræ Dei: cum in-

ter Christianos, quorum eruditio immediatè fertur circa bona ſpiritalia à Deo obtinenda, & bona temporalia contemnenda, adeò pauci ſine purgatorio ad eundem deueniant.

Obijcias licet Iuditham totâ vitâ ieiunantem, Simeonem Iuſtum, & Annam, & ſi qui alij poſt Chriſtum viſum Sancti ex corpore obierunt, ſpecialiter nutritium Chriſti ſanctum Ioſephum; quos ſpeciali Chriſti inſtitutione ad ſanctitatem noui teſtamenti ſpectare credatur: ſed ſuper omnes Sanctum Ioannem Baptiſtam, cuius vita non aliud quàm contemptus mundi, & contemplatio ſpiritualium fuit. Quomodo ergo hi à clarâ viſione Dei, vſque ad paſſionem Dominicam ſuſpendendi erant?

Reſpondetur non ex puro ieiunio argui poſſe nullum fuiſſe in Iudithâ temporalium amorem; cùm conſtet eam & diuitem, & glorioſam fuiſſe. Similiter vtrùm Simeon & Anna & quilibet alius defunctus ante prædicationem Chriſti, fuerit idonèe & ſcientiâ & affectu comparatus, ad immediatè adeundam viſionem

Dei, nihil testati est. Quòd sanctus Iosephus mortuus sit ante Christum, non constat. Sancti Baptistæ mediam fuisse inter veteris & noui testamenti sanctitatem, videtur nos docuisse Christus. Vnde quid dicendum sit de statu animæ ipsius in interuallo ante passionem Domini, non satis liquet.

Dices certum esse, sanctos veteris Testamenti fuisse in quiete; vt patet ex descriptione sinus Abrahæ. Non itaque fuisse in Purgatorio; qui locus est pœnarum. Respondetur, certum eos fuisse in magno desiderio, & quidèm dilato; quòd non sine pœna contingit. Talis tamen pœna, tum respectu damnatorum, tum etiam respectu huius mundi, quietis rationem habet: cùm lætitia tum de præsentibus bonis, tum de certitudine futuri, exuperet pœnalitatem. Vix autem dubitari potest, quin omnes sancti defuncti ante passionem Christi resurrexerint cum Christo, cùm omnium æqua fuerit ratio; cùm diuturnitas nihil conferat ijs, quæ æuiternitate mensurantur; neque Christus quidquam, nisi

si ex reali & Physicâ rerum dispositione, (citra doctrinæ tradendæ necessitatem) operetur. Fuisse quoque immutationem ex vi visionis Christi, innuit textus, dum docet non exijsse sepulchris, id est, non resurrexisse, (neque enim viuentes par est adhuc delituisse inter mortuos) nisi post resurrectionem Christi.

Patet consequenter, quòd infantes in peccato Originali morientes, sint inter damnatos computandi. Cùm enim peccatum Originale sit quædam detorsio animæ ad obiecta temporalia, à naturâ & generatione facta; talis autem inclinatio non potest esse nisi circa amabile per se: Si discedat è vitâ infans cum hoc vitio, palàm est, quòd cùm exit in actum, infans euadit actu circa finem vltimum vitiatus; & per consequens, gloriæ quidem incapax; pœnæ autem quæ desiderium talis boni sequitur, obnoxius, id est, damnatus.

Vnde patet nascentem in peccato Originali, dici peccatorem & filium iræ, non propter peccatum actuale quod actualitèr habet; sed quia ha-

bet in sese principium per quod destinatus est ad peccatum, & iram consequentem peccatum; quasi dicatur hæres iræ. Ipsum autem peccatum Originale non est aliter peccatum, quàm quomodo habitus vitiosus relictus ex peccato dicitur peccatum; vel principium aliquod læsum, vt concupiscentia; licet in aliquo distinquatur; ex eo quod ista consistant cum charitate, à quâ originale extinguitur.

Dilucet protinùs quomodo Baptismus & Circumcisio habeant vim tollendi peccatum Originale. Cùm enim infans adhuc infans est, sicut per generationem accepit impressiones à parentibus, & postmodum etiam per affectum, præsertim matris: sic etiam post natiuitatem per actiones à parentibus in eum profectas, accipit inclinationem ad ea ad quæ ipsi eum volunt dirigere. Sic itaque cum Baptismus vel Circumcisio ex voluntate parentum conferuntur, ad affectum in Deum ordinandum, corrigitur vitium nascituræ: Et si moritur infans ante proprios actus, ani-

ma Deum pro fine vltimo habet, & inter fideles computatur, vt ad fidem destinata seu renata.

Hinc est quod martyrium celebramus sanctorum Innocentium, qui (etsi non potuerunt adhuc in corpore existentes habere actum perfectum charitatis, qualis (in adultis martyribus) cùm sit derelictio omnium per se amabilium amore Dei, facit eos absolutè capaces visionis Dei) tamen id passi sunt, vnde anima in actum exiliens post mortem, magnam apprehensionem de aduentu Christi, & salute per ipsum consequendâ, nancisceretur; & per consequens, affectum versus ipsum.

Hinc etiam apparet, cur perfecta conuersio adultorum ab omnibus rebus temporalibus ad culturam animæ, qualis in ingressu status pœnitentiæ (qui fuit antiquorum Monachorum) præsumebatur esse, Baptismi vim ad extinguenda peccata credatur habere. Quia scilicet est abiectio omnium temporalium bonorum amore Christi; quæ est dispositio propria ad visionem Dei. Sed & in his,

& in martyribus debet talis intrinsecè esse in animâ, alioquin externus actus nihil proficit.

LECTIO XI.

De statu & loco finali Corporum.

QVamuis autem omnes resurgentes & immutati, ex vi angelicæ operationis, & status cum eâ compositi, accipiant corpora disposita ad perfectam subiectionem respectu animæ: necesse tamen est, ex varietate affectuum animarum corporibus coniunctarum, diuersas habitudines in corpora redundare. Et quoniam affectus animarum sunt vehementes, dispositionem corporum necesse est esse quasi in proximâ dispositione ad eas actiones, quæ natæ sunt ex similibus affectibus oriri; quales vultus imitantur pictores, vt mores hominum exprimant.

Sanctorum itaque vultus pro affectu amoris & fruitionis, erunt læti, decori, vniformitèr compositi, facie

ad Christum conuersâ, in quo situ finito motu substiterunt; nullius actionis exterioris voluntatem aut speciem præferentes; vt quorum affectus introrsum sunt versi. Color non lucens sed nitens, qui sequitur subtilissimos & dilatatos spiritus; situs, statio; hæc enim homini ex naturâ est; cæteroqui conformatus in admirantium vel adorantium figuram, corpore referente & exprimente conditionem internam animæ.

Nullæ quoque erunt sensuum delectationes, quarum cùm sensus sint purè canales & organa, anima verò subiectum, quæ in hoc statu erit delectationis plenissima: non modò quia præstantiores habet, sed quia harum ipsarum dulcedinem ex plenitudine scientiæ perpetuam habet. Et prætereà, cum operationes sensuum sint in motu positæ, per admissionem sensitiuæ voluptatis, relabimur in æternitatem motus, quam esse impossibilem demonstrat Philosophia. Sed & repugnant statui; quia secundùm statum non à corpore in animam, sed ab Animâ ad corpora procedit actio.

Neque itaque obiecta ſenſibus mouendis deſtinata ſupererunt; vt muſica, ſpectacula quælibet, & quæcumque ornamenta vocantur, quia intuentium illiciunt oculos. Aureolæ proinde Martyrum, Doctorum, & Virginũ, non in exteriore aliquo ſigno vel cultu conſiſtunt; ſed in interioris gaudij eminẽte qualitate; propter exteriorum actuum inter omnes humanos actus dignam excellentiam: quæ omnibus abſque externi ſigni monitione erit notiſſima.

Neque vulnera Martyrum itaque reſeruabuntur; non ſolùm quia non ſunt neceſſaria: ſed quia, vt palam eſt, etiam in quibuſdam totam corporis figuram deformant. Quod itaque Chriſtus vulnera ſua Reſurrectionis tempore monſtrauit, Apoſtolis & Eccleſiæ præſtitit; quorum fidei ſanandæ & confirmandæ erant neceſſaria. Præterquam quòd animæ glorioſæ poteſtatem in corpus ad illud quomodolibet regendum, hoc pacto nobis demonſtratam reliquit.

Pari ratione impiorum vultus triſtes & mæſti, & ex commixtione plu-

rium passionum compositi erunt. Situs, statio cum positurâ corporis quæ mansit in eâ quasi fugâ ad centrum à facie Christi, à quo facies auersas, id est, ad centrum conuersas retinebunt. Cæteroqui figura corporis quasi auentium principalem actum finis, quem pro vltimato sibi statuerunt; sed desperatione, timore, & dolore stupentium & impeditorum, ne intentionem prosequantur. Ex quo sequitur, etsi anima potestatem in corpus habeat, eâ vti suo ipsius defectu non valere: vnde hæc ipsa potestas in sanctis dotum rationem habet, in damnatis non habet.

Rursus prosequendo paritatem, neque sensitiuæ pœnæ in iis erunt ob easdem rationes. Neque ergo instrumenta talium pœnarum, vel obiecta conseruabuntur. Non vermes, non sulphur, non ignis, non caligo, vel tenebræ: longè minùs blasphemiæ vel luctus vocales, neque planctus pectorum, non stridor dẽtium, & si qui alii motus commemorari solent. Sed hęc omnia metaphoricè explicanda sunt, de dolore mentis, qui omnia verificat.

Quoad ignem ſpecialitèr conſiderandum eſt, cur is potius quàm niues & infrigidantia, quæ cauſant ſtridorem dentium? cur non ex oppoſito, menſæ & vina delicata Sanctis apponentur? Adde quòd applicatur Dæmonibus quoque & animabus ſeparatis, in quos actio ignis, quæ eſt per emiſſionem partium, eſt prorſus impoſſibilis; & ſine propriâ actione, eleuata actio; vt alibi patet. Tandem etiam morti & inferno applicatur; de quibus nemo aliud quàm metaphoram ſomniauit.

Quibus non obſtantibus, Damnati extrinſecùs crucientur ab omnibus circunſtantibus Angelis & Sanctis objectiuè; propter inuidiam & doloris augmentum, ex facilitate effectus, & neglectu adiutorij, & exempli. A Deo tanquam causâ omnium quatenus pœnæ ſunt. Sed ſpecialiſſimè à Dæmonibus tanquam cauſis peccatorum, & quæ viui commiſerunt, & obſtinationis in prauis affectibus, quibus in æternum addicti puniuntur.

Ex dictis planè elicitur, quòd quoniam

quoniam terminus aliquis futurus eſt, & ſtatus eſſendi ſine motu: & quòd operationes ſenſuum nullæ poſtmodum futuræ ſint: quòd etiam non requiretur poſt iudicium alia ratio loci, quam mathematici, id eſt, purè continentis, abſque eo quòd vel conferat vel noceat inexiſtentibus, velut locus naturalis: vel placeat aut diſpliceat contentis vel reiectis, quod moralis loci ſpeciem variare videtur. Dico ex vi loci; ex vi enim ſocietatis, vnus placebit, alter torquebit.

Quare ſuperflua erunt corpora quælibet mixta: multo magis immortalia, quales cælos poſuit Ariſtoteles; æquè Theologiæ incongruos, quàm Philoſophiæ impoſſibiles, & morũ per Aſtromaniam corruptiuos. Magis quoquè ſupernaturale quoddam, ſiue ſolidum, ſiue liquidum quale cælum Empyreum quidam ponunt, ex humanis conceptibus metientes diuina. Neque contrarius aliquis aut medius locus damnatis infeſtus, vt de ſeſe patet, aſſignandus eſt.

Sed quoniam per ignem mixta re-

ducenda ſunt in materiam aptam corporibus humanis, quæ inter elementorum extrema ſitum quendam medium videntur obtinere; ignis autem corporum tenuiſſimus, & capaciſſimus corporum in minimâ ſubſtantiâ, neque actiuus in ſummâ expanſione, & abſque motu; facile creditu eſt reſiduum mundi futurum ignem, ſeu ſubtiliſſimum ætherem, corporibus reſurgentium commodo ordine collocatis refertum & diſſtinctum.

LECTIO XII.

Quòd Chriſtus perfecerit ea, ad quæ exequenda miſſus eſt.

EX ijs quæ de Chriſto commemorata ſunt, euidentèr conſtat, operâ ipſius factum eſſe, vt mutatis motiuis charitatis, facile ſit humano generi viam ſalutis apertè proſequi: adeò vt rudes etiam eam faciliter & conſtanter ingredi valeant: factum præterea per ædificationem Eccleſiæ,

institutionem Sacrificij & Sacramentorum, propagationemque & conseruationem per pastores & Angelos; vt de facto totus mundus aliquando hanc viam arripiat, & vsque ad finem temporis prosequatur.

Quare cùm lapsus Adæ difficilem fecerit cælorum aditum, & vltimi finis consecutionem humano generi: & natura humana subjecta sit motui & mutationi; & per consequens, tempora determinata incrementi stationis & decrementi nata sit habere; clarum manet Christum connaturali quodam modo reparauisse & restituisse naturam lapsu Adæ corruptam, & ad perfectionem statui mutabilitatis conformem eleuauisse & perduxisse.

Rursus cùm Deus dicatur hostis & inimicus propter voluntatem inferendi mala; amicus verò propter voluntatem faciendi bona: Cùmque ex eo quòd natura ante Christum ferebatur vniuersalitèr ad vitia, & de malo ad peius prolabebatur, sequebantur eam mala & temporalia & æterna: per Christi autem operatio-

nem paulatim ex malis emergat, & quotidiè majora & majora bona accipiat à Deo; palam eſt Chriſtum reconciliauiſſe Deum mundo, & pacem à Deo naturæ humanæ attuliſſe.

Ad hæc, cùm natura humana per peccatum Adami tot miſerijs inuoluta fuerit, vt non foret ei poſſibilis ad finem beatitudinis, neque vniuerſim neque in particulari peruenire, ſed omnes indiuiduorum ipſius actiones (extra paucos quos Deus ſpecialiter per fidem Chriſti præuenit) erant ex neceſſitate communi, non particulari, & logicâ, non phyſica, peccata mortalia; palam eſt, eam fuiſſe ſeruam peccati, & per conſequens Diaboli qui peccati author & promotor erat. Quare cùm liberare à ſeruitute ſit redimere; palam eſt, Chriſtum naturam humanam redemiſſe. Cùmque hæc ſeruitus foret cum periculo æternæ damnationis coniuncta; qui autem ex periculis eximit dicitur ſaluare, Chriſtus Dominus naturæ humanæ ſaluator eſt.

Adde, quòd cùm principium om-

nium malorum nostri generis fuerit peccatum Originale, quo fiebat vt, ex distorsione quâdam à naturâ indi-tâ, homines vniuersaliter arriperent mala pro bonis; & qui moriebantur in eo damnarentur: clarum est Christum, posito remedio ipsi peccato in sese, & in effectis ipsius, peccatum hoc, & quatenus Originale, & quatenus opprimebat mundum & erat vniuersale peccatum Mundi, sustulisse; & quasi chirographum Adæ, quo sese addixerat morti, cruci affixisse.

Insuper Diabolum, qui peccati author & propagator erat, illudque per totam naturam peruulgauerat, & per illud dominium in omnes homines exercebat, & princeps erat mundi; sanando naturam nostram, eiecit de principatu suo; & eum ligauit, restringendo potestatem ipsius; & tum specialiter dicetur eum ligare in Abysso, id est, extra mundum vel humanam habitationem, cum totus orbis fidem Christi & perfectionem Christianæ vitæ amplexurus est, ex operatione Christi, quæ iam opera-

tur & vſque ad perfectionem profectura eſt. Et quia in Paſſione quaſi completa eſt miſſio Chriſti Domini ſaltem quoad pœnalia, idcirco dicitur exſpoliauiſſe Principatus & Poteſtates, & palàm triumphauiſſe illos in ſemetipſo, id eſt, in corpore ſuo.

Rurſus quia in cælo ſpiritus eſſe dicuntur, ex eo quòd ſint præſentes, id eſt, videant Deum, qui eſt in cælis; corpora autem eſſe in eodem propter localem eleuationem in aëra ſupra terram: primus autem Chriſtus & Dei claram viſionem adijt, & in cælum commoraturus aſcendit: ſed & factus eſt cauſa cæteris omnibus huius boni: rectè dicitur aperuiſſe cælum generi humano. Etſi etiam ex eo quod animas noſtras à deſiderijs temporalibus & vmbris figuriſque ad claram proſecutionem ſpiritalium tranſtulit, etiam ſic cælum aperuiſſe non malè ſit interpretandus.

Quia etiam reſurrectione ſuâ & aliorum, mortis potentiam temporariam tantùm eſſe; neque inuictam, & exemplo & imitatione demonſtrauit: & quatenus eſt cauſa vniuerſalis

resurrectionis, eandem omnino superauit: Sed & intereà terrorem ipsius abstulit ab ijs qui recte eam considerant; meritò dicitur eam morte & resurrectione suâ superauisse. Quatenùs verò in generali resurrectione omnis motus finietur, & nulla superit mortalitatis occasio; dicitur eandem destructurus, & in lacum iræ Dei coniecturus.

Tandem cùm infernus sit carcer Spirituum visione diuinâ extorrium; ipse autem Sanctos ante passionem suam defunctos visioni beatificæ asseruerit; sed & postmodum in charitate perfectâ defuncturis eandem potestatem fecerit: sed & terrorem eius vniuersaliter humano generi incumbentem magnâ ex parte diminuerit: dicitur eundem momordisse. Quatenus autem in fine mundi portæ inferni erunt clausæ; neque ampliùs homines vorabit; eatenùs ipse etiam destructus & in lacum iræ à Christo missus dicetur.

Ex omnibus demùm considerandum vel concludendum venit, quòd cùm mundus non sit nisi seminarium

ſpirituum quos in æternitatem parturit; & hi non niſi ex hominum genere emicent, vel ſimpliciter, vel quantum nos contingit: ſequitur mundo male eſſe, quam diu cum noſtro genere male agitur, aut certè nobis hoc videri. Porro mundi infirmitas & curatio, ad mundi conditorem ſpectat, & diuina eſt actio. Vidimus autem ſine aduentu Dei in carne, non potuiſſe reſtitui genus humanum: vidimus & à Christo reſtitutum. Concludimus itaque Chriſtum Deo digna feciſſe, & perfeciſſe illud cuius cauſa mittendus erat, & miſſus fuit.

LECTIO XIII.

Quibus modis Chriſtus effecerit quæ fecit.

DIcitur autem Chriſtus Dominus hæc omnia feciſſe, ſatiſagendo vel patiendo Deo pro peccatis humani generis. Cùm enim iniuriâ affectus, iratus ſit, donec qui eum iniuriâ affecit, vel repoſuerit pretium dignũm,

vel passus sit pœnam conformem criminii: Christus autem agendo & patiendo effecerit vt ex irato propter offensas nostras Deus placatus deuenerit, consequens est, quòd satis Deo fecerit pro peccatis nostris; siuè per actiones suas hoc effecerit; siue per passiones.

Clarum autem est iniuriam Deo inferri non posse (propriè loquendo) & sic satisfactionem Christi metaphoricè, non propriè intelligendam. Imprimis enim ius in Deo intelligi non potest. Ius enim est ordo quidam ad agendum vel possidendum aliquid. Vnde si in Deo propriè poneretur ius respectu creaturæ, esset coordinatus creaturis, & haberet relationem ad eas. Peiùs autem ponitur ius Dei violabile à creaturâ; quod faceret ipsum subditum actioni creaturæ.

Rursus cùm Deus sit omnipotens, nihil potest ei fieri præter voluntatem ipsius, atque adeò per iniuriam, cùm volenti non fiat iniuria. Similitèr cùm sit Dominus & independens à quolibet tam quoad bona extrinseca, quàm intrinseca; clarum est, nihil

posse sic auferri ab eo, vt obligatio restitutionis inde incurratur. Et cùm omnia quæ fiunt, ab ipso sint, & sic, vt omnibus consideratis, melius sit ea esse quàm non esse; consequens est iniuriam fore Deo, si aliter quicquam fieret quàm quomodo fit.

Adde, quòd cùm Deus perfectè sit Dominus creaturæ, vt pro arbitrio suo illi mala infligat; nulla potestas ei potest accrescere ex peccato creaturæ; sed tantùm voluntas. Immò cùm ipse non possit esse læsus, indigna Deo foret voluntas puniendi creaturam propter semetipsum. Sed & pœnæ pleræque (maximè inferni) neque sunt bonum læsi, neque seruiunt alijs exemplo, qui eas non vident; neque sunt medicabiles punito; quæ sunt solæ rationes puniendi. Cùm pœna non sit nisi bonum vtilè, & non per sese appetendum.

Sed & in creaturâ debitum non potest esse satisfaciendi Deo. Cùm sit in Dei potestate sibi satisfacere si foret læsus. Neque potest quicquam donare Deo, cùm quicquid est, eo ipso sit Dei; neque creatura vel ha-

beat quicquam, vel vim aut exercitium habendi vel faciendi habeat, nisi à Deo. Et tandem pœnæ ordinariæ quas ſubeunt peccatores citra miraculum in hâc vitâ & in futurâ, non ſunt, niſi quæ ex ordine cauſarum ſequuntur ipſa malefacta, & infliguntur à Deo quaſi inſtitutore cauſarum ex quibus ſequuntur.

Hæc tamen non obſtant, quin proſequendo tranſlationem, leges metaphoræ ſatis ſtrictè obſeruentur inter Patrem & Filium. Reperiuntur ſiquidem & Perſonæ diſtinctæ, & naturæ, quarum altera ſit offendens altera offenſa: Et Filius, vnus naturæ ſeu communitatis offendentis; quique per conſequens ſit idoneus qui nomen debitoris ſuſtineat, & pro totâ communitate puniatur; ſecundum vſum iuſtitiæ humanæ, quo aliqui ex communitate ſeligi ſolent, vt pro totâ puniantur; ex quâ leges iuſtitiæ ſunt trahendæ.

Rurſus bona quæ offert ſunt ipſius per identitatem in Perſonâ; & ſic exemptæ à iuriſdictione Patris: & ipſemet æqualis dignitati ipſi Patri,

& non ſubditus illi deſpoticè; nequè actiones ipſius ſecundùm naturam humanam. Quare facta eſt ſatisfactio à Perſonâ diſtinctâ, æquali, debitore, ex naturæ communitate, ex bonis quæ non ſint creditoris, neque alio titulo debita, neque accepta à creditore: præter quæ non requiritur aliud ad rigorem Iuſtitiæ commutatiuæ.

Quomodo de Chriſto intelligitur quod pro alijs ſatisfecerit; ſic & de aliis Sanctis, ijs præſertim quorum operæ ſpecialitèr ad ædificationem Eccleſiæ diriguntur, clarum eſt quod pro aliorum peccatis ſatisfaciunt, & adimplent in corpore ſuo (cùm patiuntur pro Eccleſiâ) quæ deſunt paſſionibus Chriſti; quatenùs opera & paſſiones eorum, fructificant ad pœnitentiam de peccatis, & purgationem animarum a deſiderijs peccatorum, & à reliquiis peccatorum præcedentium.

Facilè quoque ex dictis colligitur, quomodo Chriſtus merendo acquiſiuerit alijs gratiam. Merito enim ſecũdum commutatiuam iuſtitiam reſ-

pondet merces; ſecundùm diſtributiuam, præmium: eſtque actio digna his, id eſt, quæ talis ſit, vt nata ſit ab intelligente Perſonâ obtinere ex dignitate & qualitate ſuâ mercedem vel præmium. Vnde quatenus ex Chriſti actionibus aliquis effectus a Deo prouenit ipſi conueniens ex vi actionis Chriſti; eatenus dicitur Chriſtus tale bonum eſſe meritus.

Cùm verò impetrare dicatur, qui vi precum efficit vt exoratus aliquid faciat: qui autem ſecundùm rationem operatur, intuitu precum non mouetur, niſi quatenus preces vel faciunt orantem digniorem (quod eſt per accidens) vel cæteroqui dignum æquali bono, ad hoc determinant; ſequitur Chriſtum per orationes impetrauiſſe omnia quæ abſolutè petiit. Cùm enim ex vnâ parte quolibet bono dignus foret; ex aliâ parte propter plenitudinem ſcientiæ, nihil peteret incongruè; clarum eſt omnia impetraſſe quæ petijt, vtpote ſemper dignus hoc particulari bono quod petebat.

Ex quibus obiter claret, Sanctos

in cælo neque mereri aliquid pro ſe vel alijs, neque pro peccatis alienis ſatisfacere; cùm non ponantur quicquam operari. Impetrare tamen dicuntur, & quidem omnia pro quibus orant. Cùm enim omnia quæ ſunt congrua velint, id eſt, à Deo petant, & magis quæ ſunt eis magis conjuncta; palam fit eos, quæ ab eis petuntur (ſi ſunt factu congrua) ſpecialiter petere; & quoniam Deus omnia congrua facit, etiam ſemper impetrare; & per conſequens exaudiri pro his pro quibus rogant.

Clarum quoque eſt, Chriſtum neque meritum eſſe neque impetrauiſſe aliquid priùs exiſtens ipſo Chriſto; neque ſatisfeciſſe pro peccatis quatenus erant prius remiſſa. Cùm enim euidẽs ſit hæc omnia nomina ſignificare cauſalitatem efficientem; & eſſe de cauſæ efficientis ratione (quæ eſt eſſe â quo aliud eſt quia ipſum eſt) eſſe priorem effectu in exiſtendo; conſequens eſt, quæ priora fuerunt Chriſto, non proceſſiſſe ab ipſo in aliquo horum trium generum, neque dici ab eo vel promerita vel impetrata.

Dices, nos interdum anticipatò pecunias operario dare, quas ipſe poſtea meretur: ſic itaque & Chriſtus intelligi potuit meruiſſe quæ priùs data erant. Reſpondetur, antecedens falſum eſſe: nam ſimiles pecuniæ non dantur, ſed mutuo commodantur: neque ipſe eas meretur operarius; ſed ſoluit. Vnde voces æquiuocæ ſunt; neque applicari poteſt hic modus ad Chriſtum; tum quia hic modus agendi indignus eſt Deo; neque ex voluntate humanâ Chriſti; & tandem tantùm inter homines vt homines. Cum Chriſti operationes per modum naturæ exerceantur.

Quare gratuitorum donorum Angelis, primis parentibus, & Sanctis antiqui Teſtamenti, cauſa fuit Chriſtus tantummodò finalis vel objectiua; quatenus ſimilia dona præparabant Mundum ad aduentum ipſius; vel quatenus erant fides vel amor ipſius, vel ex ijs procedebant. Cum autem habuerit quæcumque eſt meritus, & exauditus ſit in omni oratione, & ſatisfactio ipſius nunquam indigna fuerit acceptatione, clarum

eſt eum neque meruiſſe quæ non ſunt data, neque pro ijs orauiſſe, neque ſatisfeciſſe pro peccatis non remiſſis.

Cùmque mors Chriſti his ipſis modis operata ſit, & non niſi mediante oratione ipſius; neque mortuus eſt pro re vel perſonâ non conceſſa ſeu ſaluatâ: Sed vel oratio non fuit abſolutè oratio, ſed conditionalis; vel non fuit abſolutè pro re vel Perſonâ, ſed ſecundum quid, id eſt, pro aliquibus effectis illi perſonæ conferendis, vel re aliquatenùs perficiendâ: & per conſequens, in ſecundario tantùm & analogico ſenſu Chriſtus mortem ſuam obtulit vel orauit pro tali re & perſonâ, & ſimiliter meritus eſt & gloriam, vel ſatisfecit pro peccatis ipſius.

Vnde apparet quæſtionem hanc, vtrùm Chriſtus mortuus fuerit pro Damnatis, eſſe merè captioſam vel factioſam; cùm conſtet inter ipſas partes eum non voluiſſe abſolutè ſaluationem illorum, neque obtuliſſe mortem ſuam abſolutè pro eâ; & reliquos ſenſus huius propoſitionis eſſe ſecunda

secundarios & improprios, & proinde non esse veros sine termino minuente vel alienante : neque vrgeri posse nisi apud ignorantes, qui æquiuocatione externæ vocis impediti & implicati maneant.

Tandem intelligitur quomodo Christus in fine mundi traditurus sit regnum Deo Patri. Cùm enim motus sit corporeorum, & non sit sine partibus & quantitate ; & ordinatio pertineat ad ea quæ sunt plura ; ordinare autem sit actus sapientis, patet regere res in motu positas pertinere ad Dei sapientiam, id est, ad Filium. Quoniam itaque in fine mundi desinit motus, & æternitas constitura sit in constantia essendi, quæ pertinet ad Patrem : clarum est regnum rerum à Filio cedi Patri.

LECTIO XIV.

Quomodo creata omnia processerint â Deo.

LIcet ex inſpectione eorum quæ geſta ſunt, vſque à creatione Adami ad reſolutionem rerum in finem ijs præſtitutum, Dei œconomiam aliquo modo æſtimare. Is cùm ſolus æternus ſit, vt omnium rerum author fuit, ſic neque ab alio occaſionem vel conditionem opera ſua principiandi habuit. Sed ex eo ſolo, quòd ex ſemetipſo ſit hoc quod eſt, fluxerunt ab eo quæcumque fluxerunt; ſiue quæ in æternum manſura ſunt, ſiue quæ ijs procreandis inſeruiunt.

Porrò cùm Deus non habeat aliud eſſendi principium, quàm formale, ſeu eſſendi quod eſt; non poſſumus ſuccedentes vel tempore vel virtute cogitationes in Deo imaginari; vt ſit alia prioritas in ijs, quàm abſtractionis; qui ordo in nobis & noſtro intellectu eſt, & non in illo. Quare

ipſa particulariſſima voluntas creandi Adamum, in Deo æquè prima eſt in exiſtendo, & neceſſitate in ipſo exiſtendi, quàm ipſe ſui amor, vel ipſe conceptus exiſtendi à ſe, vel ſi quis alius abſtractione prior videatur.

Non itaque poſſibilitas aliqua vel futuritio creaturæ præſupponi poteſt ante exiſtentiam volitionis vltimatæ in Deo. Et ſi præſupponeretur, magis neceſſaria foret poſſibilitas talis creaturæ, quàm poſſibilitas Dei; quæ non eſt diſtinguibilis ab ipſius exiſtentiâ; quæ, vt dictum eſt, æquè comprehendit vltimum conceptum Dei, quàm primum. Sed Deus potius eſſentiam ſuam à creaturis corrogaret, quàm creaturæ poſſibilitatem ſuam à participabilitate ipſius.

Scientia vero quam aliqui neceſſariam putant futurorum conditionatorum, oneroſior adhuc eſt: cùm manifeſtè pertineat ad eſſentiam Dei. Neque ipſi Patroni conentur eam quaſi extrinſecè adhærentem excuſare: & tamen etiam futuritionem aliqualem creaturæ præſupponit Deo. Præterea euidentiſſimè declarat vo-

luntatis humanæ vel etiam diuinæ (si conformiter loquantur ipsius Patroni) temeritatem & indignam vilissimo puluisculo motionem : cùm supponat voluntatem aliud facturam si coruus volet, vel in aliâ impertinentissimâ conditione, quam in opposito. Adde quod Homo, qui dicitur agere liberè, nullam habeat harum conditionum notitiam. Insuper huius futuritionis determinatio neque est purè possibilis, neque tamen actualis. Tandem ipsa propositio si accipiatur pro iudicio (sicut necesse est vt sit capax veritatis & falsitatis) non sit possibilis nisi amenti vel furiose. Vide vbi hi diuinitatis Consiliarij quærunt Deo principia, quibus administret hominum fata & Angelorum, in mente captorum somniis, quorum objecta neque mere possibilia sint, neque vnquam futura.

Palam itaque est comprehensionem essentiæ Dei, esse consequenter scientiam creaturarum etiam existentium; & vt existentium : quandoquidem vltimæ & singulares determinationes ad creaturas, sunt æquè primò

in Deo, atque quælibet ratio essentialis. A fortiori itaque Deus ipsam suam cognitionem directè, tanquam partem objecti sui directi cognoscit: & non datur in Deo propriè reflexio; sicut neque in creaturâ aliquâ purè spirituali vidente semetipsam: cùm enim visio quâ sese videt, sit affectio objecti visi, necessario directè videtur, vt quidpiam objecti directi.

Euidens consequenter est, non esse intrinsecè in Deo ponendas aliquas volitiones circa creaturas, quæ nihil in ijs operentur, siue dicãtur velleitates, siue volitiones conditionatæ; aut quouis alio nomine; cùm huiusmodi volitiones sint imperfectæ, & etiam in hominibus ex imprudentiâ vel leuitate ortum habeant; & supponant vel non omnino, vel non firmiter resolutionem factam; cum necessariò includant prioritatem ad alias, & vel ignorantiam quid agendum sit, vel etiam aliquam contrarietatem ad resolutionem faciendam; id est, ad rectam rationem. Adde dependentiam quandam à determinatione creaturarum: quæ omnia absurdè

in Deó collocantur, & non nisi in effectis quærenda sunt.

Non itaque aliam naturam habent creaturæ, quàm eam quam accipiendo à Deo hauserunt. Neque aliquæ circumstantiæ vel accidentia sunt particulari cteaturæ debita, nisi quæ data sunt: & quòd secundùm has circumstantias potest agere, est illi actio naturalis. Verum hoc non obstat, quin inter substantiam & accidentia creaturæ conuenientia sit: & possit concipi secundùm accidentia posse esse melius quàm de facto sit, saltem abstractiuè eam cõsiderando & præscindendo à serie causarum positâ.

Rursus cùm Deus perfectè Beatus sit, ex eo quod est; non potest intelligi quòd Deus operetur propter finem, sic vt aliquod bonum assequendum, habeat respectu ipsius aut volitionis eius rationem Boni; sed tantummodo respectu operationis externæ, seu alterius effectus priùs positi. Quare bonum quod respicit Deus, est conuenientia vnius creaturæ ad aliam. Vnde, cùm dicitur Deus facere quod est optimum,

intelligendum est quòd faciat quod est optimum, id est, conuenientissimum creaturis.

Neque hoc inde, quia quodcumque ipse vult de creaturâ, hoc est ei optimum: sed quia verè contemplando solam creaturam, est optimum. Non tamen ex aduerso, quòd ipse ex contemplatione creaturæ eligat facere quod ei optimum est: sed quòd sicut regula iuxta quam ducitur linea, facit eam rectam, quia ipsa priùs in se est recta; sic ex eo quòd Deus est essentialiter ratio & bonitas, necesse est quodcumque in creaturam ab ipso procedit, esse similiter in sese bonum, & membrorum conuenientiam habere.

Ex hoc item fit euidens, nihil posse immediatè a Deo procedere, quod non sit perfectum secundùm optima accidentia quæ possunt ei intrinseca esse: & si quis sit defectus in effectu aliquo Dei, eum necessariò procedere ex determinatione aliquâ mediâ inter Deum & effectum à creato aliquo factâ. Cùm enim Deus sit plenariè bonus & ipsa bonitas, clarum

est à parte principij non posse deesse bonitatem; postquam igitur creatura ponitur capax optimorum accidentium, illa habebit à Deo, si Deus solus & non vt ab aliâ causa determinatus operetur.

Vlteriùs cùm creaturæ vel sint purè corporeæ, vel purè spiritales, vel ex vtrâque naturâ compositæ: & corpora quidem pura sint purè instrumenta motus, motus autem non possit esse æternus: quare neque huiusmodi corpora propter sese nata sunt fieri, sicut quæ æterna sunt: sed neque creaturis purè spiritalibus purorum corporum opus est; planè concluditur, Mundum hunc non nisi creaturarum mixtarum in gratiam esse, & esse conditum.

LECT

LECTIO XV.

Cur homines non sint creati in statu Beatitudinis.

POrrò hoc creaturarum genus, Homines ſeu Animalia rationalia ſolemus appellare. Concluditur itaque tunc Mundum hunc optimè conſtitutum eſſe & gubernatum, ſi ſic ordinatus eſt, vt humano generi (ſiue vnam telluris noſtræ ſphæram inſideat, ſiue plures vaſto ſparſos vniuerſo orbes impleat) ita ſit prouiſum, vt optimè ſit illi in æternitate conſtantiæ, poſt excidium Mundi omnibus æternitatis capacibus incepturâ.

Hominum verò generi optimè eſſe conuenit, vel quia ſingulis generis optimè eſt; vel quia ſic vni meliùs, alteri minùs bene, vt vniuerſis collectiuè ſumptis melius eſſe non potuerit. Porro ſingulis optimè eſſe, vel ex creatione contingere intelligendum eſt, vt ſinguli in ſtatu Bea-

titudinis creati ſint: vel vt in inferiori gradu producti, per motum & gradus eò deducti ſint, vt eam Beatitatem adepti ſint, quæ ſecundùm habitudinem eſſentiæ ſingulorum potuit eis maxima ineſſe.

Quoniam verò ſtatus Beatitudinis, idoneitatem Animæ ad eſſe, præuiam capacitati totius ad eſſe ſupponit; eam autem vnico Chriſto ineſſe conſtiterit; æquè certum eſt, impoſſibilem eſſe per creationem ſingulis humani generis indiuiduis ad optimum eſſendi ſtatum ingreſſum. Per motum itaque hic progreſſus faciendus eſt. Qui cùm ſit via de potentiâ ad actum, ex intrinſecis ſuis ſubjectus eſt contingentiæ, & non poteſt non in aliquotis deficere.

Dices, cum eſſentia Dei ſit æqualiter ratio ſeu bonitas, & potentia: poſito quòd melius ſit ſingulis hominibus beatos eſſe, non eſſe dubitandum, quin Deus potentiam ad hoc efficiendum habeat. Quare neque in naturam animarum, neque in indolem motus reijcienda eſt cauſa, cur non ſinguli vniuerſim ſint beati;

ſed vel concedendum Deum non facere quod humano generi ſimpliciter optimum eſt; vel melius eſſe aliquos damnari, quàm omnes ſaluari; & hoc ipſi generi humano.

Reſpondetur objectionem rite formatam eſſe; atque proinde conſiderandum, ſi ijdem homines qui nunc in ſaluatos & damnatos diſtribuũtur, omnes forent beatitatis compotes, majorem fore generis humani excellentiam in vno genere, ſeu in ſupremo gradu; ſed amplitudinem eam (quæ nunc per adeò diſſipatos gradus hoc genus in infinitas varietates trahit) illo vnico gradu comprehenſum iri; atque adeò genus humanum intenſiue quidem perfectius futurum, non extenſiuè.

Vel potiùs vnum quidem gradum generis humani, multitudine membrorum ſuorum, quaſi materiali perfectione æquaturum & ſuperaturum actu futurum ſtatum. Sed quod propriè dicitur genus humanum, non omnino futurum. Sicut ſi tot forent homines, quot nunc ſunt animalia illorum loco, genus animalis non eſſet;

quantumuis quod foret, perfectius foret quàm genus animalis. Sic quoque cùm varietas hæc ſtatuum nulla foret (quæ tamen ad generis humani rationem ſpectat) neque genus humanum foret.

Cùm itaque genus humanum conſiſtat in participabilitate Dei, quæ reperiri poteſt in compoſito ex corpore & animâ ſpiritali; tunc meliùs eſt generi humano, ſi quamplurimæ & optimæ differentiæ participabilitatis huius exiſtant. Et hoc in genere entis melius eſt: & hoc proinde à Deo faciendum, vt optimè faciat. Non enim quod particulari alicui melius eſt, ſed quod omnibus conſideratis melius eſt, hoc tandem à Deo, vt entis & naturæ parente, expectandum eſt.

Petes, quid intereſſet, ſi homines Beati forent, vtrum aliquid in ratione entis minus perfectum foret? certè cunctis meliùs foret. Reſpondetur quòd cùm omnis ratio Bonitatis & entis à Deo ſit, à Deo autem vt entis quaſi vtero procedat ens vt ens, id eſt, vniuerſalitas entis; eam eſſe

optimam, Dei intereſt, vt actio ipſius ſit conformis principio ſuo, in quo conſiſtit eſſe ipſum opus perfectum. Perfectioni autem totius operis cedit perfectio cuiuſlibet membri; qualis eſt, vt his ſingulis benè & beatè ſit.

Euidens prætereа eſt, cùm ſingulari homini puta Petro, diuerſi gradus Beatitudinis poſſint competere; neque vllus ſupremus ſit; neque poſſit aliquid procedere à Deo niſi ex ratione determinato; & ſi Deus immediatè omnes cum Beatitudine crearet, non foret aliqua ratio extra Deum cur hic determinatus gradus Beatitudinis conferretur Petro; neque à Deo ſolo minor quam ſummus gradus dari poſſet, neque tantus vllus eſſet; clarè Petrum ſic creari non potuiſſe: & ſimile eſt de reliquis hominibus & Angelis. Quare Mundus qui potuit optimus fieri, faciendus erat, vt optimè foret hominibus & Angelis, vt dictum eſt.

Replicabis, bonitatem Dei eſſe majorem potentiâ, ſi quidèm velit omnes homines eſſe beatos, neque

possit efficere: immò vnumquemlibet eorum quos fecit velle meliùs sese habere, neque possit efficere. Respondetur, potentiam Dei quatenus est in Deo, & quasi à Deo; id est, in radice, esse absolutè infinitam; prout autem à nobis comparatur objectis, sic limitari per ipsos effectus: sicut æternitas ex sese infinita, tamen vt præhabens formaliter vnum instans, non excedit illud. Et si potentia diuina comparetur objecto implicanti esse & non esse, limitatur quodammodo extrinsecè, vt sit aliquid, vel videatur esse, quod Deus non possit facere: quod reipsâ non sic sese habet; sed effectus non est verè effectus, neque ens; & impotētia est in nobis formare ipsius imaginem; & longè magis impotentia foret, quæ ad reale esse talis Chimæræ ordinaretur. Sicut autem in ente aliquo rationis, incompossibilitas intrinseca prædicatorum, facit impossibilitatem & non entitatem; sic incompossibilitas plurium entium immediata vel mediata, facit impossibile ea simul existere. Et simile est, si entia non quidem se-

cundùm ſe, ſed ſecundùm conditiones aliquas ſint impoſſibilia. Sic itaque non ex impotentiâ Dei, ſed ex non entitate compoſitionis entium eſt, quòd aliquod ens non poſſit fieri melius: quia non conſiſtit & hoc eſſe melius, & aliud eſſe quale eſt, cuius tamen eſſe tale, magis intereſt vniuerſi. Ad argumentum itaque dicitur, quòd cùm volitio Dei ſupponat intellectionem quid ſit ens & quid non; non poteſt poni Deum velle aliquid, qnod in ſeſe habet rationem non entis. Quare nihil Deus vellet quod eſt impoſſibile (loquendo de actu aliquo ipſius) & per conſequens, voluntas non eſt latior potentiâ, neque hæc minor illâ.

Replicabis iterum, quod ſicut vnus aliquis Mundus eſt optimus, ſic vnus aliquis ſtatus vel gradus Beatitudinis eſt optimus & conuenientiſſimus Petro: & ſic de ſingulis hominibus poſſibilibus. Potuit itaque Deus in illo gradu ſingulos creauiſſe; & ſic melius fuiſſet omnibus hominibus. Reſpondetur, quòd cùm gradus Beatitudinis, reſpondeat cha-

ritati, & charitas ab actibus, & actus à circumstantijs pendeant; & circumstantiæ in quibus poni possit Petrus, sint infinitæ; non videtur vnus aliquis certus Beatitudinis gradus posse illi esse proportionatissimus. Sed quodcumque sit de hoc; clarum est, cùm diuisibilitas continui sit infinita, etiam possibiles hominum indiuiduationes absque numero esse; & cùm infinitudo cum actu repugnet, certum dumtaxat eorum numerum creari posse; & cùm non sit aliud ante creationem præter solum Deum, cui omnes sunt indifferentes, si crearetur immediatè certus numerus, numerum creandum sine ratione præferri aliis; quod est clarè indecens Deo & impossibile.

Petes, cur sicut certus numerus hominum habet constituere perfectissimam repræsentationem & participabilitatem diuinæ essentiæ, ideoque præfertur majori possibili; sic etiam certus beatorum numerus non possit repræsentare perfectissimè participabilitatem Dei in eo gradu, &

propterea præeligi? Respondetur quòd si Dei causâ præeligerentur vni alijs, hoc possit in suspicionem cadere. Verùm etiam sic alij non Beati creandi forent ob eandem rationem. Nunc autem cùm hominum gratiâ, id est, sui ipsorum, crearentur beati, qui singuli sunt quoddam per se & finale bonum independens à cæteris, nulla prorsus suppetit electionis ratio; electio enim circa media est, & non circa fines.

LECTIO XVI.

Dei gubernationem in communi esse conformem naturæ hominum.

Cùm itaque defectus singularium à Deo immediatè procedere non potuerit, creandus erat homo in materiâ, & motu, & serie causarum secundarum, per omnes naturæ gradus, ad finem suum per plures defectus, in singulis gradibus trahendus; vt vniuersa tandem hominum natura, procedendo à proximâ materiei

& infimâ ratione vſque ad ſupremam, compleatur, nullâ exclusâ à Beatitudtne : & pluribus ſingularibus in vnâquâque deficientibus.

Cúmque Angelicæ operæ non adhibeātur niſi ex requiſitione humanæ naturæ ; euidens fit, gubernari res mundanas, & ſpecialiter humanas, eodem prorſus modo, atque ſi ſolæ cauſæ ſecundæ forent ; niſi ſicubi ipſa naturæ humanæ conditio aliud flagitat, Quare cum libertas ſit ſecundum naturam ſpecialem hominum, & contingentia ſecundum naturam communem naturæ corporeæ; palam eſt, quoad hæc gubernari res, quaſi nulla in Deo præſcientia vel prædefinitio foret.

Quod verò conturbat ſpeculantes prædefinitionem eſt, quòd imaginantur Deum quaſi priùs naturâ velle effectum, & deinde quaſi cogitando media inuenire : quod indignum eſt Deo, & impoſſibile ei cujus eſſentia eſt actu eſſe quidquid poteſt eſſe. Simul itaque & ſemel & media propter finem, & finem per media exiturum definiuit Deus. Vnde ex

vi ipsius definitionis, effectus non erit nisi causæ sint, neque aliter quàm ex vi earum: & media non erunt nisi vt finis consequatur ex ijs. Eodem itaque modo se habent, ac si sola essent, & nulla foret prædefinitio; quæ de facto non operatur, nisi vt illa sint.

De præscientiâ quoque clarum est, ex vi vocis abstrahere ab eâ quæ pendet ab objecto, & quæ non pendet ab eo; eam verò quæ pendet ab objecto (cùm supponat objectum) nihil immutare vel efficere in objecto: quare, non obstante præscientiâ, res humanæ gubernantur eodem prorsus modo, atque si nulla præscientia foret; & per consequens nihil potest inferri ex præscientiâ, quod ex ipsâ naturâ rerum à priori non sequatur.

Dices, præscientiam, etsi nihil immutet in rebus, tamen ex eo quòd ipsa certa sit, arguere etiam esse certitudinem in rebus: quare ex præscientiâ sequitur, esse, ab ipsâ vsque Dei ex se existentiâ, determinationem in causis, ex quâ certissimè se-

quetur ſuo tempore hic effectus. Quid autem neceſſitas dicat præter certiſſimam & inuiolabilem determinationem, non liquet, neque videtur poſſe explicari.

Reſpondetur, præſcientiam (de quâ poteſt eſſe ſermo) eſſe triplicem; diuinam, quæ eſt cauſa rerum; Propheticam quæ ab eâ dependet; & Angelicam quæ neque dependet à Diuinâ tanquam principio obiectiuo, neque effectus pendent ab eâ. Imprimis itaque diuina non eſt aliud quàm prædefinitio, ſi explicetur modo poſito; atque proinde iam de illâ reſponſum eſt.

Si verò vrgeatur habere exiſtentiam ante res, etiam hoc in rigore falſum eſt: *ante* enim & *poſt*, ordinem ſucceſſionis dicunt. Cùm itaque in æternitate nulla ſit ſucceſſio, non ſolùm in ſeipsâ, ſed etiam quoad res, quibus & præteritis & futuris (indiuiſibili ſuo eſſe quod eſt) præſens eſt, non poteſt dici eſſe ante illa quæ videt. Sed præſentia videre, id eſt, ſibi præſentia, quantumuis in ſemetipſis aut futura ſint aut præterita.

Angelica modo præſcientia, etſi deficiat à diuinâ in modo exiſtendi per æternitatem, congruit tamen in ſimultaneâ comprehenſione omnium cauſarum. Vnde certitudo quæ eſt in illâ, non eſt in rebus niſi per omnes cauſas: ex vi itaque illius, non poteſt argui certitudo in rebus, dum ſolæ communes cauſæ ſunt: quia communium cauſarum ex coniunctione ſpecialium variatur operatio: è contra itaque ex eo quòd certitudo quæ eſt in mente Angelicâ, ſit ex eo quòd omnes cauſæ ſint in eâ, fit non eſſe certitudinem in rebus.

Replicabis, clarum eſſe, tum in mente diuinâ, tum in angelicâ, certitudinem eſſe; & ex eo ſequi, effectum iam inde eſſe determinatum. Reſpondetur admiſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam. Eſſe enim determinatum in ſolo intellectu, non eſt eſſe determinatum; nòn magis quàm eſſe hominem pictum, ſit eſſe hominem: determinatio autem in re non eſt poſita, ſed per actiones hominis ponenda: & ſic patet quomodo homo electionem ſuam ſuis operibus certam faciat.

Prophetica modò præſcientia, quia pendet ex diuinâ ſecundùm vtramque harum conditionum, clarum eſt quòd ſaltem ſolutio hæc quæ data eſt oppoſitioni de præſcientiâ angelicâ; ei communis ſit, neque ſit vlla ſpecialis difficultas de eâ.

Factus eſt itaque Adamus & progenies ejus, corpore vaſto & durabili; mente pronâ ad corporea obiecta, maximè ad generationem & fœminæ amorem procliuis; qualem neceſſe fuit ex tellure vehementi calore & humore quaſi elixâ ipſum oriri; & conueniens facto, ſpecialiter ad propagationem generis humani. Clarum autem eſt, animum plerumque tali corporis habitu obtuſum eſſe & grauatum. Quare motiua charitatis talia ei proponi debuiſſe, quæ faciliter apprehenderentur.

Et ſic videmus immortalitatem & vitæ delicias ei propoſitas fuiſſe; mortem intentatam peccanti. Prætereà continuam Dei cuſtodiam adfuiſſe: qui perſonaliter ſe adorandum offerebat: perſonalitèr Cainum reprehendebat: Enochum inſtruebat:

Noachum consolabatur. Neque cum hâc curâ satis fuit pluribus ad finem perducendis, maximâ parte pereunte, & ipso Adamo in grauem offensam temerè incidente.

Ex quibus patet, cur Adæ lapsus humano generi fuerit necessarius, atque à Deo permissus. Conseruandus enim alioqui erat idem naturæ status; & homines longo tempore pauci ad mediocrem gradum Beatitudinis ascendissent; cùm toti ad temporalia magis fruenda, quàm quærenda æterna forent intenti; & modicè de futuris solliciti.

Patet vero ex lapsu Adæ factum, vt ex mutatione stationum anni, & ex necessitate, hominum ingenia acuerentur; & sicut impij in artibus inueniendis sollertes euaderent, sic pij, in ijs quæ pietatem spectant, & persecutione malorum & suis operis euaderent peritiores, & ampliorum gradum Beatitudinis acquirerent. Considerato itaque augmento & multitudinis & sollertiæ, planè videtur meliùs actum cum genere humano (considerato solo interstitio

inter creationem & diluuium) vt Adam lapſus fuerit; quàm vt ſtatus Paradiſi fuiſſet continuatus.

Sed inundanda fuit tellus & delendi habitatores ipſius, vt ſuccederet generatio capacior rationis. Exſiccata ſiquidem tellus, & magis montoſa ex diluuio, acutiores Solis radios ſenſit, & incaluit magis ſanguis humanus, vnde celerius & ad rationem accommodatius hominibus cerebrum factum eſt: & cùm vix vna familia priùs diuinæ ſeruituti mancipata hæreret, nunc integra gens eiuſdem myſterijs initianda ſelecta eſt.

His itaque (etſi nondum rationis puræ capacibus) ſublimiora tamen miniſtranda fuerunt præcepta & monita. Vmbris itaque & figuris materialibus tecta ſpiritalia eis propoſita ſunt. Et vt carnalibus, bona temporalia quidem promiſſa ſunt: pax, longitudo vitæ, ſecuritas, diuitiæ, abundantia alimentorum & filiorum, & ſimilia. Sed iuſſi quoque ſunt meliora ſperare à Redemptore venturo; qui omnibus ferè ſacrificijs

&

& cæremonijs ſignificabatur magna præſtiturus.

Horum ætas tribus diſtincta eſt incrementis. Primò enim ſub iudicibus quaſi ſemet ipſi fruebantur. Mox ſub Regibus bella gerebant, & honori dominationique ſtudebant. Tandem ſub Sacerdotibus ad pietatis culturam propiùs ſeſe applicabant. Duces plerumque Prophetæ erant, vel de Prophetiâ participabant. Sub Regibus nunquam ferè deerant Prophetæ. Sub Sacerdotibus ſubtractâ paulatim prouidentiâ illâ extraordinariâ, per diſciplinam & prudentiam regebantur.

Interea reliquus Orbis pacis & belli artibus florebat; & ſcientiæ incrementus magnos progreſſus fecerat: paratuſque erat vt diſciplinam pietatis reciperet, & igniculos ſub cineribus Hebraicis latentes, ſubiectâ eſcâ caperet, & in claram lucem daret. Venerat itaque plenitudo temporis, vt genus humanum bona ſpiritalia in ſeſe ſperaret & concupiſceret; & ipsâ rationis vi ad Beatitudinem conniteretur; ſublatis iam vmbris & allegorijs.

Ex his itaque patet, cur tantoperè dilatus est aduentus Christi. Et cur in tam paruâ multitudine saluati sint ante aduentum ipsius; puta propter ineptitudinem naturæ vniuersalis ad rationem, & illa motiua quibus Beatitudo & vita rationalis in propriâ suâ pulchritudine monstrari & persuaderi poterat; motiuorum autem & sacramentorum vmbratilium quæ applicari poterant imbecillitatem; & quòd continuis miraculis ad gubernationem opus erat. Quod signum est imbecillis adhuc, & parum constantis, & frequentiore reparatione egentis naturæ.

Quoniam verò proprium est naturæ humanæ primò credere, mox inquirere, demum ad scientiam peruenire: Christianæ Reipublicæ quatuor ætates fore necessum est. Vsque Constantinum enim purâ fide miraculis nutritâ, & exemplis, creuit disciplina. Ab illo tempore Hæreticis succrescentibus, per rhetoricam & logicam quandam inquisitionem confirmata est. Mox in scientiæ certitudinem emicaturam expectamus: quâ

quia non est perfectio rationalis vlterior, superest dumtaxat senecta & interitus.

Ex quibus constat Naturam humanam, ab ipsa primâ fabricatione, per gradus connaturales eleuatam esse & iri vsque ad naturæ vniuersalis periodum: & per consequens, proportionatè ad ipsius indolem, ad finem suum esse perductam.

Sequitur æternitatis status, Beatis animæ corporisque bonis refertissimus; Damnatis ex suâ ipsorum peruersitate, infœlix. Summa enim bona temporaria non possunt comparari minimis bonis cuiusuis Damnati à Deo in ipsos pæne inuitos, ipsâ causarum à Deo institutarum seriè collatis: illi puta eminentiæ animæ, & plenitudini scientiæ, & immortalitati corporis, & immutabilitati: quibus si frui ijs ab ipsâ illorum peruersitate copia daretur; etsi non statui Beatorum comparandus, tamen respectu huius mundi fœlicissimus foret eorum gradus.

Cùm itaque nihil absurdiùs dici possit, quàm nihil, esse melius ente;

sed & omnia mala non sint, nisi via ad non ens; clarum est (simpliciter loquendo) meliùs ijs esse vt sunt, quàm omnino non esse; præsertim cùm non possint ignari esse huius veritatis; & ex eo quòd sese effusissimè diligant, non possint non aliquem sensum sui boni habere: Sed & pœnæ non extrinsecus inflictæ, sed voluntariæ & purè volitiones sint; & quò maiora sunt tormenta, tantò nobilior quoque sit natura ex quâ oriuntur.

Nunc cum ex dictis constet disciplinam Beatitudinis humanæ, esse connaturalissimam, dulcissimam, securissimam, facillimamque; genus quoque humanum in eâ fuisse eruditum, per eos gradus, qui secundùm causarum ipsius naturæ seriem, erant comparatè ad ipsum genus humanum, optimi: rursus quòd status tum Beatorum tum infœlicium non sit alius, quàm qui ex ipsorum operibus quasi effectus & fructus sequuntur: Quid opponi potest, cur non optimè, & secundùm perfectam Sapientiæ & Bonitatis legem, à Deo

cum humano genere ſit actum?

His ſi adijciamus, damnatos ipſos ex nihilo ad nobiliſſimum entis gradum euectos: miſeriam ipſorum ex præſenti eorum peruerſitate pendere: poſſe etiamnum ſi vellent eſſe Beatos: ex vi & ſerie naturæ, cuius partes ſunt, non potuiſſe ijs melius contingere, neque omnibus, neque ſingulis: ſed & naturam & Deum futuros fuiſſe deteriores, ſi aliter cum ijs actum foret: Nonne euidens ſtatim apparet, non ſolùm benè, ſed & optimè, & ex maximâ bonitate cum ijs eſſe actum; & *iuſtificatam eſſe Sapientiam aduerſus filios ſuos*?

FINIS.

APPENDIX
AD INSTITVTIONES THEOLOGICAS.
SIVE
BREVIS EXEGESIS

In aliquot diuinæ Apocalypſeos capita; quâ, Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ progreſſus & conſummatio, magis particulariter enarrantur, quàm in ſacris Inſtitutionibus; in earundem Supplementum.

AVTHORE EODEM.

Sapiens animaduertet Parabolam, & interpretationem; verba Sapientum, & Ænigmata eorum. Prou. 1.



AD LECTOREM.

CVm ad eam partem Sacrarum Institutionum, quâ Ecclesiæ progressus & mundi exitus delineantur, animum adiecissem: Visum est non absurdum factu, si sicut earum aditum aliquot Geneseos capitulorum breui explicatione muniuissem; sic earundem finem, Apocalypseos, quæ Ecclesiæ consummationem potissimè spectare videretur, breui elucidatione clauderem.

Non quòd vtriusue libri commentarium cogitaré; quod liberiores horas exigeret: Sed quod si obscurissimis scriptis lucem eam inferrem, quæ in eorum oculos, qui otio literario abundant, vibraret, fæliciter mecum actum crederé. Addidi itaque oculos in eas partes, quæ scopum institutionum attinerent: & quanquam non tum primò sensa latentia rimarer, visus est tamen desperationis plenus labor. Cùm tamen ipsa rei difficultas hortamento foret, improbo desiderio cessisse visus est, & ausus

ſum ſperare, & parturiui, & natus eſt homo. Quam appellationem mereatur, tu vide. Ego prima capitula non tetigi, ne commentarius vocitaretur, & expectaretur Allegoriarum iuſta applicatio. Mihi enim ſatis eſt, ſi inſtitutionum doctrina ſubluſtri quâdam coruſcatione à libri huius authoritate affletur. Elucidationem operis aut ipſe, ſi tibi vires ſuperant, conare, aut à non defuturis opperire. Intereà fruere ijs quæ hoc libello propoſita ſunt fidei tuæ circa finem mundi, quæ ex præfixa nobis in

institutionibus, ex solâ ratione agendi lege, illic exponere erat vetitum, & ad plenariam tamen notitiam reuelatorum necessaria.





BREVIS EXEGESIS

IN ALIQVOT DIVINÆ Apocalypſeos capita, quâ Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ progreſſus & conſummatio, magis particulariter enarrantur, quàm in ſacris inſtitutionibus, in earundem ſupplementum.

INTRODVCTIO

Naturam facultatum ad locutionem ſpectantium, maximè Poëtices, explanans.



VOcem emittere, effectuum ſuorum proditricem, nata ſunt pleraq; Animalia. Homini, cui citra paſſionem agere propoſitum eſt, præter gemitum & cæteras voces motuum infe-

rioris animæ indices & effectus, quas interiectionum indiculo colligunt Grammatici, indultum est articulatarum vocum genus, quarum compositione animi sui sensa sui similibus patefaciat. Hanc humanæ actionis partem, locutionem appellamus. Circa quam excolendam, plures seu virtutes, seu facultates (quæ etiam liberales & ingenuæ vocitantur) suas operas impendunt. Ad cæteras aditum munit Grammatica. Hæc apertè & breuiter cogitata explicare docet, superflua resecans, & quæ aptissima rebus sunt vocabula seligèns. Eadem suauitatem curat, mitigatis consonarum asperitatibus, & continuato vocalium per interpositas consonarum consitiones hiatu. Ornatu quoque blanditur, tum distributione vocum (quantum claritas permittit) inexpectatâ; tum lætiora quædam interspergens troporum & figurarum lumina, quæ auditorem & arrigant & delectant.

Hæc sunt potissima Grammaticæ officia. A quâ lampadem suscipit Prosodia, Musices princeps portio.

Hæc orationem ſonoram reddit, metricam quoque & tinnulam. Sonori lex alia eſt in quotidiano ſermone, alia in publicâ & elatâ elocutione. Metri quoque alia ratio in recitatione & colloquij imitatione, quæ ab Epicis & Dramaticis ſcriptoribus exercentur; alia compoſitior & modulatior, quam concitatioribus æſtuantis animi impetibus adhiberi experimur. Tertius Proſodiæ labor, quo repetitâ ad certos numeros eâdem ſyllabæ qualitate, aurem ferit, & irritat animum, vt experimento cogente dulcedinis confeſſionem ab inuitis exprimit; ſic quia alienâ quâdam ſuauitate intentionem rationis ad dictorum mentem applicatæ quodammodo abrumpit, & ad ſequiora reuocat, à cultioribus nationibus ſtudio vitatus eſt: & in colloquiorum potiſſimè imitationibus neſcio quid leuitatis & diſſonantiæ præ ſe fert. Ferunt nihilominus Hebrææ Poëſeos ſapientes, aliquatenus à ſacris eſſe ſcriptoribus non contemptum.

At enim quoniam locutio non ſolis congeſtis ſonis fabricatur, ſed ani-

mi præcipuè ſenſis & cogitatis animatur; Proxima eſt Dialecticæ ſedes, quæ per definitiones & diuiſiones & ſequelarum directiones, dicendorum longam ſeriem ex vnius propoſitæ veritatis oſtendendæ intento appendit: ſcrutinioque naturæ per theſauros notionum, quos locos vocant, opulentat. Inter hæc ſecernere quæ pro auditorum proportione promenda ſunt vel tacenda, alterius prudentiæ eſt, quæ humanæ actionis calles pernouerit. Huius conſultum oratorem dicimus. Hic quid ætatibus & moribus, quid officijs & animi motibus, quid præſentibus concionis apud quam loquitur commodis & cogitatis proſit, obſtruè, & diſtinguit, & per ſubjectas ſibi artes exequitur. Et hic locutionis quatenus ciuili actioni & vſui ſeruit, magiſter eſt, & audit.

Attamen quoniam humanæ naturæ ea compoſitio eſt, vt animam & rationem in carnis & ſanguinis quaſi fluctibus natabundam ferat, eorumque ſubjectam æſtuationibus; deerat vlterior pars, quæ rationem per ho-

ſum motuum adminiculum excitaret & promoueret: Et per ſimulacra quædam & quaſi ſpectra, quæ in animales motus magnam potentiam haberent, & egregiis quoque intus cogitatis fœta eſſent, tardam mentem ſubleuarent, & ad ingentia vota attollerent. Hanc Poëticam dixerunt Græci, vt quæ per factitia ſeu fictitia ſchemata viam ſibi ad animum ſterneret; & quò pura ratio imbecilla erat, agnatione ad carnem & molliorem hominis partem penetraret. Et de cæteris quidem ſatis ad rem noſtram ſic breuiter preſtrictum eſto.

Poëtices ingenium adhuc paucis illuſtrandum eſt. Et cunas quidem ipſius inter profanos ſcriptores occupauiſſe videntur Vanitas & Adulatio. Dum enim eminentiores hominum actiones in cælum eleuare conarentur audacia admiratorum ingenia, hanc artem inuenerunt. Hinc inter Græcos Pindarũ habemus & Homerum: Illum certaminum Græcorum Præconem; hunc Maiorum Græciæ ſplendidè geſta, qui vltra poſterorum glorioſa mendacia extolleret, imitatio-

ni commendaret. Adeò fœlici fabularum commentatione, & adeò ingenuâ actionum expressione, vt non immeritò â prudente Historico eam sit laudem assecutus, vt solus Poëtæ nomine dignus censeretur, & admirationi proponatur, quod neque ante illum quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset inuentus est. Rectè; qui enim hoc tentarunt, quò laboriosiùs id egerunt, eò latiùs defecerunt.

Verùm vt ipsam rem declaremus; Ex eo quòd in animam sensitiuam impressio à Poëtâ molienda sit, neque à consuetis insignis fiat passio, & per admirationem ad veritatis desiderium paratissimus sit aditus; palam est insolita & admiranda esse Poëtis sectanda. Hæc partim vocibus, partim rebus, comprehenduntur. Inde frequentes sunt apud illos audaces Metaphoræ, & Tropi, præsertim Hyperbolæ. Hinc Epitheta, & comparationes vastæ, & ecstaticæ quædam figuræ, quasi ab inhabitante numine rotatæ; Apostrophæ ad inanimata vel absentia; Prosopopæiæ, Hypothe-

ses, Exclamationes & Interrogationes enthusiasticæ; & quæcumque aliæ loquendi formulæ, quæ ad plebem rapiendam, & in furorem præcipitandam solent applicari. Rebus tantundem egerunt Semiramis, Numa, Sertorius, Machometes, & si qui alij ad suspendendum populum diuinitatem sibi & inuentis suis alligare tentauerunt. Homerus vbique Heroum actis diuina admiscuit. Fœlicissimè quoque fabulas illas allegoricas de Cyclope, Sirenibus, Circe, Scyllâ, & Charibde, & similibus, interseruit. Et huiusmodi quidem commentatutiùs auribus committuntur quàm oculis. Propterea Dramatici, plerumque thaumasticam partem inter euenta paradoxa continent: qualia sunt agnitiones Comicorum, & Tragicorum, siue horrenda scelera, siue inexpectatæ vindictæ.

Verùm quoniam admiranda non facilè fidem reperiunt; ratio quoque eadem proponendi noua quæsita est, vt in somnis; cùm libera terrenis curis anima diuinis afflatibus paratior creditur, similia offerantur, interdum

suâ propriâ ſpecie; nonnunquam velaminibus & inuolucris allegoricis cooperta. At ſomni fides quantum ad apparitionis effectum potens, tantundem ad viſorum veritatem perſuadendam infirma eſt. Inde quaſi et neceſſitate creuit audacia, vt in grauiſſimis rebus adhiberentur videntibus & ſui compotibus manifeſtâ in luce quædam apparitiones ſuperiorum naturarum, quas Eccleſiaſtico vocabulo viſiones appellamus. Inter quas nulla in profano authore occurrit diuinior, illâ Veneris apud Maronem, quâ tollens caliginem mortalibus oculis ingenitam, manifeſta Filio ſuo fecit inimica Troiæ numina eam ſubruentia funditùs, quo ei perſuaderet ſat Patriæ Priamoque datum; & tandem de ſuâ ſalute, & poſterorum gloriâ eſſe cogitandum.

Et quoniam hæc viſionariæ Poëtices ſpecies apertiſſimè à diuinis pendet; clarum eſt eam nuſquam eſſe perfectiùs expectandam, quàm in ſacris Scriptoribus; quorum totus labor eſt vt mentem noſtram ad diuinæ virtutis & operationis in creatura-

rum actione contemplationem, euehere & promouere valeant. Totum itaq; corpus disciplinæ cælestis (quomodo antiquis tradita est) purum est Poëma: cùm ipsa verè gesta, sint typi & allegoriæ, siue futurorum in Ecclesiâ & requie Beatorum, siue in animabus Sanctorum. Vnde triplex ille mysticorum sensuum nodus nectitur, qui ex litterali eruuntur. Sed & singularibus somnijs, & visionibus persperſi sunt illi libri: qualia sunt Pharaonis, Iosephi, Gedeonis, Nabuchodonosoris, & aliorum. Et visiones Abrahæ, Iacobi, Patris Samsonis, Samuëlis, Dauidis, & aliorum. Sed neque nouo Testamento hæc gratia deest; vt videre est in visione Zachariæ, Cornelij, Petri, &c. Maximè in raptu Pauli, cùm de totâ fidei disciplinâ instructus est paruo tempore, quantùm cæteri Apostoli multorum annorum prædicatione. Sed nulla illustrior aut æquiparanda visio est siue in priori, siue in nouo Codice salutis, huic quæ in libello dicto Apocalypsi (cuius aliquam partem aperire speramus) describi-

tur. Nulla quoque obſcurior, partim rerum oſtenſarum, partim ipſius futuritionis tenebris oppreſsâ & caliginosâ.

SECTIO I.

Argumentum & diuiſio operis.

EX dictis conſtare poteſt, non expectandum eſſe in hoc libello Hiſtoricum ſed Poëticum rerum ordinem; cuius decor eſt, vt poſtponenda præponat, dicenda interpellet, & non pauca ornatûs gratiâ miſceat: ſic tamen vt totius operis vnitas tandem ſplendeat.

Vt autem propiùs manus operi admoueamus, aduertendum eſt, quòd cùm ſcopus diſciplinæ Chriſtianæ ſit, humanos animos à lethargo voluptatum terreſtrium excitare; nullus autem ſit potentior dolus ad eneruandas perſuaſiones cæleſtes, quàm ſpes futuræ fœlicitatis temporariæ: præſertim tempore perſecutionis; qualis illâ ætate Chriſti diſcipulos percelle-

bat: Propterea expediebat Ecclesiæ accipere de futuris mundi malis notitiam; quæ quia de futuris erat, non nisi per prophetiam poterat intimari, vt assensum mereretur. Et quia ad terrorem scribebatur, ijs erat speciebus & velaminibus inducenda, quæ horrendum efficerent futurorum aspectum.

Vlteriùs cùm præcipua mundi mala, in, vel paulo ante mundi excidium euentura sint, æquum est, multo maximam partem libri circa ea consumi. Reliquam itaque, quia minora mala explicat, contractiorem esse, & præuiam Ecclesiæ Historiam maximè quoad mala futura breuiter exponere. Nihil itaque credendum est in hâc imagine proponi, quod ipsum (licet non cum tot circumstantijs) in alijs sacræ scripturæ libris non sit expressum: atque adeo vniuersaliter materiam huius scripti, tribus contineri: malis temporalibus, pseudoprophetijs, & ijs quæ specialiter ad finem Mundi spectant; quæ omnia Christus prædocuit.

Ex quibus iterum existimare licet,

duas esse per totum hoc opus quasi scriptionis lineas vel colores sese mutuo intersecantes & illustrantes. Aliam quæ sit rerum enarrandarum substantia & veritas; aliam quæ sit ad animos attentos & attonitos reddendos præparatio. Et hæc tripliciter diuiditur: Alia siquidem est quasi scenicus apparatus, in quo maiestuosum aliquid & terrificum describitur; alia verò in locutione perficitur, quæ vel est præuia operi, vel eam sequitur. Et vtraque quidem Choris Tragædorum correspondet. Sicut enim Chorus est actor qui non habeat specialem affectum in actione tragicâ, & propterea sine perturbatione de futuris vel præteritis iudicat, & præit spectatori quid notandum, & in mores illi conuertendum sit ex actione exhibitâ: sic in hoc libro, ante vel post ingentes catastrophas, aliquis monitor producitur, qui præat legentibus quos affectus habere debeant & exercere. Verum hæ partes non nisi in decursu operis rectè distingui possunt.

Esto itaque prima operis diuisio in eam

tam partem, quæ Historiam Ecclesiæ exequitur, & illam quæ depingit nobis ea quæ ad excidium mundi specialiter attinent. Historiam Ecclesiæ delineant quatuor illæ septenariæ Sigillorum, Tubarum, Tonitruorum, & Phialarum: sicut præuia septenaria Angelorum siue Episcoporum præsentem tum temporis Ecclesiam exprimebat: quam, etsi egregia contineat, quia tamen non est ad cæterorum, præsertim Finis mundi, explicationem necessaria, exponere nobis non incumbit. Consequum est, reliquum librum in consummationis rerum defiguratione impendi.

Quare modò quatuor septenarijs futurus Ecclesiæ status designetur, non incongruè accipitur, ex naturali animalis profectu & augmentatione. Post infantiam enim, in quâ nondum quodammodo est animal (cùm non nisi alienâ ope viuat) succedit Pueritia; in quâ adhuc alienâ ope indiget; Iuuentus, in qua ex sese, sed incertè & defectuosè agitur; Et tandem Virilitas, in quâ constanter ea quæ naturæ sunt perficit. Post hæc

ſuam habet deficiendi periodum; quæ plerumque breuior eſt, & quaſi præceps cùm ſemel inualuerit. Analogiam ad has ætates in Eccleſiâ ſi quæramus; fuerit Apoſtolorum ætas, Eccleſiæ infantia; perpetuis miraculis fouenda & nutrienda: cui ſucceſſit Pueritia, vſque ad Conſtantinum; à quo redditâ pace, Eccleſiæ iam ex ſeſe agere, & quaſi contra paſſiones, ſic contra Hæreſes vſque ad nos luctatur. Deuictis Hæreſibus ſuccedat virilitas, & quaſi meridies Eccleſiæ: à quo cùm deficiet, ad ruinam quaſi ex alto, ſubitò ſit præcipitanda.

SECTIO II.

Declaratio Capitis quarti.

Ergo & ipſum opus inuadamus: omiſſis tribus Capitulis proœmialibus; quartum & quintum impenditur in expreſſione quâdam myſticæ & auguſtæ Majeſtatis Dei, apparentis, & principium dantis viſionibus futuris. Exprimitur itaque *ſedens*, hoc eſt quieſcens; colore, *Iaſ-*

pidem & *sardium* referens, & *Iride smaragdina* circundatus & quasi obumbratus. Iaspidem non possumus accipere pro eo qui smaragdizat, propter eundem in Iride colorem. Egregiè itaque pro cæruleo (qui vulgò Turcicus dicitur) substituitur: cuius cùm cœlestis sit color, perfectissimam habes summæ Trinitatis expressionem: Patris in *Iaspide*, Filij in *sardio* (qui hodie carneolus, propter carnis colorem dicitur) Et Spiritus Sancti in *Iride smaragdina*, id est, in vinculo pacis & amoris; colore verno, qui amoris & fœcunditatis proprius est.

Subijciuntur quæ sedem circumambiebant, *Vigenti quatuor seniores*, Legis Naturæ per duodecim Patriarchas, & scriptæ per duodecim Prophetas; vel Legis & Prophetarum vicem gerentes. Hi *sedentes* & *Coronati* videntur, quoniam stabilitatem & coronam gloriæ acceperunt: Sed quatuor *animalia*, quæ quatuor Euangelistarum symbola præ se ferunt, stantia apparent, etsi coniunctiora throno, immò *in medio sedis*

& in circuitu sedis : hoc est, duo ante ipsam sedem, *Ioannes* & *Matthæus*; & reliqua duo, ex lateribus; *Marcus* ex dextero latere; ex sinistro *Lucas*. Videntur autem Euangelistarum symbola ex quatuor humanæ animæ partibus desumpta : vt in *boue* signetur concupiscibilis; in *leone* irascibilis inferioris animæ portio; In *homine* seu *Angelo* rationalis facultas; In *Aquila*, suprema mens & contemplatio : vt intelligantur Euangelistæ hanc diuisionem in enarratione gestorum Christi Domini secuti : Ioannes nempe ad Diuinitatis opera fuisse intentus, Matthæus ad discursus rationales, vt patet in multiplici sermone Domini in monte : Marcus ad doctrinam quasi magistralem & imperia; Lucas tandem ad naturalia, vt infantiam & curationem infirmitatum : etsi, in omnibus, sit omnia reperire. *Plena sunt oculis intus & extra* : quia iam reuelata sunt mysteria quæ prius latebant, neque poterant videri ab ijs qui oculos non habebant, nisi forinsecus. *Neque habent requiem* : quia Ecclesia adhuc la-

borat, & sollicita est; sed sinagoga concinit ijs.

Ante thronum est *mare vitreum*, vel crystallinum; hoc est omnia creata perlucida, sub aspectu & gubernatione ipsius. *Et septem lampades ardentes*, id est, splendentes & actiuæ: quas licet ipse textus explicat esse *septem spiritus* in terram missos; hoc est, dona Dei, seu operationes ipsius septiformes, videlicet proportionales septem donis Spiritus Sancti. Vnde etiam accipitur, quare opera quæ in hoc libro explicantur, per septenarium numerum, distribuantur in singulis Ecclesiæ ætatibus. Procedunt ex throno *fulgura, voces*, & *tonitrua*. Inter voces & tonitrua hoc videtur differre, quod tonitrua sint illi ingentes soni qui concutiunt ea quæ nos circumstant; voces verò illi qui tantùm audiuntur. Fulgurat itaque Deus, cùm facit nos videre mysteria: voces dat, quando imperat: sed tonat, cùm per efficaciam gratiæ facit nos facere, quæ fieri imperat.

SECTIO III.

Declaratio Capitis quinti.

IN quinto Capite declaratur per Christum & ip ſius paſſionem effici ea quæ in hoc libro reuelanda ſunt: hoc eſt totam Eccleſiæ Chriſtianæ administrationem. Explicatur autem ſic; quòd apparuit in dexterâ ſedentis ſuper thronum *Liber ſcriptus intus & foris, ſignatus ſigillis ſeptem.* Et quamuis etiam foris ſcriptus foret, *nemo tamen eum legere poterat neque aperire.* Liber eſt prouidentia diuina, cuius pars ante Chriſtum erat ſcriptio deforis, vt quæ iam in oculis hominum erat, & externas cæremonias docebat: Sed quia tota tendebat in Chriſtum, non poterat legi vel intelligi, donec ipſe myſteria exhibendo, veritatem quam figuræ ſignificabant, eam doceret. Scriptio interior continebat gerenda in Eccleſiâ vſque ad finem mundi; quæ ſecutura erant ex vi paſſionis & guberna-

tionis Christi. Cur sigilla fuerint septem, ex dictis patet. Cùm enim opera Spiritus Sancti, id est, solutiones debeant esse septem, etiam ipsa sigilla debent esse septem.

Cùm itaque nemo dignus foret aperire librum, apparuit *agnus appropinquans Deo, & accipiens ab eo librum*, id est, potestatem eum aperiendi: hoc est, mysteria ipsius in effectum producendi. Erat autem *occisus*, quod significat per passionem suam Christum in hanc gloriam intrauisse. Docetur autem Ioannes ab vno *seniorum*, fortassis primo Patriarcharum, ex vsu Hebrææ locutionis, id est, Iuda. Quod etiam insinuatur eâ phrasi, quâ vocat Christum *leonem Iuda*, & radicem Dauid.

Visus est autem agnus habere *Septem oculos*, & *septem cornua*; quibus significantur septem spiritus Dei, qui sunt oculi propter lucem, & cornua per ardorem, suauitatem & fortitudinem conjungente sancto spiritu. Notandum est Sanctos tum veteris tum noui Testamenti, habere *phialas odoramentorum plenas*; hoc est of-

ferre preces Sanctorum, qui sunt in hoc mundo, Deo; & per consequens, & audire preces nostras, & pro nobis orare. Reliqua in hoc Capite pertinent ad partes chori benedictionem dantis Deo.

SECTIO IV.

Declaratio Capitis sexti.

AD sextum Caput incipit sigillorum solutio, & ipsa Historia. Pro quâ notandum est, quòd cùm Ecclesiæ profectus consistat in promulgatione Euangelij; tres primæ ætates conuenientissimè tribus promulgationibus simulantur. Prima est apertionis libri clausi, per quam fit potestas volentibus legendi: secunda euulgationis per tubas, per quam omnes tenentur nouisse quæ sic præcipiuntur: tertia est tonitruorum succussio, per quam etiam auersantibus & recusantibus non permittitur ignorantia.

Vnde apparet cur tres similes emissiones

ſiones ex throno progreſſæ fuiſſe deſcribuntur. Non eſt autem expectandum vt in primâ ætate & pueritiâ aliud appareat, quàm quod ex eſſentialibus & communibus naturæ conuenit. Propterea hæc ſigillorum apertio non continet aliud quàm ea mala, quæ prædixit Chriſtus ſic futura, vt ſubiunxerit; *Sed non ſtatim finis*. Etſi etiã finalia mala, prout præcisè finalia ſunt, hoc eſt, quatenus sũt materialis conſummatio mundi, addantur, vt ſignificent quò tendant præcedentia, & per hoc magis timenda reddantur.

In primis itaque quatuor Animalia Ioanni denunciant quatuor *Equites* immiſſos orbi. Primus *Leo*, ſeu Marcus, ſeu ſacerdotalis tuba, Chriſtum armatum *arcu*, ad ea quæ procul diſſita ſunt ferienda: hoc eſt, quem nulla creatura effugere valeat: *Coronatumque*, id eſt, indefectibiliter vincentem producit. *Bos* animal macello deſtinatum ſecundum *equitem* vel cædes & bellum oſtendit. *Homo* timendam famem, ſed quæ ſuſtineri poſſit ex beneuolentiâ Creatoris. Homini enim *Chænix tritici*, & Bruto *triplum*

hordei, denario, id eſt, pro mercede operis diuini, voce ex medio animalium, hoc eſt ex throno delatâ, relinquitur. Significat itaque famem reſtringendam, ne homines ex eâ perirent: Sed etiam nihil ſuperflui haberent. Mandatur item equiti, vt *oleum & vinum non lædat*: quæ cùm ſint fructus ſerotini, oſtendunt poteſtatem equitis etiam tempore limitatam; vt non ad internecionem ſæuiat, neque omnem lætitiam auferat; cum hi fructus interiori & exteriori lætitiæ ſeruiant. Sed non ſequenti equiti, quem introducit *Aquila* ijdem poſiti ſunt termini; Sed conceſſum ipſi omni genere plagæ conſumere genus humanum: & hoc irreparabiliter. Quod ſignificatur per hoc quod *infernus* pingitur eum ſequens; qui ex Græcâ etymologiâ, à non videri nomen trahit: quaſi, quod ſemel inferno receptum ſit, non amplius ſit videndum. Vnde, hoc oſtendendum aquilinæ perſpicacitati concreditur; quæ poſſit etiam non exiſtentia, ſeu non præſentia & inuiſibilia monſtrare.

Verùm quòd nondum futurus eſſet

finis, declaratur apertione Quinti ſigilli: Ex quâ apparent *Animæ Martyrum* huius ſæculi, petentes *vindictam*, id eſt, reſurrectionem; ſed dilatæ & iuſſæ eſſe contentæ gloriâ Animæ, donec reliqui ad ſalutem congregentur. Quæ viſio ad hoc pertinet, vt finis mundi qui in ſexto ſigillo deſcribitur, ſciatur longo poſt tempore peragenda. Inducitur autem parabolicè hic *clamor*, & oſtendit & Animas quæ ſunt in Cælo, deſiderare vnionem ad corpus, & tamen eſſe beatas. Quod & per coniunctionem cum Chriſto ſeu altari, & per *ſtolas* acceptas, id eſt, perfectionem charitatis, quæ infert viſionem beatificam, ſatis manifeſtum fit. Manifeſtum quoque fit, quæ fiunt in mundo, hoc eſt accelerationem finis mundi, à precibus ſanctorum cauſari.

Sexti ſigilli opus, eſt conſummatio mundi; quæ duabus partibus conſiſtere deſcribitur; materiali deſtructione mundi, & completione numeri fidelium, ſeu impletione regni cæleſtis, Quantùm ad ruinam mundi, ſatis dictum eſt in inſtitutio-

nibus Theologicis. Numeratio fidelium ſeptimo capite fit.

SECTIO QVINTA.

Declaratio Capitis ſeptimi.

DIcuntur itaque apparuiſſe *quatuor Angeli*, impedientes ventos refrigerare tellurem. Quod indicat excidium mundi, ſæuiſſimis caloribus, quos mitigare ſolent venti, eſſe inducendum. Hoc nocumentum iubetur differri ab *Angelo* ſignante electos. Vnde patet hanc viſionem, ſicut & priorem de animabus, pertinere ad apparatum ſeu narrationem cauſarum, cur excidium mundi dilatum ſit: & oſtendere vniuerſaliter quid reliquis ætatibus agendum ſit; videlicet electos tum ex Gentilibus, tum ex Iudæis congregari. Et narratur primò electio Iudæorum; quæ deſcribitur *duodecim millium* in ſingulis tribubus. Cùmque tum numerus duodenarius ad perfectionem pertineat; & millenarius ad copiam;

ostenditur Iudæos, & magno numero, & quâdam Vniuersalitate esse saluandos: præsertim ex eo, quòd in integrâ summâ numerus duodenarius ducatur in semetipsum.

Notandum verò quòd Tribus *Dan* omittitur, in cuius locum subrogatur tribus *Manasses*. Quo videtur indicari, quòd in fine mundi tribus *Dan* sit pertinaciter inhæsura Antichristo. Sed ne promissio & intentio Dei euacuetur, sicut Iudæ Matthias, sic Manasses Danis locum suppleturus sit: altero fratre sub Iosephi nomine contento. Gentium vocatio sine numero est; id est, comparatur ad Iudæos, vt infinitum ad finitum; vt Ecclesiæ vniuersalitas ad modium Synagogæ. Reliqua septimi Capitis ad Chori rationem spectant.

SECTIO VI.

Declaratio Octaui Capitis.

A Capite octauo incipit secunda Ecclesiæ ætas; continuata prio-

ri per hoc, quòd ad ſeptimi ſigilli apertionem, *tubæ* narrantur Angelis datæ. Qui & dicuntur ſeſe præparauiſſe ad tubâ canendum; videlicet per *mediam horam* in quâ *ſilentium factum eſt in Cælo*; per quod ſignificatur ceſſatio perſecutionis; quæ fuit diſpoſitio ad publicationem fidei Chriſtianæ, & ipſum initium publicationis: quorum duratio, quia breuis & interrupta fuit, etiam particulæ & fractioni temporis attribuitur.

Ad apparatum pertinet quod ſequitur, Angelum ſacrificauiſſe *orationes Sanctorum* in *thuribulo*, non phialâ. Quod refertur ad diſtinctionem Angelorum ab animabus ſanctis: quòd hæ non ſint actiuæ circa gubernationem mundi defectu corporum; & ideo ſolummodo per orationem, & quaſi oſtendendo deſideria noſtra Deo, nobis proſunt: Angeli verò etiam ad executionem contribuunt. Vnde etiam ſequitur quòd ex *prunis altaris* impleuit thuribulum, & projecit in terram. Prunæ verò quia ſunt quarum vi thus cœlum versùs eleuatur, ſignificant charita-

tem, quæ orationes Sanctorum exaudiri facit; & effecta earum in terram Angelicis operis expediri. Effecta verò quæ narrantur, quia ſunt eadem quæ priùs expoſita ſunt ex throno Dei procedere; ſignificant efficaciam Spiritus Sancti. Et quod ſpecialiter additur, *Terræ motus magnus* eſſe conſecutus ſine aliquo præiudicio; ſignificat efficaciam fuiſſe vſque ad conuerſionem terræ, id eſt, imperij Romani, quod nomine vniuerſæ terræ, non infrequenter explicatur.

Ad Hiſtoriam deinde pergitur; & dicitur ad ſignum à primâ tubâ datum iactata *grando mixta igne & ſanguine in terram*. Cùm itaque grando ſit aqua congelata, id eſt, maximè oppoſita igni, ſignificabit hæc plaga diſſenſiones magnas & vſquè ad perſecutionem & cædes ſanctorum perductas; vt Hiſtoria ſacra ab omnibus Hæreticis factum teſtatur. Effectus huius plagæ indicatur, quòd *omne fœnum viride combuſtum ſit*, id eſt, decor & viror ab Eccleſiâ ſublatus ſit: quòd *tertia pars arborum interierit*; ſeu exaruerit, id eſt, eorum qui for-

tes in fide & benè radicati videbantur: & tandem *tertia pars terræ sit combusta*, hoc est, tertia pars Ecclesiæ fœcunditatem germinandi perdiderit, neque vlterius sese propagare perstiterit. Quæ autem hîc in communi docuit, in tribus sequentibus plagis, per partes explicat. Et imprimis quid circa Christianam plebem actum sit: videlicet, quòd *mons igneus iactatus in mare* acturus foret. Mare enim propter salsedinem, & fluctus, significat homines terrenis affectibus & passionibus plenos: In cuiusmodi si incidat dissensio, fit quasi mons igneus, id est, crassitudine materiali vehemens & durabilis. Vnde *tertia pars* eorum narratur *conuersa in sanguinem*, id est, in substantiam crassam & exustam; insalubremque piscibus, & imperuiam nauibus. Vnde paruorum & eorum qui magnates erant tertia pars emortua est per defectum à fide & opiniones mortiferas.

Tertia plaga est à *stella*, quæ in *fontes*, *& fluuios*, *& aquas dulces* cadens, eas *amaras* reddidit & *absynthiacas*.

His verò aquis quia neque fluctus, neque ſalſedo inſunt, & ab ipſis nutritur mare, & refrigerantur potantes, clarum eſt, viros ſpirituales & doctos ſignificari: inter quos cùm diſſenſio incidit, ardet tanquam *facula*, hoc eſt, non adeò craſſe, ſed penetrabiliùs & nocentiùs quàm inter ſæculares. Ex eo autem quod dicitur ſtella cecidiſſe, notatur, quòd diſſentiones eorum ſint circa fidem, & ſpiritualia: Sed damnum peruenit etiam ad populum, præſertim ad homines, id eſt, magis eleuatos & attentos ad diſciplinas.

Quartæ tubæ clanctus, quo enarratur percuſſus *ſol & luna & ſtella*, pertinet ad Prælatos & Doctores, quorum eſt eminere & lucere in Eccleſiâ Dei. Et dicitur *dies & noctes* ex tertiâ parte minùs lucidas fuiſſe, id eſt, Eccleſiam ſiue in proſperis ſiue in aduerſis; vel ſiue in ſpeculatione, ſiue in actione, minùs illuſtrem ex tertiâ parte euaſiſſe. Cùm enim tribus eminere debeant Prælati, ſanctitate, ſcientiâ, & potentiâ; Relaxatione morum & diſciplinæ,

prima dos & ipsis & Ecclesiæ substracta est; duæ posteriores manserunt. Sequitur breuis, sed vehemens denunciatio futurorum malorum, ostensâ Aquilâ *Væ* habitantibus in terrâ tertium minitante. Videtur autem adhibita Aquila vt significetur obscuram esse harum plagarum interpretationem, quia Aquilæ est altè volare, & acutè de longe minima conspicari.

SECTIO VII.

Declaratio locustarum Apocalypticarum.

PRosequitur Caput nonum, mala secundæ ætatis Ecclesiæ. Et docet ad sonum quintæ tubæ stellæ de cælo cadenti datam esse *clauem putei abyssi*; quo aperto, *fumus*, & ex fumo *locustæ* exiuerunt in terram. Notandum verò est, paulò post Constantini tempora, scissum esse Imperium Romanum, in Orientale, & Occidentale; & vtrumque regnum variis

afflictionibus subjectum fuisse, quas in præsenti capite præfigurat. Et in primis Occidentale, per Ducum Romanorum perfidiam; qui barbaras gentes eidem infuderunt. Et hoc explicans, ait causam proximæ plagæ fuisse casum *stellæ* de cælo, id est, defectionem illustrium virorum ab imperio, vt Stiliconis, Narsetis, &c. Qui potestatem acceperunt aperiendi *puteum abyssi*, id est, fundum Oceani, siue vltimum septentrionem; ex quo gentes hæ vocatæ sunt.

Et dicitur primò ascendisse *fumus* quo *sol* & *aër* obscuratus est; hoc est, famâ & terrore tantarum multitudinum occæcatos esse principes & populos ne ijs possent resistere. Secutæ sunt famam ipsæmet gentes. Dicit quoque præceptum ijs ne *læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem*. Hoc est nihil quod fructificaret & innocenter viueret; sed tantùm homines, qui non haberent *signum Dei* in frontibus eorum. Quod ex eo effectui mandatum videtur, quòd hæ gentes extinxerunt omnino paganismum, & tandem etiam Aria-

nismum ex Occidente eiecerunt, & fidem Catholicam in pristinum splendorem restituerunt. Verum neque hos ipsos interfecerunt, hoc est apertâ persecutione sustulerunt, sed *quinque mensibus*, hoc est centum quinquaginta diebus, id est, annis, quibus vexauerunt imperium Occidentale antequam cum populis quieti coalescerent, per ipsam continuationem malorum eradicauerunt. Vnde & de ijs dicitur, quòd *quærebant mortem, & mors fugiebat ab eis*, quæ est conditio eorum quibus inter longa mala patientia deficit. Quod etiam exprimitur ab authore eâ phrasi, quòd *cruciatus eorum erat sicut cruciatus scorpij*. Narrant enim Physici, venenum scorpionum esse lentum & plenum cruciatu. Et idem significatur per hoc quod dicuntur *aculei esse in caudis eorum*. Cauda enim posterior est animali, quare cruciatum esse in caudis, significat in permansione magis quàm in inuasione. Describuntur autem locustæ similes *equis paratis in prælium*; hoc est, esse populi ferociores gentibus ad quas venerunt, & pa-

tes equitatui eorum : & geſtare quaſi *coronas in capitibus ſimiles auro:* Quod ſignificat libertatem, vel potiùs barbaram ſpeciē libertatis quam præferebant, quaſi ſinguli Reges forent, & alium Dominum non agnoſcerent. Sed neque veræ coronæ erant; & longè minùs ex vero auro: quia hæc libertas non erat ſecundùm rationem, neque iuſtitiæ legibus coërcita. Additur quòd facies eorum eſſent *facies hominum & capilli mulierum.* Notum eſt enim ſeptentrionales populos plerumque eſſe candidos & rubicundulos, pulchro aſpectu, & comam alere conſuetos. Verùm dentes eorum erant *dentes leonum* : *Et habebant loricas ſicut loricas ferreas*: quibus explicatur ferocia, & rapacitas, & cor ad pericula impauidum. *Vox alarum* ſignificat terrorem quem inferrebant regioni quam inuaderent, quantum non faceret bellicorum curruum pugnam auſpicantium ingens multitudo. Rex autem quem dicuntur habere ſupra ſe, & eſt *angelus abyſſi*, declarat cauſam quæ excitauit eos ex ſedibus ſuis; quæ fuit

inundatio Oceani, vt historia declarat: & propterea nomen habet *Abaddon*, vel *Apollyon*, vel *exterminator*.

SECTIO VIII.

Declaratio Equestris exercitus Apocalyptici.

IN eodem Capite, describitur ruina Imperij Orientalis, ad sonum tubæ sextæ: & quia hæc plaga specialiter Christianos respicit, dicitur *vox ex quatuor cornibus altaris aurei prodiisse* quæ illam imperaret. Hoc est, ortum accepisse hanc plagam à precibus Sanctorum, quorum animæ erant sub altari, & preces super altari adolebantur. Vnde patet propter persecutiones Hæreticorum Imperatorum, desolatam esse Ecclesiam Orientalem. Quod exprimitur illâ phrasi quòd *altare esset ante oculos Dei*, hoc est quòd Deus respiciebat ad sacrificia ipsius. Erat autem hæc vox declaratiua efficaciæ sonitus tubæ; vnde ad Angelum tubæ fit. Iubetur autem

soluere quatuor Angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate; hoc est, præsides populorum, vel quatuor populos quos Euphrates prohibebat seu distinebat ab imperio Romano. Dicuntur autem *parati in horam, & diem, & mensem, & annum*: hoc est in diuersa tempora breuiora & longiora. Erant autem equites, & numero *duæ myriades myriadum*. Cùm itaque centenarius sit numerus perfectus, & ducatur in centenarium, vt faciat myriadem, ipsa myrias ducta in myriadem excessiuum prorsus numerum facit. Quem neque ipsum sufficere docet duplicatio eiusdem numeri.

Notandum autem, quòd cùm dicantur quatuor Angeli, tamen tres tantummodò ponuntur species loricarum, & trec plagæ ab ijs progredi: eo scilicet quòd quarta natio, quæ in horam reseruata erat, nihil specialis nocumenti fecit. Videntur autem hæ nationes fuisse primò Persæ, deinde Arabes, tertiò Tartari, & vltimò Turcæ. Sed quia Tartarorum, & breuissimum imperium, & malum quod

intulerunt Turcis magis quam Christianis nocuit; propterea tantùm nominantur. Dicuntur quoque loricæ similes fuisse *ignitis hyacinthinis*, & *sulphureis*; Et plagas quas intulerunt fuisse per *ignem*, *fumum*, & *sulphur*. Ignis Persis proprius est; tum quia ignem adorant, tum quia persecutionem acutam & breuem quidem, sed sæuissimam excitauerunt. Fumus Arabum, tum propter terram aromatibus fœcundam, tum propter doctrinam & dialecticam, quâ oculis Christianorum tenebras & pœnam inferebant. Sulphur Turcarum, quia imperium eorum perseuerantius est cæteris, tum propter carnalem spurcitiam & fæditatem: sulphur enim odore nares infestat, oculos fumus, tactum & substantiam ignis. Sed fumus Arabum non sine mixtione ignis fuit; vt patet ex hyacinthino colore, qui certâ nigri cum luce mixtione conficitur.

Quod autem dicuntur habuisse equi eorum *serpentes* pro setis caudarum; & hos serpentes habuisse *capita in quibus nocebant*: significat potissi-

mum

mum damnum ab ijs factum, postquàm Domini facti sunt, & quietum imperium haberent. Eo ſcilicet, quòd tunc oppreſſerint Chriſtianos, cùm in ipſis bellis nihil ſpecialiter contra fidem aut proponerent, aut agerent, ad abducendos Chriſtianos ab eâ.

Et notandum eſt, neque hîc ſerpentes in caudis equinis, neque ſupra caudas ſcorpionum datas locuſtis, omnino præter naturæ normam: Nam memorant locuſtas quæ habeant caudas ſcorpionum, & ex ſetis equinis naſcuntur ſerpentes. *Capita Leonum* in equis, victoriam & potentiam præmonſtrant. Quod autem cõmemorentur cum idololatria plura peccatorum genera adhuc manſiſſe in hominibus poſt has plagas; indicat vindictam fuiſſe hanc plagam, & non curationem mali, ſicut prior fuit.

SECTIO IX.

Declaratio Capitis decimi.

CApite decimo incipit & perficitur narratio de tertiâ ætate Ecclesiæ; quæ quia prospera & benedicta futura est, & subiecta paucis malis, propterea in communi duntaxat describitur: vt in quâ neque magna varietas, neque insignes plagæ (quæ specialiter sunt huius libri materia) comprehendantur. Ratio autem huius est, quia cùm gratiæ sit perficere naturam, & in naturâ rationali tres species & gradus cognitionis, sint per quos successiuè augetur anima: Videlicet fides quæ regit pueros; opinio, quæ iuuenes, hoc est, inexpertos & imperitos; & tandem scientia, quæ viros, hoc est perfectos dirigit: necesse est in Ecclesiâ per eosdem gradus naturam ascendere. Vsque itaque Constantinum, fides sola valuit. A Constantini tempore vsque ad nostram ætatem, oratorijs & logicis dis-

ſertationibus contra Hæreticos actum eſt. Quæ quoniam paulatim ad euidentiam hominem nata eſt perducere, expectanda eſt proxima ætas Eccleſiæ, in qua ſuccedente euidentiâ, nullus futurus ſit locus Hæreſibus, & per conſequens in ſummâ pace & proſperitate victura ſit Eccleſia.

Vt docet hoc Capite D. Ioannes, *Angelum* nobis exhibens *fortem*, vt virili ætati conuenit; *deſcendentem de cœlo*, vnde nobis omnia bona; *amictum nube*, id eſt, habitu cæleſti, vt qui cæleſtia ad nos deferat; non longè ſeſe à nobis tenens, ſed propinquans: Et *Iris*, id eſt, pacis diuinæ ſymbolum, *capiti* ipſius imminebat: Et *facies ipſius velut ſol*; vt qui veniebat perfectam lucem impertiturus generi humano: & *crura* eius firmitate *columnæ*, actiuitate *ignea*: & *librum apertum* in manu habebat; hoc eſt, ab omnibus legendum & intelligendum, in quoque nulla foret inuolutio & obſcuritas. *Et poſuit pedem dextrum ſupra mare*, hoc eſt, turbulentos vi & poteſtate ſubijciebat: *& ſiniſtrum ſuper terram*, placidos ſua-

uiter firmans & roborans. Et *clamauit voce magna*, qualis eſt *rugitus Leonis*, ſcilicet magnitudine: quod pertinet ad amplitudinem Eccleſiæ, quæ extendenda ſignificatur, quantùm vox ipſius audiri poterat: & poterat audiri ſecundùm fortitudinem ipſius: ſecundùm enim eam totam clamauiſſe, indicat appellatio *Rugitus*. Effectus autem vocis ipſius fuit vt *ſeptem tonitrua loquerentur voces ſuas*: hoc eſt, haberent effectus ſuos. Quos prohibitus eſt Apoſtolus *ſcribere*, propter rationes ſupra traditas. *Signare* tamen iubetur, ſcilicet memoriâ ſuâ, fortaſſis priuatim dicenda viris pijs, non publicè toti Eccleſiæ promulganda.

Et quòd hic ſit ſenſus Angeli & Tonitruorum, confirmatur, ex eo quòd ſtatim ſubijciatur *Iuramentum* ipſius Angeli, quòd *tempus non amplius erit*: hoc eſt, quòd hactenus dederit Deus humano generi ſpatium ſalutis ſuæ curandæ. Sed quòd deinceps incipiet ruina mundi, & defectus, & conſummatio omnium. Et propterea ſit in iuramento ſpecialis

enumeratio omnium quæ Deus creauit. Iuramentum itaque Angeli, ad apparatum ſpectat; ſicut & *deuoratio* libri à Ioanne facta, & *miſſio* ipſius rurſus ad prophetandum. Per hæc enim præparatur auditor ad ſequentem partem libri; & monetur quòd immediata prophetia quam aggreditur, pertineat ad tempora longè poſt futura. Vnde ex textu Græco videtur poſſe intelligi, quòd prophetaturus ſit de multis gentibus & Regibus &c. *Amaricatur* autem in ventre deuoratus liber, id eſt, coëgit ſe eructari. Dulcis itaque erat auditui, ſed non poterat contineri quin ſe faceret alijs prædicari.

SECTIO X.

Declaratio Capitis vndecimi.

CApite vndecimo incipit prophetare Apoſtolus, per figuratam dimenſionem *altaris* & *Templi*, & *adorantium* in eo: per quam ſignificatur Deus rurſus curam habiturus

Iudæorum, videlicet quartâ ætate Ecclesiæ: Et aliquos quidem ad salutem perducturus, alios reiecturus. Cætera capitis videntur ad literam esse intelligenda. Videlicet materialem Hierusalem ab Antichristo Gentibus & Iudæis perfidis comitato, esse occupandam: & quòd *Enoch* & *Elias* in saccis prædicaturi sint, & maioribus signis confutaturi falsa miracula Antichristi: Et reipsâ esse occidendos & resuscitandos, & terræ motu concutiendam esse Ciuitatem.

Et hæc est prima pars Prophetiæ de fine mundi, elegantissimè more poëtico per modum prædictionis inducta ante inceptionem quartæ ætatis; in cuius fine peragenda sunt quæ hîc prænunciantur. Immediatè verò sequitur inceptio quartæ ætatis, per *septimæ tubæ* flatum, & chorum agentium *Deo gratias*. Et quoniam hæc ætas specialiter ad Iudæorum conuersionem spectat, fit apparatus per ostensionem *Templi* & *Arcæ* in cælo. Et loco Tonitruorum, *terræ motus*, & *grando* magna inducuntur, quæ sunt

terribiliora & magis propria propinquanti fini mundi. Et quoniam ex caloris excessu fiunt, mundum ab igne consummandū indicant. Quod ipsum obseruari potest in omnibus plagis; vt calefieri plus æquo tellurem, & paulatim exarescere non sit dubitandum, quantumuis nondum adeò sit euidens declinatio, vt æstimari valeat.

SECTIO XI.

Enarratio Capitis duodecimi.

VT finem mundi ex dignitate explicet, & Poëtico more; causas excidij præmittit ab ipso principio: Et docet inuidiâ Diaboli hoc actum esse. Apparet itaque in cælo *mulier amicta sole, lunam pedibus premens, & duodecim coronata stellis, clamare tanquam partui proxima.* Sensus est; propositum fuisse Angelis in eorum creatione, Deum Ecclesiam ex hominibus conditurum, æqualis cum ipsismet gloriæ: postquam non po-

test amplior cogitari, quàm sole ipso lucis fonte vestiri. Et quòd hæc Ecclesia, etsi fundata in mutabilitate carnis, & corporum, eam tamen calcaret, neque ei subderetur. Corona stellarum duodecim propter Patriarcharum, Tribuum, Prophetarum, & Apostolorum numerum, signum est eiusdem Ecclesiæ manifestissimum & conuictiuum. Sed, quod caput est, ea parturiebat, & cruciabatur, quia ingens & insolitus ei nascebatur Filius, qui recturus erat omnes gentes in *Virga ferrea* : hoc est, futurum erat vt genus humanum, ab vno Filiorum Adæ administrandum & regendum foret; & non ab Angelis, nisi vt subditis ei.

Subdit autem Euangelista, apparuisse *ingentem in cælo draconem; & illum rufum, habentem capita septem, & cornua decem; & in capitibus diademata septem.* Draco ab acutè videndo dictus, serpentium maximus est. Significat itaque ex Angelis vnum excellentem intellectu, id est, cuius voluntas vel bonitas non erat æqualis intellectui; ex aspectu mulieris, deuenisse

deuenisse draconem; hoc est, malitiam & venenum concepisse, & ex candido deuenisse rufum; vel (vt Græcus textus habet) igneum: vt videas excanduisse in iras, ex eo quòd tanta mulieris gloria foret, & Filij ipsius. Additur quòd *cauda sua tertiam partem stellarum traxerit in terram*; hoc est, eâdem pollutos inuidiâ à superioribus, quæ eos meliores reddebant cogitandis, ad inferiora & terrena & malefaciendum hominibus (quod in Genesi explicatur per *comestionem terræ*) auerterit. Et hoc est quod inferius explicatur per *prælium quod factum est à Michaele & Angelis ipsius*, id est, ijs qui obedientiam diuinam præferebant commodis priuatis, id est, Deo adhærentibus; & eos qui per superbiam & inuidiam ab eo defecerunt. Hi cælo, illi terris per affectus incubuerunt. Vnde rectè dicitur quòd *locus eorum non est amplius inuentus in cælo*; hoc est, nihil illis amplius in cælo agendum mansisse. Angelos enim docent Theologi in loco esse per operationem.

Et hæc quidem in principio acta sunt, in ipsâ creatione. Sed effectus, & quasi actio, durauit vsque ad finem mundi. Vnde subditur, quòd *steterit ante mulierem, donec peperisset, & fructus ventris ipsius raptus foret ad thronum Dei.* Quâ allegoriâ exprimitur, quòd constanter dominatus sit mundo, & auxerit semper impietatem, vsque ad Natiuitatem, immò ad Ascensionem Christi Domini Tunc itaque conuertit sese Draco ad persequendam *mulierem*; & tunc datæ sunt Ecclesiæ *duæ alæ aquilæ magnæ*: hoc est, in primâ & secundâ Ecclesiæ ætate fides, in tertiâ scientia, quibus volaret *in desertum locum*: hoc est, conseruaret sese vsque ad tempora Antichristi. Dicuntur autem alæ Aquilæ, quia sunt dona pertinentia ad intellectum, cuius hieroglyphicum est Aquila.

Videns itaque Draco, quòd neque persecutionibus, neque hæresibus extinxisset Ecclesiam, in tertiâ ætate aliud molitus est. *Eiecit* scilicet *ex ore suo ingentem aquarum multitudinem*, sperans madefactis alis mulieris,

eam non futuram potentem ad volandum, ſed aquarum fluxum ſecuturam. Significat hoc ex multitudine Gentium & diuitijs earum quibus redundatura eſt in tertiâ ætate, mollem euaſuram Eccleſiam, & ceſſuram blanditijs, quæ vicerat minas. Dicitur autem Draco ea euomuiſſe, quia priùs fuerant Diaboli dum tenerentur ab infidelibus. Sed nequè hoc ei ſucceſſit. *Terra enim abſorbuit flumen ipſius*; hoc eſt, mortalitas & viciſſitudo rerum, quæ contemplantibus ſemper ante oculos erat, & deuorabat homines cum fælicitate mundanâ, fecit vt Eccleſia non addiceret cor ſuum tali fælicitati.

Tunc *iratus eſt Draco*, & animum ſuum ad ſæuiſſima conſilia applicuit. Et mulier in deſertum peruenit, id eſt, furente perſecutione ablata eſt exterior facies Eccleſiæ. Et Diabolus etiam contra latentes exercere cœpit crudelitatem : & tum fuit tempus cantici illius, quod per modum chori, in cœlo perſonuit, cum comminatione eorum, quæ Diabolus facturus erat contra electos. Quæ, etſi

priùs narrata, ad hunc tamen locum pertinere videntur, tùm ex ijs quæ in cantico dicuntur, *quòd die ac nocte accusauerat* Fratres, hoc est, per tentationes in peccata pertraxerat; & quòd à ſanctis victus erat; quæ in duabus primis ætatibus maximè acciderunt: tum ex ijs quæ poſt canticum narrantur; & tamen ad materiam cantici pertinere arguuntur, ex eo quod ſubſtantia eorum priùs narratur.

SECTIO. XII.

Declaratio Beſtiæ marinæ Apocalypticæ.

IN Capite decimo tertio, recitatur hiſtoria Antichriſti, ex conſequentiâ ad hiſtoriam Diaboli. Et incipit per hoc quòd Draco dicitut ſtetiſſe ad littus maris. Ex quo ſequitur, *Beſtiam aſcendiſſe de mari*. Cùm itaque notum ſit mare ſignificare multitudinem, paſſionibus & concupiſcentijs deditam; ſenſus eſt, excitauiſſe Diabolum ex hâc, tyrannum quendam;

qui repræſentatur pet beſtiam mirabilem; quam oportet deſcribere, vel potiùs deſcriptionem à Prophetâ datam elucidare. Et quidem de alio quàm de Antichriſto beſtiam hanc interpretari, nefas foret; cùm ab ipſo Ioanne hoc acceperimus, dicente, quòd *Beſtia quæ erat & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptem eſt.* Septem autem de quibus loquitur, erant Reges; ergo & hæc Beſtia Rex ſeu Tyrannus eſt. Dicitur autem habere *Capita ſeptem, & cornua decem*; & *ſuper cornua eius decem diademata.* Vnde apparet quòd hoc ei commune foret & cum Diabolo, & cum Beſtiâ meretricis. Quæ itaque ſint propria conſideremus.

Dicitur itaque ipſamet *ſimilis Pardo* cætera, ſed *pedes*, hoc eſt, crura *vrſi*, & rictum *Leonis* habere: Pardus animal eſt ſpecioſum varietate pellis, acre & pernix in venatione aliorum animalium. Significat itaque Tyrannum magno ſplendore florere, & maximâ diligentiâ & velocitate vſurum in deuincendis gentibus: habiturum quoque ferociam Leonis,

ſeu ingluuiem ad deuorandum, & robur ad comminuendum : & tandem, brachiorum vrſi ad conſtringendum, & retinendum proprietatem & violentiam. Quod pertinet ad capita & cornua beſtiæ, infra declarandum eſt, cùm de meretrice erit ſermo; quia eſt commune pluribus, & illic ab ipſo Euangeliſtâ præitur nobis interpretatio.

Satis hic nobis ſit conſiderare, quòd quoniam Draco dedit illi omnem virtutem ſuam; hæc geſta intelligi debere poſt ſolutionem Diaboli, de quâ infra. Neque aliquid magnæ obſcuritatis vlteriùs de Beſtiâ dicitur, niſi quod indicatur perſecutio quam facturus eſt in Eccleſiam, eſſe horrendam, per illa verba, *ſi quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet; & qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quæ ſunt conſolatoria perſecutionem patientibus; videlicet breuitatem & finem mali, & vindictam ſecuturam indicantia. Et hanc perſecutionem non futuram dumtaxat contra Chriſtianos ex Gentibus, ſed

etiam contra Iudæos conuersos vel ante, vel per prædicationem Enoch & Eliæ, significatur per hoc quòd dicuntur *Blasphemiæ futuræ contra Deum, & tabernaculum eius.*

SECTIO. XIII.

Declaratio Bestiæ terrestris Apocalypticæ.

SEquitur Historia *Bestiæ* cuiusdam terrestris; de quâ, sicut de priori, non est permissum aliam interpretationem proponere post Euangelistam qui Capite 19. explicat eum esse pseudoprophetam: & per hoc quòd *ascenderit de terra*, significatur non fuisse ex sæcularibus; sed ex ijs qui profitentur seueriorem disciplinam. Et quòd simulauerit sanctitatẽ & scientiam, significatur per hoc quod dicitur *habere duo cornua similia agni*; hoc est, illum duo Spiritus Sancti dona simulauisse. *Locuta est autem sicut Draco.* Cor itaque, ex cuius abundantiâ os loquitur, erat cum Draco-

ne: *& potestatem prioris bestiæ omnem faciebat coram eo.* Hæc significant priorem bestiam non habuisse potestatem miraculorum nisi per hanc. Duo autem specialiter commemorantur ab eo facta, tanquam maxima: quòd fecerit *ignem descendere de cœlo*; & quòd dederit *spiritum* seu vitam & *locutionem statuæ seu imagini* Antichristi.

Primum miraculum potest intelligi tripliciter. Primò, vt ignis descendat in sacrificia, sicut tempore Eliæ & Nehemiæ: cuius aliquid simile comminisci non est difficile. Secundo, vt appareat ignis in aëre pendens: sicut 7. Paralipomenon in dedicatione Templi dicitur quòd *omnes Filij Israël videbant descendentem ignem & gloriam Domini super domum*. Et hoc difficilius est imitatu: sed excitato priùs vapore pingui, & postea accenso per modum meteori, quod stipulas vocant, fortassis simulari potest. Tertio, vt solidus & vrens ignis longè dissita ab operante comburat; quomodo Elias igne è cœlo descendente consumpsit duos

quinquagenarios : Et hoc non videtur imitabile : Vnde inter vera miracula Eliæ & Enoch specialiter designatur. Alterum miraculum de inspiratione vitæ in statuam, & maximè locutionem, hoc est redditionem Oraculorum, posse varijs modis imitationi subijci, docent automata à pluribus facta, ab vsque Columbâ *Archytæ*, ad muscam *Deei* nostratis Mathematici, & aliorum hodie viuentium. De locutione quoque non multò difficilius est, formationem certarum vocum spontaneam statuæ dare; quàm quod Cornelius Drebelius Organorum cantum exhibuit; Memnonis statua ad afflatum solis reddidit oracula; & huiusmodi plura in Historijs memorata : quæque inter cæteros sublime illud Cartesij ingenium possibilia esse declarauit. Quoniam itaque & Christus & Paulus apertissimé testati sint, Antichristũ ingentia prodigia exhibiturum, & per ea seducturum populum : & Paulus specialiter videatur docuisse eum sese adorandum præbiturum; quod conuenientiùs fit in statuâ quàm in Per-

ſonâ, ſi ſæpius & continuè faciendum ſit; non eſt cur dubitemus etiam hoc ſignum literaliter eſſe intelligendum, & vtilitatem huius libri non minimè conſiſtere in his notis Antichriſti; vt neque fideles turbentur per falſos annunciatores ipſius, ſicut tempore Apoſtoli, & ſæpius poſtmodum; & cùm venerit non irretiantur præſtigijs ipſius, de quibus adeo ſpecialiter præmoniti fuerunt.

Et ad eundem finem monuit nos de numero nominis beſtiæ: hoc eſt, contractione ſeu abbreuiatione nominis ipſius per literas quaſdam numerales, quæ compoſitæ in Idiomate quo publicabit edicta ſua, efficient numerum ſexcentorum ſexaginta ſex. Huiuſmodi autem Abbreuiationes ſunt frequentes; vt patet ſpecialiter in nomine X P S, & I H S, & ſimilibus. Et quia hoc ſignum eſt indiuiduale, propterea monemur ſpecialiter ad hoc attendere, per eas voces, *Qui habet intellectum computet numerum Beſtiæ*, ſeu potiùs, vt Græca vox habet, *ſignet* ſeu *notet calculo numerum beſtiæ*. Quid enim poteſt

ſignificare vt iubeamur numerare numerum nobis indicatum ?

Suppoſito itaque quòd hæc intelligenda ſint literaliter, fit euidens, edicto ſæuiſſimo decretum futurum, ne quis poſſit emere aut vendere neceſſaria ad victum, id eſt, viuere, niſi publicè in fronte vel manu præ ſe ferat Idololatriam Antichriſti, per impreſſum (foco vel alio indelebili modo) vel vultum ipſius (qui ſpecialiter dicitur character) vel nomen, vel abbreuiationem nominis. Ex quibus conſtat perſecutionem ſeu tribulationem fore maximam, qualis non fuerit à principio mundi vſque in illam diem, cuius ſæuitia naſcetur ex coniunctione poteſtatis quam habebit Beſtia marina, cum arte & ingenio quæ afferet pſeudopropheta.

SECTIO XIV.

Declaratio Capitis decimi quarti.

PRæmiſſis cauſis deſtructionis mundi, à Diabolo & Antichriſto poſitis; iam, quaſi legitimè, ad eam acceditur. Quæ quoniam omnium malorum in hoc libro deſcriptorum grauiſſimum eſt, nihil mirum, ſi copioſioris apparatus oſtentatione præuenitur. Duo itaque proximè ſequentia Capita decimum quartum & decimum quintum in eo conſumuntur. Et primo quidem prioris ætatis excellẽtia, producto choro animarũ excellentiũ ſuper omnes cæteras, exprimitur. Dicitur ſiquidem Chriſtus apparuiſſe in *monte Sion*, ideſt, Arce Dauid; ideſt, ſupremâ & ſpecioſiſſimâ parte ſanctæ Eccleſiæ. Et cum eo *numerus ſignatus*, hoc eſt ſpecialiter electorum; & numerus erat *duodenarii in duodenarium reducti, & applicati ad mille.* Quod ſignificat perfectionem perfectam in maximâ multitudine. Et *habebant no-*

men Christi & æterni Patris scriptum in frontibus. Erumpente videlicet in exteriora charitate quam ex contemplatione Humanitatis & Diuinitatis Christi in pectore conceperāt. Propterea etiam *citharisant in citharis suis*; hoc est, corpora consonabant animabus; & cantus eorum erat valde grandis, velut *aquarum multarum* vel *tonitrui*. Sed insolitus, & quem *alii non poterant dicere*, propter sublimitatem contemplationis. Et canebant hoc Canticum *coram throno animalibus & senioribus*; quod significat eos esse immediatos Deo, seu ex supremis.

Tria specialiter de iis narrantur. Quod neque *voluptatibus carnalibus*; neq; lucris & circumuentioni seu mēdacio dediti erant; & *sequebantur Agnū quocumque iret*. Quod indicat eos in hâc vitâ solis spiritualibus cogitationibus fuisse deditos. Et quanquam nihil de persecutione & martyrio horum proditum sit, dicuntur tamen specialiter *empti* tanquam *primitiæ Deo & Agno*; id est, esse supremi Sanctorum. Patet itaque hunc Chorum

virilitatis Ecclesiæ, & altissimæ sanctitatis in progressu quasi naturali, citra violentiam persecutionis, id est, tertiæ ætatis fuisse.

Sequuntur duæ expressiones futuri excidij mundi. Prima per tres voces *trium Angelorum* denunciantium *Euangelium æternum*, id est, æternitatis: scilicet quòd tempus & motus iam finienda forent per Iudicium & condemnationem *Babylonis*, & specialem damnationem eorum qui adorauerunt bestiam. Posterior expressio est Emblematica, seu per allegoriam rerum. Videntur itaque duo Angeli, primus *similis Christo*: secundus in specie *Angeli*: Et mandatur priori vt bonos *colligat ex mundo*; Posteriori, vt *destruat impios*. Quod enim non ipse Christus Dominus, sed Angelus sit qui primam falcem habet, patet ex testimonio Domini dicentis, *Messores sunt Angeli*; etsi, quia nomine Christi fiat collectio Iustorum, propterea appareat *similis Filio Hominis, cum corona aurea*, seu Deitatis, seu charitatis; & *sedens* velut Iudex *super nubem can-*

lidam, quam nulla iam inquinatio mortalitatis obumbraret.

Mandatum *mittendi falces in terram* ad vtrumque defertur *ex templo*: Quod significat hoc fieri, post restitutionem Iudæorum; cum iam Ecclesia ex Iudæis floreret. Sed posterius mandatum, etiam *ex ipso altari*, ab habente *potestatem in ignem*; vt significet esse pænarum & vindictæ opus. Vnde sequitur breuis descriptio inferni, seu *lacus Iræ Dei*, in quem coniecta est vindemia. Porro dicitur esse *extra ciuitatem*; sicut alibi, tenebræ dicuntur *exteriores*; vt significet exulationem à consortio iustorum; vel vt significet neglectum, vt cuius muniendi & conseruandi nulla sit cura: vel tandem, vt significetur esse amplissimum & sine terminis. Quo etiam spectat quod dicitur *sanguis exiuisse de lacu*, vt lacus non fuerit capax: Et hoc *vsque ad frænos equorum*, id est, ora. Si Diaboli sunt tortores damnatorum, significatur pœnas esse tam graues, vt ipsi Diaboli bibant & saturentur ijs. Redundat autem sanguis *per stadia mille & sex-*

centa, ſeu ducenta milliaria. Quare circuitus erit circiter mille paſſuum millies & ducenties, præter exceſſum circuli ſupra tres diametros. Sic vt ambitus habeat proximè mille paſſus in ſingulos *dies* perſecutionis, quam Antichriſtus exercuit in Eccleſiam.

SECTIO XV.

Declaratio Capitis decimi quinti.

CApite decimo quinto propiùs & ſpecialiùs ad opus acceditur. Et primò apparet Chorus Martyrum quarti ſæculi *cantantium canticum Moſis & Agni*. Vnde apparet fuiſſe ex Iudæis conuerſis. *Mare vitreum igni mixtum*, ſignificat calcauiſſe furorem Antichriſti, & deambulauiſſe in flammis Babylonijs.

Et ſtatim procedunt *Angeli parati ad nouiſſimas plagas ex templo Tabernaculi teſtimonij*; hoc eſt, mandato accepto ex eâ parte prouidentiæ diuinæ, quæ ſpectat curam de Iudæis. Veſtiti ſunt *lino puro* & ſplendente; quod

quod significare Iustificationes Sanctorum, alibi declarat ipse noster Apostolus; vt videas propter merita Sanctorum infligi mala peccatoribus. Et *auro præcinguntur*, id est, charitate: vt videas in ipsâ vindictâ charitatem in pectore debere esse causam & moderatricem. *Phialas* porrigit primum animalium leo, vtpote iræ plenas. Deus vt vltimum actũ suâ præsentiâ & publicâ demonstratione comprobat, *replens templum fumo & virtute, donec consummarentur septem plagæ.*

SECTIO XVI.

Declaratio Capitis decimi sexti.

CApite decimo sexto expeditur Historia quarti sæculi; cuius plagæ sunt analogæ plagis secundi sæculi. Sicut æquum est accessum ad optimum, & recessum ab optimo, defectus habere aliquo modo proportionatos. Sed grauiores & desperatiores sunt hæ plagæ. In primis ita-

que non vlteriùs explicantur qualitates ætatis per instrumenta manifestationis; quia in hoc sæculo magis recedebatur à manifestatione quàm ad eam accedebatur: Sed per *effusionem phialarum.* Plaga itaque prima ex effusione *primæ Phiala in terram* creat *vlcera sæuissima in impijs*, quasi carbunculos vrentes, puta terrenorum amorem, & dissidia ex tali amore oriunda.

Secunda plaga *in mare*, hoc est, in plebem effusa, facit mare quasi *cruorum crassum*, & *perimit omne viuens in mari*: Quod significat populos vniuersaliter corrumpendos. Vnde est dictum Christi Domini: *Cum venerit Filius Hominis, putasne inueniet fidem in terra?*

Tertia plaga *in aquas dulces*, hoc est, Magistros Doctoresque, vertit doctrinam eorum *in Sanguinem*; qui loco refrigerationis, suffocare natus sit. Significat itaque prædicationes & consilia eorum redditura affectus laicorum ad temporalia magis ardentes: vtpote suppalpando affectibus eorum qui dominantur. Et prop-

terea ab *Angelo aquarum* benedicitur Deus, qui tribuit eis vitiosos prædicatores qui non ſuſtinuerũt bonos: Et approbatio *ab altari* ſequitur; quod ſignificat etiam in cælis hoc iuſtum videri.

Quartâ plagâ *feritur ſol*, & concipit ardorem vrentem & torquentem populos. Significat autem Pontifices & Prælatos potiſſimè ſummos magnâ oppreſſione vexaturos ſibi ſubditos. Vnde fiet eos *blaſphemare Deum & magis à pœnitentia elongari*. Sicut autem in ſecundâ ætate, ſic in hâc, quinta & ſexta plaga ad temporalia bella pertinent. Quinta ſcilicet ad ſeditiones & rebelliones intra ipſum *regnum* vel imperium *beſtiæ*; puta *magnæ ciuitatis*, quæ erat *ſedes* ipſius. Et ſexta ad extrinſeca irrumpentium decem regum, quos Tyrannus per legatos ſuos ad auxilium ſuum trans *Euphratem* degentes euocat. Dicitur autem Phiala *ſiccare Euphratem*, quia nullo negotio eum *Reges* tranſibunt; vtpote vocati à Tyranno tanquam Amici. Et congregabuntur in locum qui Hebraicè dicitur *Armageddon*: vel ab eorum inſeſſione (ſonare enim

dicitur quod mons Turmarum seu militum) vel ab illâ mageddon vbi occisus est Iosias. Siue quòd reuerá in eundem locum congregabuntur, vtpote prælio proprium, siue à magnâ ruinâ & prælio futuro, quasi per antonomasiam translato nomine.

Sicut autem septimum sigillum transtulit primam ætatem in secundam; & septima tuba Ecclesiam in ætatem quartum: Sic septima Phiala motum & totam Ecclesiam quasi in terminum. Quæ supersunt enim, magis significãt res actas quàm agendas. Qualia sunt, Iudicium de Babylone, & captura Diaboli, & Antichristi, &c. Specialiter verò ex vi huius Phialæ factam esse innouationem cæli & terræ, videtur indicari, per hoc quod dicuntur *fulgura, & voces & tonitrua, & terræ motus tales facti, quales nunquam prius fuerunt super terram.* Et apertius ex eo quòd dicuntur *Insulæ fugisse, & montes non esse inuentos; & grando sicut talentum cecidisse in terram.* Sicut enim (quod ex Theologicis Institutionibus patet) aliqua horũ necesse est esse principia con-

uersionis mundi ad Resurrectionem & Iudicium: sic alia clarè docent complanari terram: & in vnam massam rotundam concrescere, arescente mari, & confuso liquore cum soliditate telluris. Grandinis miraculum vt claré docet ardorem maximum, sic etiam grauissima corpora sublata esse, & quasi conflata in aëre, seu meteororum excessum talem, vt terra non fuerit vlteriùs habitabilis.

SECTIO XVII.

Declaratio eorum quæ euentura sunt circa finem mundi, prædictorum Capite decimo septimo.

ET sic peruentum est ad caput septimum supra decimum; in quo ipso Apostolo & Prophetâ clauim porrigente reseranda est tota Apocalypseos œconomia, quoad posteriorem partem, quæ finem mundi nobis delineat. Et in primis fit huius visionis exhibitio à *primo Angelorum* qui Phialas fuderunt: vt appareat esse præcipuum quodammodo opus

consummationis mundi, quod ipsum conuincitur, tum ex preparationibus insolitis; tum ex *ingenti planctu* mundanorum, & *gaudio* Sanctorum.

Est autem visio *mulieris meretricis in deserto insidentis bestiæ*, quæ cum Dracone & Bestiâ marinâ multum conuenit. Ex fronte autem licet scire quænam fuerit mulier. Scriptum enim habebat *mysterium*. Quod clarissimè significat mysterium iniquitatis. Dicitur etiam *mater fornicationum, & abominationum terræ, & Babylon magna*. Quæ si sola ponerentur, nemo posset dubitare, quin significaret ciuitatem mundi quam sanctus Augustinus ab initio conditam in oppositum ciuitatis Dei luculentè demonstrat. Notat hoc ipsum nomen *Babelis*, primæ quam audiuimus ciuitatis, post reparatam à diluuio humanam naturam, & quidem aduerso Deo conditam. Nihil opus est huic accommodare siue luxum siue crudelitatem in sanctos, in textu expressam. Neque minùs clarum est, sedem huius ciuitatis seu populi malignantium, tum temporis cùm Apostolus scribe-

ret, fuisse Romam. Neque per consequens dubium esse potest, cur dictum sit, *septem capita septem montes sunt*. Et infra, *mulier quam vidisti est*, id est, nunc dum hæc scribis, *ciuitas magna quæ habet regnum super Reges terræ*. Quod verò additur: *Et Reges septem sunt*, clarum facit non Romam solam, vel vt Romam, sed quatenus caput erat ciuitatis mundi, esse designatam. Patet enim Romanum imperium fuisse quintum, ab imperio Chaldeorum in Nabuchodonosore; ad quem facta est prima reuelatio monarchiarum à Daniele. Cùm itaque ante Babylonios fuerit monarchia Assyriorum per mille trecentos circiter annos, Romanum imperium per sextum Regem significatur; ante quem ceciderat Assyrius, Babylonius, Medus, Persa, & Græcus. Intelligitur quoque quòd septimus Rex non nisi post quartam ætatem finitam, surrecturus sit, quando incipient denuò pullulare ambitionum & scelerum cupiditates, quæ monarchiarum & subiectionis plurium nationum ad vnam, causæ sunt. Quod

regnum dicitur futurum breue: magnitudo enim ſcelerum non poterit diù ſtare. Deſinet autem in Antichriſtum, qui & ipſe beſtia eſt, puta ſpecialiter & antonomaſticé, quaſi vltimum & ferociſſimum membrum totius ciuitatis mundi.

Clarum verò eſt tempore huius ſeptimi Regni, ædificandam eſſe Hieroſolymam, & reſtitutum iri impietatem Iudaicam, & futuram in caput Monarchiæ. Scribitur ſiquidem de eâ, quòd ex *terræ motu* poſt cædem Enoch & Eliæ occiſa ſint *nominum ſeptem millia*, per ſubuerſionem *decimæ partis Ciuitatis*. Quod cùm non poſſit intelligi de ſingulis hominibus (non enim comparatione totius orbis terrarum diceretur magna Ciuitas, quæ tantummodo ſeptuaginta mille animas contineret) oportet vt nomina hominum pro illuſtrioribus accipiantur, vt ſignificet præfectos virorum; & ſignificet in decimâ parte Ciuitatis fuiſſe ſeptem viculorum millia. Et ſi ſingulis vicis attribuantur circiter centum familiæ, tota Ciuitas conflata fuerit ſeptem circiter

ter focorum seu familiarum millionibus. Quæ magnitudo non est incredibilis cogitantibus Religionis Iudaïcæ legem fuisse, vt non alibi quàm Hierosolymis fierent sacrificia: Et quòd textus sacer testetur *admiratam esse vniuersam terram post bestiam, quia vnum de capitibus ipsius occisum erat ad mortem, & curata est plaga mortis eius*: hoc est totum mundum cucurrisse post Iudaismum: quem viderant post tot sæcula, quibus fuerat exterminatus, iterum esse in maiorem splendorem restitutum. Et secundum hoc, verum est quod dictum est de bestiâ: *bestia quam vidisti fuit, & non est, & ascensura est de abysso & in interitum vadit*: & rursus, *bestia quæ erat & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.* Palam enim est perfidiam Iudaïcam in cæde Christi & Apostolorum, & persecutione Christianorum, non leue membrum fuisse Ciuitatis mundi. Sed tamen quia monarchiam particularem non regebat, idcirco fuisse de septem: & eandem in Antichristo fuisse octauam.

Porrò hanc Ciuitatem potentissimam rebellauisse contra Antichristum, clarè significat sacer textus, dum dicit per phialam quinti Angeli effusam super *sedem bestiæ*, id est, ipsam, *factum esse regnum bestiæ tenebrosum*: & sectatores bestiæ, visis adeò grauibus malis, dolore *commandauisse linguas suas*: hoc est, acerbatissimos contra inuicem factos esse. Vnde etiam factum est vt Antichristus euocauerit decem Reges ad exscindendam Hierosolymam. Quod & fecerunt: Et ex eo quòd seruierint Antichristo, facti sunt ipsi *decem cornua bestiæ*, & quidem *coronata*: quia socij erant, non serui bestiæ, id est, Antichristi. Et *vicerunt*, & debellauerunt *Meretricem quæ sedebat bestiam*: quæ propterea coronas neque in capitibus, neque in cornibus habet; quia apparet insessa & dominata ab ipsâ: Vnde coronas non poterat habere, tanquam subdita. Sed in Dracone videntur *capita coronata*: Quia Draco non constituebat Monarchias; quod pertinet ad solum Deum; sed impellebat eas ad malum,

gubernans eas per ſuam perfidiam, & malitiam; quæ ſignificantur per *mulierem dominantem*. Vnde in Dracone ſunt coronata capita.

Dubium eſt quomodo per terræ motum qui factus eſt ex effuſione ſeptimæ phialæ, ex quâ finis mundi etiam materialiter incepit, dicatur *Ciuitas magna facta eſſe in tres partes*. Cùm ante hoc tempus, fuerit igni concremata à decem Regibus. Reſpondetur, cùm vaſtantur Ciuitates magnificè ædificatæ, ignem non habere poteſtatem niſi in viliora quæ ligno ædificata ſunt; maiora quæ lateribus vel labididibus ſubſtructa ſunt, ſupereſſe igni. Et ſic accidiſſe in præſenti inde patet, quod cùm Ciuitates Gentium totæ conciderint, huius tantùm duæ partes, quæ minùs firmiter fuerant ædificatæ, & ſeparabant tres reliquas ab inuicem, dirutæ ſunt. Et ſi locus eſt coniecturis, cùm Iudæi habeant prophetias de excidio mundi per ignem, imitati Patres ſuos qui turrim Babylonis vſque ad nubium altitudinem metu alterius diluuii eleuare cogitauerunt;

ipſi Ciuitatem ſuam ex lateribus & lapidibus contra vim ignis munire conabuntur.

SECTIO XVIII.

Enarratio hiſtoriæ Capitum decimi noni & viceſimi.

EXcisâ Hieroſolymâ, Beſtia cum ſuis Regibus ad extinguendos Chriſti ſectatores conuertetur: & ſuperueniente die Iudicij per flammas cælo præcipitatas in aduentu Iudicis impedietur. Hæc decimo nono & viceſimo capite deſcribuntur. Eadem enim eſt hiſtoria, etſi bis repetita, vt Antichriſto & Draconi ſingulæ Cataſtrophæ redderentur. Patet enim in vtroque Capite procedere Chriſtum ad iudicium; etſi primò tanquam *exercitus ducem*; poſteriùs tanquam *Iudicem*; id eſt, primò ad excidium, ſecundò ad iudicium; quæ ſimul futura ſunt. Diabolus quoque, cum nihil niſi per homines faciat, eadem intelligenda eſt Congre-

gatio *Gog* & *Magog*, quæ priùs decem Regum per spiritus missos in orbem. *Castra* autem *Sanctorum*, & *Ciuitas dilecta*, sicut & nomina *Gog* & *Magog*; translata sunt ex persecutione Antiochi factâ contra Machabæos; quæ fuit figura huius, & in quâ Prophetæ etiam hanc prælocuti sunt. Vnde etiam habes inuitationem eandem *auium*, quam in Ezechiele, quæ ad apparatum spectat.

Et cætera quidem nihil specialis difficultatis continere videntur. Quæ autem narrantur de *Diabolo catenato*, & regno Sanctorum *per mille annos*; monendum est gesta quidem esse tertiâ ætate; Sed hic narrari, quia Capite duodecimo omissa fuerant: vbi propter narrationis decorem perpetuata est historia malitiæ Diaboli vsque ad Antichristum, vt melius videretur causarum inter se connexio. Hic itaque, vbi resumitur specialis historia actorum ipsius, etiam hoc commemoratur. Et quæ adduntur de *resurrectione mortuorum*, ad pacem illius ætatis spectant. Quod ex ipsis verbis manifestum est. Explica-

tur enim quòd solummodo *animæ Martyrum vixerint*. Quæ clarè significant, non fuisse aliquam corporum resurrectionem, Rursus quod *data sint illis sedes & iudicium, & regnum cum Christo*. Quare patet hæc significare non aliquam Beatitudinem quâ ipsi Beati sint, sed quid fecerit respectu aliorum: scilicet quod fuerint quasi regula & norma actionum alijs. Tertiò cùm dicitur quòd *cum Christo regnent*; non potest aliud significare quàm sicut ipse. Qui itaque hæc trahunt ad materialia, debent consequenter existimare quòd Christus etiam nunc in cœlo epuletur, & perfruatur voluptatibus corporeis.

Neque refert quòd inter martyres computentur etiam illi *qui non adoraverunt bestiam, neque acceperunt characterem ipsius*, qui vixerunt post tertiam ætatem. Per hoc enim significatur, hoc regnum non esse aliquod particulare præmium; sed quiddam omnibus martyribus, id est, perfectis in charitate, cùm exeunt ex hoc corpore (quod maximè notum & insigne est in ijs qui Christi causâ mor

tem voluntariam obeunt) commune & congruens: ſcilicet vt honorentur & imitationi habeantur ab ijs qui ſuperſtites ſunt; quod eſt regnare ſuper terram.

SECTIO XIX.

Concluſio per omiſſionem Capitis viceſimi primi & Secundi.

ET ſic completa eſt hiſtoria Apocalypſeos. Quæ enim ſequuntur, tantummodo ſunt deſcriptio fœlicitatis ſanctorum; quæ finis eſt Eccleſiæ; & propterea ampliorem & magis propriam explicationem poſcebat quam infernus; qui tamen pluries fuit commemoratus. Sed nihil difficile continet præter Allegoriarum appropriationem; quam non eſt noſtri operis explanare. Quòd autem Angelus reuelator *non acceptauerit adorationem*; ſignificat officium ipſius hâc in reuelatione non fuiſſe majus officio ipſius Ioannis, qui eadem reuelaturus erat Eccleſiæ; ſed

fortassis minus; & propterea ex hoc capite præferri se neque patiebatur, neque merebatur.

CONCLVSIO

Continens breuem totius operis periocham.

SVbstantia itaque Historiæ Apocalypticæ continetur quatuor vel quinque septenarijs (si etiam Proœmialis hebdomas computetur) & historiâ consummationis mundi; quæ continet historias Ecclesiæ, seu Ciuitatis Dei, & Ciuitatis mundi in duabus mulieribus; Diaboli & Antichristi; & Enochi & Eliæ; & tandem iudicij & cælestis Beatitudinis. Et hoc quidem quasi per se & vltimò narratur: cætera propter varietatem & connexionem permiscentur, & quædam quasi extra sua loca narrantur. Vt fuga Ecclesiæ capite duodecimo; quæ tamen facta est Antichristi tempore; sicut & cædes duorum Prophetarum; Historia Ciuitatis mundi

Capite decimo ſeptimo, & ſequentibus, quæ in exciſione Hieroſolymitanæ vrbis facta eſt; etſi ſub Antichriſto & Diabolo in eorum ruinis perfecta & conſummata eſt. Tandem Capite decimo nono reducitur ad conſummanda omnia Eques in equo albo, qui emiſſus erat ad vincendum vincens & conſummans. Et ſic vides hiſtoriam ad ſua principia fœliciter rediuiſſe.

Quæ inter hæc toto libro miſcentur, Apparatûs & chororum claram ſpeciem habent; & Poëmati viſionario (quale hoc eſt) mirè congruunt. Stylus libri proprijſſimus eſt, & naturaliſſimus, qualis neceſſarius eſt, vbi animus totus ad myſteria intelligenda debet eſſe intentus; Et qui Poëtices omnino proprius eſt; vt in Homero apparet, in quo licet incultiſſimus, ſummè tamen delectabilis eſt propter ingenuitatem.

Non itaque prorſus inintelligibilis eſt hic liber, ſed indiget acri & penetrabili ingenio, & ſolido iudicio (etiam cùm explicatiſſimus fuerit) ad connexionem & ænigmatum ſo-

lutionem approbandam. Interea per ingentem ipsius exterioris corticis ostentationem, nunquam caruit vel carebit illo fructu qui ex terrore de futuris malis impresso hominum animis expectatur, & Ecclesiæ est necessarius: Et propter quem pronunciatur, *Beatus qui seruat verba Prophetiæ Libri huius.* Amen.

FINIS.

MENDA SIC EMENDA.

IN TOMO SECVNDO.

PAge 1. lin. 5. LIBER PRIMVS, LIBER QVINTVS, & sic per totum librum, pag. 27. lin. 6. regatur regantur, pag. 85. lin. 3. remi rem, pag. 87. lin. 5. LIBER II. LIBER VI. & sic per totum librum. pag. 122. lin. 1. quòd quod, pag. 159. lin. 21. esse &. : potest esse : & potest, pag. 187. lin. 18. manifestatum manifestatam, pag. 201. lin. 5. LIBER III. LIBER VII. & sic per totum librum, pag. 213. lin. 17. *daba teloqui dabat eloqui*, pag. 214. lin. 3. sequidem siquidem, pag. 216. lin. 25. eùm cùm pag. 195. lin. 20. peccatò paccatum, pag. 338. lin. 14. iessendi essendi, pag. 338. lin. 19. naliquotis in aliquotis pag. 340 lin. 21. si homines si omnes homines pag. 342. lin. 2. velle vellet pag. 343. lin. 2. impossibilia incompossibilia, pag. 346. lin. 20. imaginantur imaginentur pag. 351. lin. 23. ampliorum ampliorem.